Otto Spring OFM

† apud 1745

Hm. Ge. V 30

DISSERTATIONES DOGMATICAE

DE

EXTERIORI DEI CULTU.

ADORATIONE EUCHARISTIAE, ET SACRIFICIO NOBILISSIMA DIVINI CULTUS SPECIE.

DE

INVENTIONE, ET ADORATIONE S. CRUCIS, CAETERORUMQUE DOMINICAE PASSIONIS INSTRUMENTORUM.

MEDIATIONE, ET ORATIONE CHRISTI.

DE

INVOCATIONE, CULTU, ET VENERATIONE BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE, ANGELORUM, ET CAETERORUM SANCTORUM.

DE

SACRIS CAEREMONIIS, VARIIS BENEDICTIONIBUS, JEJUNIIS, ET FESTIS.

COMPENDIOSA METHODO DIGESTAE

A

P. F. OTHONE SPRUG

SAC. ORD. MIN. STRICT. OBSERV. PROVINCIAE S. CRUCIS CROATIAE, CARNIOLIAE ALUMNO.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

LABACI,

IMPENSIS MICHAEL PROMPERGER, PIBLIOPOLÆ.

1771.

Imprimatur

Ex Officio Episcopali Labaci die 5. Julii 1770.

CAROLUS PEER,
Canonicus Senior, & Vicarius Generalis.

CELSISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

DOMINO, DOMINO

LEOPOLDO

JOSEPHO

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EXEMPTÆ CATHEDRALIS ECCLESIÆ LABACENSIS

EPISCOPO

S. R. I. PRINCIPI S. SERVULI,

ET

ARCIS NOVÆ

COMITI DE PETAZIIS

LIB. BAR. IN SCHWARZENEGG,

SAC. CÆS. REG. APOSTOL. MAIESTATIS CONSILIARIO ACTUALI INTIMO,

ET

ABBATI INFULATO IN ZEPLACH

DOMINO, DOMINO

CLEMENTISSIMO, AC GRATIOSISSIMO

ORDINARIO

D. D. D.

CELSISSIME, AC REVERENDISSIME

S. R. I.

PRINCEPS

Domine, Domine

Clementiſſime, ac Gratioſiſſime!

Ordinarie!



Magnos quidem magna decent, exigua tamen munuſcula, dum hæc e litteraria prodierint diſciplina, non dedignantur inſignes Litteratera-

terarum amatores, qualem, cum TE olim Italia admirabunda conspexerit, dum in Patavino Gymnasio publice os TUUM loqueretur Sapientiam, & hodiedum Orbis litterarius deprædicet prope universus, modicam hanc Sacræ Theologiæ Dogmaticæ partem, ab Authore, quem non obviis favoribus clementissime beas, in hisce dissertationibus abbreviatam, celsissimo Nomini TUO in profundissima Veneratione dicare penitus non vereor: quod dum ad tholum Reverendissimæ suæ Celsitudinis pleno cultu, & observantia actum eo, EIDEM innumera faustissimi Regi-

minis

minis Sacri Luſtra devotiſſima veneratione non tam apprecor, quam certo auguror augurio ex Doctore Angelico deprompto, qui lect. 4. in c. 21. Joan. de Prælatis, & Eccleſiæ Rectoribus differens per longum deducit, quod ſi recta cupiant, & tota virtute perficiant - - - - Tales conſerventur, ut diutius vivant - - - - - Allegat Divus Thomas in hujus confirmationem Origenis verba dicentis - - - - - Raro inveniuntur utiles Rectores, & Doctores Eccleſiæ parvo tempore vivere - - - - Quis autem tam peregrinus eſt, ut ignoret TE fidelem, & prudentem familiæ TUÆ (olim

Ter-

Tergeſtinæ, hodie Labacenſi Diœceſi) Præpoſitum commoda, atque utilitates commiſſi TIBI populi inceſſanter curaſſe, non minus Vigili, quam plane paterna ſollicitudine, atque providentia inter graviores etiam morbi moleſtias in id vires omnes intendiſſe, ut parares Domino plebem perfectam, Sacerdotes ſanctos, Magiſtratus æquos, conjuges concordes, parentes ſollicitos, filios obedientes, juvenes modeſtos, Virgines pudicas, viduas devotas, divites liberales, pauperes patientes, Dominos benignos, ſervos fideles, cives quietos, chriſtianos omnes tanto no-

mine

mine dignos. Quis nescit, TE partes primas Præsulis vigilantissimi numeris omnibus absolvisse, dum Ecclesias, pastorali TUÆ curæ concreditas in sacris, & profanis provide semper gubernasti, & hodiedum felicissime gubernas, earum jura, & privilegia fortiter propugnas, Pastores pascendo, qui in ipsis est, Dominico gregi omni virtutum, & scientiarum cultu nobilitatos præficis, dignissima Capituli TUI membra, ut Paulus fideles suos, ceu gaudium TUUM, gloriam TUAM, coronam TUAM pro æquitatis mensura diligis, & foves. Fruere igitur Celsissime,

ac

ac Reverendiſſime Princeps hoc omnium, qui boni audiunt, non tam voto, quam Vaticinio, ut reſtaurata in priſtinum vigorem, & decorem ſenecta ſubdito TIBI gregi in ſupremam usque Canitiem incolumis modereris, ac tandem dum Princeps apparuerit Paſtorum, immarceſſibilem gloriæ Coronam recipias. Ita voveo, ita precor, ita auguror

Reverendiſſimæ Celſitudinis
TUÆ

Devotiſſimus, Humillimus.
Bibliopola Labacenſis.

Appro-

Approbatio
Theologorum Ordinis.

Ex commissione A. R. P. Hugonis Vodnikh, Lectoris Emeriti, Provinciæ Patris, & actualis Vicarii Provincialis attente legi, relegi Opusculum intitulatum - - *Dissertationes Dogmaticæ de exteriori Dei cultu &c.* ab A. V. P. Othone Sprug Lectore Generali, actuali Diffinitore Provinciæ compilatum, nihil in eo reperiens, quod aut fidei, aut bonis moribus in minimo adversaretur: imo ob varietatem materiarum, & succinctam earum claritatem legentibus haud parum profuturum sperans. Dignum proinde censeo, ut iste paterfamilias de thesauro suo nova proferens, & vetera e tenebris eruens, mediante typo publicam ponatur ad lucem.

Dabam in Conventu Labacensi ad D. V. Assumptam 18. Aprilis 1770.

F. JACOBUS KUKAINA,
Ord. Min. S. P. Francisci strict. Observ.
Lector Generalis Ex-Diffinitor, &
actualis Concionator Ordinarius.

Ex commissione A. R. P. Vicarii Provincialis sedulo relegi Opusculum, cui titulus: *Dissertationes Dogmaticæ de exteriori Dei cultu &c.* ab A. V. P. Othone Sprug Lectore Generali, actuali Provinciæ Diffinitore compositum, in quo non tantum fidei Divinæ, & Ecclesiæ doctrinæ nihil contrarium reperi; sed potius & jucunda, & utilia pro synoptica rerum dogmaticarum notitia inveni multa bene digesta: unde dignum judico, ut publici juris fiat, si ita superioribus videbitur.

Dabam ex Conventu nostro Labacensi D. V. M. in cœlos Assumptæ die 4. Maji Anno 1770.

F. HIERONYMUS MARKILLITSCH
Lector Generalis, Ex-Custos.

Licentia
Patris Vicarii Provincialis

Ut Opuſculum, cui titulus eſt: *Diſſertationes Dogmaticæ de exteriori Dei cultu*, a duobus Theologis reviſum, & approbatum, typis mandari poſſit, facultatem, quantum in me eſt, hiſce concedo.

Datum in Conventu noſtro Labacenſi ad D. V. in cœlos Aſſumptam die 28. Maji 1770

F. Hugo Vodnikh Reformatæ Provinciæ Croatiæ, Carnioliæ Vic. Provincialis.

Facul-

Facultas

Reverendissimi P. Ministri Generalis,

F. Paschalis a Varisio

Lector Emeritus, Catholicæ Majestatis in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, Commissarius Visitator Apostolicus, & in Domino servus.

Cum juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones idonei Censores Opus quoddam ab A. V. P. Othone Sprug nostræ Reformatæ Provinciæ S. Crucis Carnioliæ Sac. Theologiæ Lectore Generali, ac actuali Diffinitore compositum, cui titulus - *Dissertationes Dogmaticæ de exteriori Dei cultu* - recognoverint, illudque ab ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos præsentium tenore ad salutaris Obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus servatis de reliquo servandis, idipsum typis mandari possit, & valeat.

Datum Romæ ex Aracœli 23. Junii 1770.

Fr. Paschalis a Varisio
Minister Generalis.

De Mandato Rmi in Christo
Patris Fr. Nicolaus Maria a Lugano Secretarius Generalis Ordinis

Protestatio Authoris.

UT obsequentem me in omnibus S. Romanæ Ecclesiæ filium tester, ea, qua par est, observantia, & profundissima veneratione Urbani VIII. Pontificis Maximi Decretis me submitto; profiteorque me, omnia, quæ hoc opusculo continentur, haud alio sensu accipere, & intelligere, quam eo, quo a sancta Matre Ecclesia & accipiuntur, & intelliguntur, & sic accepta, atque intellecta ab eadem approbantur.

SE-

SERIES

Diſſertationum, & Quæſtionum, ſeu materiarum.

DISSERTATIO I.

QUAE-

QUAE-

DISSERTATIO VII.

QUAE-

QUAE-

DIS-


DISSERTATIO IX.

DISSERTATIO X.

QUAE-



DIS-



DISSERTATIO I.

DE CULTU DEI.



Omnes quotquot rectæ rationis lumen habuere, idque ſecuti ſunt, Deum exiſtere, atque hunc ipſum Deum eſſe Creatorem rerum omnium, eſſe rerum creatarum Conſervatorem, ac Rectorem providum, eſſe creaturarum rationalium finem unicum, & ultimum confeſſi ſunt. Neque fuit aliquando Gens rationis compos, quæ hanc veritatem aut negaſſet, aut de illa dubitari poſſe crediſſet. Unde recte David Pſal. 13. ℣. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.* Sapiens enim, & ratione præditus quomodo id diceret? Recte quoque Paulus ad Rom. c. 1. ℣. 20. *Inviſibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Si autem hoc naturali ratione compertum eſt, nemo etiam ſanæ rationis compos dubitare poterit, quin huic Deo tamquam

A Prin-

Principio, tamquam Domino, & Gubernatori nostro honorem, cultum, obsequium debeamus; quin ad eum tamquam finem nostrum unicum, & ultimum tendere nos oporteat; unde etiam Paulus ad Romanos *ad Rom.* c. 1. ℣. 21. Scribens de Gentilibus eos inexcusabiles esse dicit; *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Ut hæc veritas amplius clarescat, ponitur.

QUAESTIO I.

An Deum colere, & adorare obligemur?

PRAENOTIO.

I. Cultus nomine intelligitur actio, per quam alterius Excellentiam testamur. Porro tres sunt species Excellentiæ *1mo* Divina, & infinita, cui respondet ille cultus, qui vocatur *Latria.* *2do* Humana, seu naturalis, quæ posita est in virtutibus, ac dignitatibus humanis, cui respondet Cultus, qui dicitur *Civilis*, & *observantia quædam humana.* *3tio.* Est media quædam Excellentia, inter Divinam, & humanam, qualis est gratia, & gloria Sanctorum, quæ sunt dona supra naturam, ideoque excellentissima, cui Excellentiæ respondet cultus *Dulia* nuncupatus. Quia vero creaturis Sanctis, Humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad Verbum; & similiter Beata Virgo, ut Mater Filii Dei, ita præstat aliis Sanctis, ut di-

dici poſſit Domina, & Regina noſtra, quod aliis Sanctis non convenit, hinc eſt, quod Theologi dividentes *Duliam*, in *Duliam* proprie dictam, & *Hyperduliam*, illam Sanctis cœteris, hanc vero ſoli Humanitati Chriſti, nec non Beatiſſimæ Virgini competere doceant. *Vide S. Thomam 2. 2. q. 103. a. 3. & 4. & 3. p. q. 25. per totam.*

II. *Latriam* eſſe ſervitutem ſoli Deo debitam *docet S. Auguſtinus lib. 10. de Civ. Dei c. 1.* „ Latriam quippe noſtri, ubicunque ſanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit Apoſtolus, ſervos Dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine græce nuncupari ſolet: Latria vero ſecundum conſuetudinem, qua locuti ſunt, qui nobis Divina eloquia condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter, ut pene ſemper, ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde ſi tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur; dicimur enim colere etiam homines, quos honorifica, vel recordatione, vel præſentia frequentamus. *Et lib. 20.* „ *contra Fauſtum c. 21. tom. 8.* At ille cultus,

„ qui græce Latria dicitur, latine uno
„ verbo dici non potest, cum sit quædam proprie Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.

III. Adorationem vero diversimode Deo, Beatæ Virgini, ac Sanctis deberi *explicat S. Joannes Damascenus Orat. 3. de Imag. tom. 1. pag. 361.* „ Neminem tamquam Deum adorare fas „ est, præter illum, qui natura Deus „ est; omnibus autem debitum honorem „ habere, oportet propter Dominum „ &c. Solum Creatorem, & rerum opificem Deum adoremus, cui Latriæ „ cultum exhibeamus tamquam Deo pro „ sua natura adorando. Sanctam quoque Dei Genitricem adoremus, non „ tamquam Deam, sed tamquam Dei „ Matrem secundum carnem: ad hæc „ omnes Sanctos ceu Electos Dei, & „ Amicos, quibus facilis ad Ipsum patet aditus, adoremus.

IV. Dei igitur adoratio *Latriam*, Sanctorum *Duliam* significat, ut *ostendunt Hadrianus*, *&* *Petrus de Walenburch tom. 2. de fidei controversiis lib. 12.* Unde qui promiscue loquuntur, & tam Deo, quam Sanctis adorationem attribuunt, non ita intel-

telligendos ipsi docent, ut censeant, tam Deo, quam Sanctis eumdem religiosum Cultum esse exhibendum, sed *Latriæ* cultum Deo, & cultum Duliæ Sanctis exhiberi debere; cum uterque sub generali nomine adorationis comprehensus sit juxta illud 1. Paralip. c. 29. ℣. 20. *Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo Patrum suorum: & inclinaverunt se, & adoraverunt Deum, & deinde Regem.* Ibi quippe eadem vox adorationis tribuitur Deo, & Regi, licet Deo cultus Latriæ, & Regi cultus civilis conveniret.

V. Cultus dein alius est *absolutus* conveniens soli rei intellectuali, quæ per se adorabilis, vel honorabilis est ob perfectionem, atque excellentiam sibi intrinsecam, ejusmodi adoratio convenit Deo, & talis veneratio competit B. V. Mariæ, & Sanctis per se absolute venerabilibus. Alius cultus est *respectivus* conveniens rebus non intellectualibus, ratione carentibus, & inanimatis, quæ non coluntur, per se ob perfectionem, atque excellentiam sibi intrinsecam, sed propter aliud, seu ob respectum ad aliud, qualis adoratio, seu cultus debetur Cruci, sacris Reliquiis, Imaginibus, Vestibus &c. cum eorum adoratio, vel veneratio non sistat in illis, sed referatur ad Prototypum, cujus sunt Imagines, aut repræsentationes.

VI. Iterum cultus Deo debitus, vel est *internus*, vel *externus.* Ille internis actibus perficitur, quibus, Fide, Spe, Charitate, aliisque internis mentis actibus Bonitatem, & alias Dei Perfectio-

nes testificamur, ac debita reverentia, & honore supremum Numen prosequimur. Alter vero Cultus, id est, *externus* actus illos complectitur, quibus exterius ejusmodi venerationem significamus, uti sunt diversa Sacrificiorum genera, genuflexio, inclinatio, prostratio, tunsio pectoris &c. Externus Cultus vel est *privatus*, quo quisque privatus homo debito Deum honore glorificat: vel *publicus*, quo scilicet homines conjunctis votis, publico in loco, ac veluti communi Societatis nomine Deum venerantur, & colunt.

ARTICULUS I.

Exstat Præceptum nedum Divinum, sed & naturale colendi Deum actibus tam internis, quam externis cultu tum privato, tum publico.

PRimum in veteri Lege sæpe, in nova promulgatum est Matth. c. 4. ℣. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Secundum propono sic: Homo per summam Dei Sapientiam, & Providentiam natura sua ita constitutus est, ut propendeat ad amandum bonum sibi propositum, ad testandum per servitutem Dominium: per gratos animi sensus suscepta beneficia, per obsequium, & cultum præstantissimam naturæ intelligentis excellentiam: cum ergo Deus per rationem homini manifestet ut summum Bonum, debitum ab ipso

ſo amorem expoſcit, cum ſe oſtendat ſupremum Dominum vitæ, & functionum hominis, exigit, ut obſequia ei præſtet, cujus Dominio ſubeſt: cum Beneficia proponat. vult, ut gratum animum exhibeat ei, a quo ejusmodi Beneficia percepit; cum infinitam ſuam Excellentiam demonſtret, ad teſtandam cultu aliquo mirabilem hanc ſuam prærogativam, & Excellentiam adſtringit.

Non ſolum autem internus, & privatus cultus Deo debitus eſt, ſed etiam externus, & publicus. Per cultum enim teſtari quoque debemus ſupremum Dei Dominium, atque collata nobis Beneficia: ergo cum Dei Dominium etiam in corpus noſtrum, ejusque partes ſe ſe extendat, corpus etiam, ejusque actus in Dei obſequium impendere tenemur; id vero fit per actus externos, & cultum externum. Unde S. Joan. Damaſc. lib. 4. c. 13. de fide orthodoxa ait: *Quia duplici natura conſtamus aſpectabili, & in aſpectum non cadente, hoc eſt, intelligibili, ac ſenſibili; idcirco duplicem Conditori noſtro adorationem offerimus.* Deinde cum Beneficia Dei plura experiatur ipſa hominum ſocietas, & cum plura ſint dona Dei civili ſocietati conceſſa, facile patet etiam ipſam ſocietatem teneri ad Deum communem Creatorem, ac bonorum Largitorem palam, ac publice, & conjunctis votis colendum: itaque publicus etiam cultus Deo debitus eſt.



ARTICULUS II.

Solvitur Objectio.

INquiunt: Deus sibi sufficientissimus est; ideoque nihil voluptatis, aut utilitatis capere potest ex creaturis: igitur nullum obsequium, nullum cultum ab ipsis exigit.

Repono. Etsi Deus sufficientissimus sibi sit, libere tamen, ac summa Sapientia sua rationalem condidit creaturam, eamque ita regit, ut hæc ipsum ignorare non possit: vult ergo, ut Ipsum agnoscat, confiteaturque rerum omnium Conditorem, & Rectorem esse. Cur enim sua cura creaturam rationalem in sui duceret cognitionem, nisi vellet, ut eum agnosceret, & confiteretur? Deinde per hujusmodi cognitionem se summum Bonum esse demonstrat, ac per inditum naturæ sensum hominem monet, summum Bonum summe amari oportere. Cur vero id? nisi, ut ostendat, debitum ei esse summum amorem. Rursum per eamdem cognitionem se homini repræsentat, ut est supremus Dominus omnium rerum, ac etiam singularum hominis actionum. Cur vero ita se exhibet, nisi, ut homo tum in se, tum in omnibus actionibus suis eam servitutem ostendat, quæ supremo Ipsius Dominio respondeat. Denique eadem cognitione, ut infinite perfectus, ut potentissimus, omniscius, & immensus repræsentatur, ea utique hoc fit ratione, ut cultu, & honore Ip-

Ipsius excellentiam prosequamur, ut in dubiis, & adversis ad Ipsius potentiam confugiamus, atque in ipsa spem omnem præsidii nostri collocemus. Non alios sane Divinæ sapientiæ fines fingere possumus.

QUAESTIO II.

Quis sit Author Hymni *Te Deum laudamus*?

ARTICULUS I.

Quamquam non esset omnino, & absolute certum, est tamen probabilissimum Sanctos Præsules Ambrosium, & Augustinum ejusmodi Hymnum composuisse.

QUia a communi, & pervetusta traditione, quæ sanctis illis Patribus dictum Canticum attribuit, minime recedendum videtur, donec quis gravibus, & validis argumentis abinde non dimoveatur. Porro piam hanc persuasionem a Recentioribus quibusdam Criticis impugnatam communem esse traditionem patet *1mo* ex Breviario Romano, Ambrosiano, & Monastico. *2do.* Hanc traditionem esse perantiquam *fatentur Pagius ad A. C. 388. & Mabillonius Dissert. de azimo c. 6.* *3tio* liquet ex M. SS. Psalmorum, quem Carolus Magnus misit ad Hadrianum Papam procul dubio ipso Carolo Magno vetustiorem, & pretio antiquitatis æstimandum, non futurum alioquin do-

num Regium, & tanto Imperatore dignum: in hoc ergo antiquissimo M. SS. cujus authographum asservatur in Bibliotheca Cæsarea extat Canticum istud cum hac epigraphe: *Hymnus, quem S. Ambrosius, & S. Augustinus invicem condiderunt.* Eumdem hunc titulum præfert etiam in libris Alcuini, qui Ven. Bedæ, & Egberti discipulus fuit, & ejusdem Caroli Magni Præceptor. Est quoque tempus, quo Sanctis illis attribui cœptus est, immemorabile: igitur in antiqua hac, communique traditione standum est, maxime cum valida non suppetant argumenta, ut videbitur, quæ falsitatis eam revincerent.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt, Ignotum esse Authorem dicti Hymni, quod colligunt ex antiquioribus M. SS. in quibus neque Ambrosio, neque Augustino appropriatur; nam in Vaticano Psalterio inscribitur: *Hymnus S. Sisebuti.* In Breviario Aniciano: *Hymnus S. Abundii.* In altero Psalterio Gallico adscribitur S. Nicetio, & apud Edmundum Martene Hilario Pictaviensi.

Repono. S. Sisebutus Monachus fuit Cassinensis, floruitque A. C. 1082. Et S. Benedictus in Regula scripta circa A. C. 506. præcipit, ut *post quartum Responsorium incipiat Abbas Hymnum*

Te

Te Deum laudamus. Itaque ante S. Benedicti Ordinem notum jam erat, & Ecclesiæ usu probatum hoc Canticum; quomodo ergo illius Author S. Sisebutus existit? Nullus ergo Monachus Cassinensis, ut fatentur Patres Maurini, Hymni istius Author erat. Sed neque Hilarius Pictaviensis, neque S. Abundius, aut Nicetius, pro quibus vix stat unius Manuscripti, nec antiqui testimonium. Fieri quoque facile potuit, quod aliis permultis Veterum monumentis accidit, ut inter aliorum opera Amanuensium incuria Hymnus iste collocatus fuerit, aut forsitan fini appositus sit in gratiarum actionem.

II. Inquiunt, Hanc opinionem invaluisse ex solo Chronico S. Datii Mediolanensis, qui floruit sub Justino Imperatore: hoc autem opus suppositititium est, nam perducitur usque ad A. C. 1067. Iisdem item verbis eadem narrantur apud Landulphum Tugrensem.

Repono. Negando hanc opinionem fundari in solo Chronico Datii, nam teste eruditissimo Mabillonio Benedictini Ordinis, non in solo Chronico Datii, sed etiam in pervetusto Psalterio Caroli Magni Canticum istud adscribitur SS. Ambrosio, & Augustino. Præterea Chronicon Datii non esse supposititium testis est Mabillonius, qui refert id citari nomine Datii tum apud Paulum Diaconum lib. 16. *hist. miscell.* tum apud Anastasium in vita Silverii. Deinde, ait Mabillonius, etiamsi Chronicon istud esset ævi recentioris, non

ta-

tamen statim respuendum esset, quidquid in illo continetur, cum Author quiscunque sit, potuerit id ex veteribus monumentis accipere. Id, quod additur, nihil evincit, quia Datiano Chronico aliqua accesserunt additamenta, uti etiam contigit Eusebii Chronico, quod ille perduxit usque ad annum æræ vulgaris 326. & S. Hieronymus ad annum 379. Libri enim Annalium in dies crescunt, & in unum corpus nonnunquam nectuntur. Ad id, quod ultimo loco ponitur, ajo, cum recentiores Chronologi exscribant, aut in epitomen redigant historiam antiquorum, nihil mirum esse, si in Landulpho aliqua occurant, quæ sub nomine Datii alibi reperiuntur.

III. Inquiunt. Hymnum istud non esse editum in forma Dialogi; itaque ab uno Ambrosio, non item ab Augustino compositus est.

Repono. Hymnum istum non fuisse more Dialogi texendum, cum non sit mutuum Ambrosii, & Augustini colloquium, sed utriusque Oratio gratiarum actoria. Cæterum recte Ambrosianus vocatur Hymnus, si vel ex parte sanctissimum Antistitem habeat Authorem, ab eoque dicatur inchoatus.

IV. Inquiunt. Versiculus Cantici: *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ*, aliter legitur tam in Psalterio Ambrosiano, quam apud S. Augustinum, ut *observat Lorinus in Psal. 27.*

Re-

Repono. Non raro deprehendi longe aliter Ambrosium, & Augustinum legere textum Psalmorum, quam sit in Ambrosiano Psalterio; unde nihil obstat, quod in Hymno legatur *hæreditati tuæ*, & in Psalmo *hæreditatem tuam*, quæ sane minima est discrepantia.

QUAESTIO III.

Quid de Trisagio, quo tres Divinæ Personæ laudantur his verbis: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis miserere nostri? Et quid de additione eidem per Petrum Fulonem facta?

ARTICULUS I.

Origo Trisagii.

NArrat Menologium Græcorum sub imperio Theodosii die 24. Septembris vehementissimo terræ motu Constantinopolim fuisse concussam: Imperatorem una cum Proclo Patriarcha, & populo universo ad implorandam Dei opem confugisse: puerum repente in aera sublatum; cumque omnes metu perterriti exclamarent *Kyrie eleison*, puerum in terram descendisse, atque alta voce populum monuisse, ut Trisagium caneret ad hunc modum: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis &c.* Vix ea locutum repente mor-

mortuum concidisse. Devota hæc Oratio in Ecclesia Orientali frequentissime usurpatur. Occidentalis vero Ecclesia ea utitur præcipue feria sexta in Parasceve, latine, ut propriam suam linguam adhibeat, græce, ut alludat huic Constantinopolitano eventui. *Vide Goar in notis ad Rituale Græcorum pag. 109. edit. Venet. anno 1730.*

ARTICULUS II.

Reprobatur additio Petri Fullonis.

PEtrus Fullo, ut inveheret hæresim Theopaschitarum, qui naturam Divinam passam in Cruce falso affirmabant, hæc verba Trisagio addidit: *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.* Quæ additio, utpote hæresim olens a Catholicis fuerat reprobata. Cum autem ea Armeni usque ad sæculum undecimum uterentur, *a Gregorio VII. epist. 1. lib. 8. moniti sunt*, ut eam omitterent. *Clausulam* (inquiebat Summus ille Pontifex) *quam in illa Laude subjungitis : Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis: istam videlicet:* Qui crucifixus es pro nobis; *quoniam nulla Orientalium præter vestram, sed nec sancta Romana Ecclesia habet, vos totius scandali occasionem, pravique intellectus suspicionem vitantes, superaddere de cætero omittatis.* Armeni, etsi Decretum hoc Gregorius VII. edidisset, eadem verba in Trisagio retinuisse videntur.

Cum

Cum Deinde de concilianda inter eam gentem, & Romanam Ecclesiam communione, & pace ageretur, inter cætera dubia illud in Congregatione de propaganda fide die 30. Januarii A. C. 1635. propositum fuit: „ An Trisagio, quo „ utuntur Armeni, possit addi: qui pas- „ sus est pro nobis? *Et rescriptum fuit:* „ Congregatio negative respondit: nam „ in Liturgia Armenorum decantato „ Trisagio in honorem Sanctissimæ Tri- „ nitatis, adduntur prædicta verba se- „ cundum Theopaschitarum hæresim „ damnatam in Concilio Romano sub Fe- „ lice Papa. Et licet in alio loco ad „ personam Filii Trisagium applicetur, „ nihilominus Trisagium ab Angelis tra- „ ditum, & in honorem, & glorifica- „ tionem Sanctissimæ Trinitatis decan- „ tari solitum, non videtur posse for- „ maliter attribui Christo Domino, uti „ scilicet tantum Personæ ejusdem San- „ ctissimæ Trinitatis. Nec valet, id fuis- „ se concessum Maronitis; quia alio mo- „ do in eorum libris Hymnus glorifica- „ tionis prædictus concipitur: & non „ fuit etiam ille modus expresse a Sede „ Apostolica approbatus.

QUAE-

QUAESTIO IV.

Utrum nefandum Idololatriæ scelus ad Ante-Diluvianos extendi possit?

PRAENOTIO.

I. VIx Mundus ob enormia crimina diluvio extinctus videbatur, mortales a stirpe sancta avulsi, novos sibi mores, ac instituta pro arbitrio condiderunt, ac contra Dominum zelotem æmulorum statuerunt inania Deorum. *Sed primi omnium* (ait Lactantius lib. 2. Divin. instit. c. 14.) *qui Ægyptum occuparunt - - - - portenticas animalium figuras, quas colerent, commenti sunt.* Neque erat ulla Natio tam stulta, cui Numina plane in hortis crescerent, sicut Ægyptiis, allia, cepe, porri, &c. Præ cæteris pestilentissima hæc lues Græciam infecit, quæ fœcundissima Deorum genitrix semper habita fuit, totque Numina sibi colenda finxit, ut ingens volumen vel referendis solis nominibus non sufficeret, quorum alios Cœlis, alios terris, alios inferis præfecere. Ipsa Roma Orbis Domina, sed & falsorum Deorum Hera, *cum omnibus pene gentibus* ut loquitur S. Leo Magnus serm. 1. in natali Apostolorum) *Dominaretur, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi assumpsisse Religionem videbatur, quia nullam respuebat falsitatem.* Hinc nullæ ibi erant scientiæ, nullæ artes, nullæ res creatæ, quæ

suum

ſuum non haberent Numen propitium, quod colerent, & adorarent, adeo, ut teſte S. Auguſtino tot Deos, quot muſcas Romani numerarent.

II. Sunt, qui cum Hieronymo Prado in c. 8. Ezechiel. primum idololatriæ Authorem ſtatuunt Synophanum Ægyptium, quem filio ſuo demortuo primum idolum erexiſſe non levi adſtruunt fundamento, hucque autumant reflexiſſe ſacrum hagiographum, dum Sap. 14. ℣. 15. ait: „ Acerbo enim luctu dolens pater cito ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, „ qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, „ nunc tamquam Deum colere cœpit. „ Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine hic „ error tamquam lex cuſtoditus eſt. „ Alii Nembrodum ſceleris hujus primipilum arbitrantur. Alii cum S. Hieronymo in c. 2. Oſee, Ninum putant idololatriæ parentem. Non ego id ago, ut unum ex his determinem, vel concordiam diſcordiæ procurem, inquiram ſolum, an idololatriæ origo ab Ante-Diluvianis repetenda? pro quo ſit



ARTICULUS I.

Adducuntur graves conjecturæ idololatriam ante diluvium viguisse.

I. SAp. c. 14. ℣. 12. habetur: *Initium fornicationis est exquisitio* (id est excogitatio) *idolorum, & adinventio illorum, corruptio vitæ.* Igitur idololatria præambula est ad fornicationem, & corruptionem morum vitæ, invehitque libidines, ebrietates, & omnium scelerum colluviem; id firmatur per S. Ambrosium in c. 1. ad Rom. *Idololatræ Deum injuriosum colentes, atque per hoc negligendum magis hebetati sunt, ad omnia mala facti promptiores.* Siquidem magnum frenum scelerum est hominibus metus magni Numinis, ne ab eo pro meritis castigentur, quo per idololatriam ablato laxantur idololatræ frena, cupiditatibus præcipitatur in omnia flagitia; quis enim timebit idola lignea, ac muta, vel quam vindictam ab iis expectabit scelerum illorum, quorum patroni, fautoresque ceu Numina adorantur?

Jam vero quanta apud Ante- Diluvianos regnaverit libido, quantaque fuerit illorum vitæ corruptio facer Codex Gen. c. 6. consulatur: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ - - - corrup-*

rupta est autem terra coram Domino, & repleta est iniquitate. Cumque vidisset Deus, terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me, impleta est terra iniquitate a facie eorum. Vides effectum idololatriæ, de causa Divino afflatu insinuata ne dubites. Et hoc tanto certius, quia etiam D. Paulus eamdem impudicitiæ, & avaritiæ Gentilium a vero Numine alienationem prætendit causam, dum ad Ephes. 4. ℣. 17. & seqq. ait: *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut non jam ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes*, id est, fide destituti, *semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.* Scio fornicationem, quæ secum inducit commessationes, ebrietates, rixas, cœdes &c. non semper idololatriam præhabere, interdum enim ab ea producitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 94. a. 4. ad 1. Sed scio etiam aptiorem, & validiorem causam ad tantam morum corruptionem inducendam idololatria vix inveniri, quæ juxta S. Ambrosium cit. mentem præprimis hebetat, redditque homines ad omne malum, ad terram iniquitate replendam promptiores.

II. Supponatur, quod non scelus idololatriæ, sed alia ratio antediluvianæ universæ carnis corruptionem causaverit, certe ipsa corruptio naturaliter

liter quasi oblivionem veri Dei, ac idololatriam induxit, fuitque causa diluvii, ut *docet Tertullianus lib. de idololat.* Si enim hæc longe minor saltem in quibusdam Gentibus postdiluvianis idololatriam invexit, *ut asserit Cyrillus Alexandrinus lib. 4. contra Julianum*, utique longe major, ac universalis vitæ, & morum corruptio majoris efficaciæ esse debuit.

III. Plinius lib. antiquæ Bibliothecæ testatur jam tempore Tubalcami cœpisse homines sculptilia efformare, eademque adorare. Hebræi in Genesi magna ad c. 4. Gen. tradunt tempore Enos idololatriam exordium sumpsisse, cui sese opposuit Enos publico cultu Deum primo invocando, prædicando, certasque Leges, cæremonias, ac precum formulas adhibendo. Hæc & alia unitim sumpta vehementem accendunt suspicionem, conjecturam plus quam probabilem ingerunt, idololatriam apud Antediluvianos viguisse.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt Critici: Recentior ante diluvium Mundi creationis memoria erat, ex qua adhuc vigebat cognitio Unius, ac veri Dei in mente hominum, non ergo videtur idololatriæ tunc fuisse occasio.

Repono. Adeo recentem creationis per annos mille sexcentos quinquaginta continuos memo-

moriam, quam beneficii eductionis ex pressione ægyptiaca paulo ante a Deo Judæis præstiti inter portenta, & signa, nemo persuadebit, attamen hi ex medio beneficiorum Divinorum elapsi ad vitulos aureos confugientes clamabant: *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Exod. 32. ℣. 4. Quidni & circa finem saltem primæ Mundi ætatis clamare poterant? *Ipsi fecerunt nos.* Etsi memoria adeo recens Unius, & veri Numinis per tot annorum spatium a creatione Mundi usque diluvium idololatriam exclusit, quid est, quod memoria severæ punitionis diluvianæ id non præstiterit? forte punitio minus, ac creatio valuit ad testimonium de Deo vero reddendum?

Sed videamus in Antediluvianis Gigantibus recentem, & humilem veri Numinis cognitionem. Baruch. c. 3. ℣. 26. ait: *Ibi fuerunt Gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt, staturosi, scientes prælium. Non hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit illis, & interierunt, quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter inconsiderantiam.* Quam *scientiam*, quam *sapientiam*, nisi veri Numinis? propter quam *inconsiderantiam*, nisi, quia, cum homines essent corruptibiles, viribus suis confidentes se Deos fecerunt? De his enim loquitur Ecclesiasticus c. 16. ℣. 8. *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui Gigantes, qui destructi sunt confidentes virtuti suæ.* Ad rem Tigurina. *Implacabilis Deus fuit Gigantibus, qui ob potentiam suam stultam ab eo defecerunt.* Profecto ex Gigantibus

contra Dominum in sua fortitudine rebellantibus Græcorum fabulandi libidinem a Titanibus Jovem in cœlo oppugnatum, verosimilius apparet commentam.

II. Inquiunt: Cyrillus Alexandrinus lib. 4. contra Julianum ita de Antediluvianis gloriose prædicat: „ Homines sane, qui ab Adam „ usque ad Sem fuere, Deum omnium „ naturæ, & vere universorum Condi„ torem, & Dominum coluerunt; nul„ lus enim eorum vexatur, quod Diis „ alienis fuerit deditus, vel dœmonibus „ obtulerit. Ast post diluvium, & con„ structionem Turris, & linguarum di„ scretionem etiam de Deo indignam ha„ buerunt opinionem, qui per univer„ sam terram dispersi erant. *Et lib. 3. contra eumdem versus finem:* „ In sacris autem „ Litteris nullum omnino invenimus, qui „ per illud tempus usque ad Noe ab il„ lo decimum idololatriæ crimini fuisset „ implicatus. Accusantur enim de aliis „ delictis, & pereunt non frustra in di„ cto diluvio. *Clemens Romanus lib. 1. recognitionum ait:* „ Quarta decima generatio„ ne ex maledicta progenie Cham qui„ dam propter artem magicam primus

„ aram

„ aram ſtatuit dœmonibus honorem ſan-
„ guinis litans. *Aquinas Angelicus 2. 2. q. 94. a. 4. ad 2. proteſtatur*, quod in prima æ-
„ tate non fuerit idololatria propter re-
„ centem memoriam creationis Mundi.

Repono ad primum. S. Cyrillum, & alios probabilius intelligendos eſſe de idololatria, quæ ſit vel ex ſacris Paginis, vel aliis hiſtoriis evidenter nota, ut ſe ipſum *declarat S. Cyrillus loco ex lib. 3. objecto.* Nec enim Scriptura, nec ulla hiſtoria (ſi Traditiones Judaicas exceperis) clare aſſerit, idololatriam viguiſſe ante diluvium, quamquam ex ſignis, & conjecturis valde probabiliter conjicere liceat contrarium, imo fuiſſe cauſam diluvii, ut diſſerte docet Tertullianus ſupra allegatus. Imo S. Cyrillus cum poſt pauca a citatis lib. 4. rationes idololatriæ poſtdiluvianæ addat ſequentes : *Mentem enim a veritate abducentes, & eam temporalibus, & terrenis negotiis, atque adeo corporis voluptatibus mancipantes, abſurdi, omnibus noxii fiebant, & quodamodo diſtribuebant inter ſe, qui nullos Deos dicebant, crimina*, easdem rationes multo magis invaluiſſe ſciebat apud Antediluvianos, qui *edebant, & bibebant, uxores ducebant, & ducebantur ad nuptias uſque in diem, qua intravit Noe in Arcam.* Luc. 17. ℣. 27. Non ergo idololatriam ſimpliciter negare voluit, vel potuit.

Alterum, quam leve negotium faceſſat, compertum eſt Criticis peritioribus, qui uno quaſi o-

re respondent: Libros decem recognitionum ad S. Jacobum Apostolum, qui incipiunt: *Ego Clemens in Urbe Roma.* Suppostitios esse, erroneeque S. Clementi Romano attribui; tales enim æstimantur a S. Hieronymo in Catalogo Script. Eccles. Epiphanio hæresi 33. quæ est Ebionitarum, & aliis, qui opera Clementis ad criticum examen vocarunt. Nec sine urgenti ratione; multa enim in hisce libris incerta, fabulosa, aliqua dogmaticis veritatibus contraria reperiuntur, ut advertit Sixtus Senensis. Complura etiam sub persona S. Petri ex intima Platonis, & Aristotelis Philosophia referuntur, quæ a S. Petro prolata nulla ratione suaderi possunt. Postremo opus illud recognitionum idem est, ac illud, quod vulgo *Itinerarium S. Petri* dicitur, quodque Gelasius Papa in Concilio Romano in suo Decreto apocryphum esse declarat. Authoritates itaque ex hoc opere decerptæ peritum movere non possunt.

Nec Doctor Angelicus vehementer urget, presse enim in quæstionibus *facti* Scripturistici adhæsit Scripturæ vestigiis, criticis vix delectatus, ut ipse Natalis Alexander moderatus, attamen fidelis Angelici Præceptoris discipulus iterum, iterumque in sua historia ecclesiastica testatur. Rationem recentis Numinis memoriæ vix ipse Angelicus pro integra prima ætate valere voluit: notum enim erat illi, sicut & compertum est omnibus Ascetis, supremi Numinis memoriam validum

con-

contra ſcelera quæcunque remedium fore, quod ſi in Antediluvianis adeo ſemper floruiſſet, quomodo omnis caro viam ſuam corrupiſſet?

QUAESTIO V.

Utrum, & qualiter ſit adorandus Chriſtus Deus-Homo?

ARTICULUS I.

CHriſtus quatenus Deus-Homo debet unica adoratione adorari, ita, ut ejus Humanitas, prout hypoſtatice unita Verbo Divino adoranda ſit eadem adoratione *Latriæ*, quâ Ejus Divinitas adoratur, non quidem per modum objecti *motivi*, ſed *terminativi*.

I. Chriſto ſiquidem omne genu flecti debet, & omnis honor impendi, quia JESUS eſt, & quia AGNUS: *Ut in nomine JESU omne genu flectatur.* ad Philip. c. 2. ℣. 10. *Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno.* Apocal. c. 5. ℣. 8. Atqui nec JESUS, nec AGNUS eſt tantum penes Divinitatem, ſed maxime penes Humanitatem, cujus vita oblata, & mactata eſt in pretium noſtræ redemptionis: igitur Humanitati ejus qua unitæ Verbo Latriæ cultus concedendus eſt. Clarius hæc veritas *apparet ex Matth. c. 28. ℣. 9.* ubi de mulieribus ad Chriſti ſepulchrum accedentibus dicitur: *Et ecce JESUS occurrit illis dicens: Avete.*

Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes Ejus, & adoraverunt Eum. Cum autem actus ille detentionis, seu osculi pedum sit externa adoratio interioris adorationis significativa, & illa versetur circa corpus & pedes Christi, certum est eas sic tenentes Christum, etiam Humanitatem ejus adorasse. Idem præstitit S. Thomas Apostolus Joan. c. 20. ℣. 28. cum ait Christo: *Dominus meus, & Deus meus.* Quibus verbis confitebatur Christum esse Deum, & Hominem, eumque a mortuis revera suscitatum esse profitebatur; ac subinde eum ut Deum, & Hominem adorabat; nam illa professio fuit actus insignis cujusdam fideì, quæ proinde actum adorationis sibi comitem habebat, præsertim cum Christus esset præsens: igitur S. Thomas non solum Christi Divinitatem, sed & Humanitatem censendus est adorasse.

II. Legatur Concilium Constantinopolitanum II. Generale V. quod Can. 9. ita pronunciat: *Si quis - - - - non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Ecclesiæ Dei traditum est, talis anathema sit.* Hinc est, quod Cyrillus lib. I. de fide ad Reginas affirmet: *In Christo non esse unam naturam, quæ adoretur, & aliam, quæ non adoretur, sed unam Verbi naturam incarnatam adorabilem cum carne sua una adoratione.*

III. Adorare Humanitatem Christi secundum sermonis proprietatem, non est aliud, quam adorare

rare Dei Verbum caro factum, humanatum, incarnatum: adoratio autem, quæ Divinæ exhibetur Personæ, est illa ipsa, quæ Deo debetur, ac proinde unica, eaque summa, nempe *Latria*, Deinde ut aliquod totum sit dignum adoratione, satis est, quod in tali toto, ut adorato sit aliqua ratio *motiva* adorationis ipsi exhibendæ, nec requiritur, ut illa *motiva* ratio reperiatur in singulis ejus partibus: dum enim hominem honoramus propter illius sapientiam, totum illum hominem colimus, ac ille secundum se totum est objectum *terminativum* talis honoris, quamquam sapientia, quæ est ratio *motiva* ad exhibendum tali homini honorem in solo intellectu *formaliter* reperiatur; ita quoque,.cum Christus sit aliquod totum constans Divina Natura, Verbi Subsistentia, & Humanitate, in quo toto Natura Divina, & Persona Verbi propter suam infinitam, & increatam excellentiam sunt rationes *motivæ*, ut Christo *Latriæ* cultus exhibeatur, consequitur, quod Christus ut Homo, seu subsistens in Humanitate *Latria* adorari debeat, & ita Humanitas, ut subsistens Subsistentia Verbi, & ut hypostatice unita Deo adorari debet eadem adoratione, qua Christi Divinitas adoratur Est quidem Humanitas quid creatum, sed ubi suppositatur a supposito Divino, hoc adorato adoratur concomitanter & suppositatum, cum sit aliquid suppositi, licet suppositum *primario*, & *directe*, suppositatum vero *secundario*, & *indirecte* adoretur.

AR-

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt: Humanitas Christi etiam ut Verbo unita non est Deus: igitur *Latriæ* cultu colenda non est, cum ejusmodi cultus soli Deo conveniat.

Repono. Cum Christi Humanitas ut unita Verbo non habeat distinctam personalitatem a Divina, potest eumdem cultum terminare, quem terminat Deus; & ita licet illa objectum *motivum* (quale est solus Deus) *Latriæ* esse non possit, potest tamen esse *terminativum*. Nec dicant; quod Christi Humanitas Divinitate sit inferior, minori autem minor reverentia exhibenda est. Non dicant, *ait quippe D. Bonaventura in 3. dist. 9. q. 1. n. 5.* Id verum esse in eo tantum casu, quando honores exhibendi ordinantur ad diversas personas gradu, & dignitate distinctas, falsum autem, quando unica tantum est persona: igitur cum in Christo una sit persona, cui summa reverentia debetur, sicut honor debetur Regi quacunque veste sit indutus, honor enim, inquit, naturam respicit digniorem, & per consequens illud, quod est annexum ei: sic caro viri Sancti honorari debet secundum dignitatem animæ, non secundum ignobilitatem propriæ naturæ.

II. Inquiunt: Christus secundum naturam humanam adoravit, ut *patet ex illo Joan. c. 4. ℣.*

22.

22. ubi Servator dixit ad Samaritanam : *Nos adoramus, quod ſcimus*; illius autem non eſt adorari adoratione *Latriæ*, cujus eſt adorare. Répono. Quamvis Humanitas Chriſti adoraverit, exinde tamen minime ſequitur eandem adorabilem non eſſe: nam adorabat ſecundum operationes, & ſtatum Humanitatis, qua minor eſt Patre: adoratur vero ſecundum dignitatem Divinitatis, & Perſonæ, ſecundum quam eſt æqualis Patri: nos autem, qui ipſam adoramus, non debemus attendere ad ejus Humanitatis inferioritatem, ſed ad Perſonæ, & Divinitatis dignitatem, & majeſtatem.

III. Inquiunt : Sacrificium, quod eſt principalis ſpecies *Latriæ*, non offertur Chriſto, qua Homini, docente S. Auguſtino lib. de civ. Dei c. 20. *Chriſtus maluit Sacrificium eſſe, quam ſumere.* Repono. Licet Humanitati Chriſti non ſit ſacrificandum, quatenus ſecundum ſe conſideratur: attamen revera ei ſacrificari poteſt, prout eſt Divinitati conjuncta, quia toti Chriſto ſacrificari poteſt, cum ſit revera Deus. Ad S. Auguſtinum ajo: eum non negare, quod Chriſto debeat ſacrificari, ſed id non eſſe practice faciendum, ut vitetur occaſio erroris, & ne forte aliquis exiſtimet honorem ſupremo Numini debitum creaturæ impendi.

IV. Inquiunt : Chriſti humanitas etiam ut unita Verbo Divino non poteſt eodem amore diligi, quo diligitur Deus, neque enim Chriſtus

qua

qua Homo, neque ejus Humanitas amari potest super omnia: igitur nec eadem adoratione adorari debet. Repono. Christum secundum se totum spectatum revera amari posse super omnia, quia habet bonitatem, & excellentiam infinitam sibi conjunctam, ratione cujus amari potest super omnia objecta, quæ ejusmodi bonitatem, & excellentiam infinitam non habent. *Audiatur Scotus in 3. dist. 9. quæst. unica n. 10.* Ubi cum proposuisset varios modos, quibus concedi, vel negari posset, quod Christus sit super omnia diligendus, ait: Si dilectio tendere potest æque confuse in objectum, sicut adoratio; potest concedi, quod Christus habens naturam humanam sit summe diligendus, licet natura humana non sit ratio summæ diligibilitatis, neque etiam unio naturæ humanæ ad Verbum qualitercunque sit: sicut Trinitatem adoramus una adoratione, & diligimus una dilectione non excludendo proprietates personales ab Essentia, quæ tamen proprietates non sunt formaliter infinitæ: ita etiam tutum est in adoratione non nimis distinguere naturam illam creatam a Verbo, sed Verbum subsistens in duabus naturis adorare: & ita Verbum habens naturam hnmanam potest summe diligi, licet ipsa natura summe non diligatur, neque etiam summe diligitur unio naturæ ad Verbum, quæ est creatura.



QUAE-

QUAESTIO VI.

Quis cultus competat Humanitati unitæ Verbo, ſed conſideratæ præciſe ſecundum peculiarem ſuam excellentiam, & dona ſupernaturalia, quibus illuſtratur?

ARTICULUS I.

HUmanitas Chriſti mentaliter præciſa a Verbo, & in ſe conſiderata poteſt coli cultu hyperduliæ ob perfectiones creatas intrinſecas.

Ratio eſt; quia excellentia Humanitatis taliter ſumptæ præſcindit ab unione cum Verbo, ratione cujus ipſi debetur cum Verbo *Latria*, & tantum involvit excellentias ſupernaturales creatas gratiæ ſanctificantis, virtutum, donorum, ſcientiarum, & quidem in gradu excellentiſſimo, vi quarum meretur cultum majorem, quam quævis alia creatura: conſequenter hyperduliam.

ARTICULUS II.

Solvitur Objectio.

INquiunt: Non poteſt apprehendi Humanitas Chriſti cum ejusmodi creatis excellentiis, quin pariter Verbum apprehendatur, nec enim illa Humanitas concipi poteſt, quin concipiatur ut Humanitas Chriſti, ut ſic autem apprehenſa neceſſa-

rio

rio concipitur ut unita Verbo, & ut habens ab eo omnimodam suam excellentiam: igitur honorari non potest hyperdulice ob proprias excellentias, sed adoratur *Latria*, qua Verbum adoratur.

Repono, Licet illa Humanitas non possit perfecte, & complete intelligi Humanitas Christi, quin concipiatur ut subsistens subsistentia Verbi, potest tamen conceptu præcisivo apprehendi secundum se, videlicet quatenus illa Humanitas est omnibus gratiis, & divinis charismatibus decorata, taliter autem apprehensa, & proposita per intellectum revera honorari potest; nam si Humanitas illa cum istis donis supernaturalibus non dicentibus ordinem necessarium ad ordinem hypostaticam conservaretur a Deo sine ullo supposito tam proprio, quam alieno, sic ratione donorum istorum supernaturalium esset honorabilis: igitur cum hæc Humanitas, & ipsius dona supernaturalia nihil suæ perfectionis, & dignitatis deperdant ex sui unione cum Verbo, nihil vetat, ne Humanitas sic apprehensa possit hyperdulice honorari.

Deinde, si illa Humanitas non posset seorsim a Verbo honorari, id maxime esset propter strictam illius unionem cum ipso Verbo; sed hæc ratio non obest; quia major est conjunctio, & unio Divinarum Personarum in Essentia Divina, quam sit Divinitatis, & Humanitatis in Persona Verbi; quia proprietates personales identificantur realiter cum Essentia Divina, natura autem hu-

humana non ita identificatur cum Persona Verbi, nec cum Divinitate, cui innititur; sed non obstante illa identificatione, personales proprietates sunt secundum se adorabiles, & una Persona potest adorari seorsim ab alia sicut & orari, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ in suis orationibus, & collectis interdum dirigit suas preces ad unam dumtaxat e Divinis Personis: igitur multo magis honorari poterit Christi Humanitas ut apprehensa seorsim a Verbo. Imo experientia constat nos aliquando Humanitatem Christi, vel ipsius Sanctissimam animam venerari, absque eo, quod cogitemus de Divinitate.

QUAESTIO VII.

In quo loco, & quali cultu Magi Divinum Infantem adorarint?

PRAENOTIO.

I. MAgi Philosophi erant astrorum scientiæ periti, verique Numinis cultores, quemadmodum Balaam, Job, & ejus amici (Legis scriptæ, rituumque Judaicorum licet ignari) Deum verum, omnium Arbitrum, & Dominatorem venerabantur. *Gens, quæ spectandorum syderum arte pollebat*, inquit S. Leo serm. 4. de Epiph. Et eruditissimus Serres in responsionibus ad Sandinum pag. 34. tradit Magos olim fuisse, hoc est Philosophos syderalis scientiæ peritos; unde ex hac

ſyderum cognitione, viſa ſtella in Oriente: *Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente*, Matth. c. 2. ℣. 2. *Dixerunt ad invicem: Hoc ſignum magni Regis eſt, eamus, & offeramus ei munera aurum, thus, & myrham.* antiph. ad Magnif. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam dicentes: ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare Dominum.* Matth. c. 2. ℣. 1. & 2.

II. Veroſimilius eſt ſydus illud, quod Magis iter monſtravit, Meteoron fuiſſe clariſſima luce corruſcans, quod Angelus in aſtri figuram formaverat, quodque ſuſpenſum in media aeris regione ab Oriente in Occidentem movebat, ut Magis iter monſtraret, uti de columna nubis narratur, qua Judæi deducti ſunt per deſertum; ſeu etiam aſtrum fuiſſe tunc primo creatum, non quidem in cœlo, ſed in aere non longe a terra, quod nutu Dei moveretur antecedendo Magos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer. Ita *ſentit S. Thomas 3. p. q. 36. a. 3.*

III. Etſi S. Matthæus de Magorum ſileat numero, qui tantummodo ait: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam*, tres tamen fuiſſe vulgare eſt apud Natalem Alexandrum hiſt. Eccles. ſæcul. 1. c. 1. a. 4. n. 3. Quod expreſſe tradit S. Leo ſermon. 30. in Epiph. c. 1. *Tribus igitur Magis in regione Orientis ſtella novæ claritatis apparuit.* item c. 2. *Sequuntur tres viri ſupremi Numinis ductum.* Quod confirmat ſerm. 32. de Epiph. c. 5. *Tres Magos - - ſtel-*

- - - - *stella perduxit.* Hæc opinio S. Leonis authoritati nixa suffragatorem etiam habet S. Maximum Taurinensem Episcopum in una ex ejus Homiliis: *Bene charissimi in uno itinere tres simul adoraturi veniunt Magi; quia in uno Christo Jesu, qui omnium credentium via est, inseparata ab eis erat Trinitas adoranda.* Imo sententiam de ternario Magorum numero in Ecclesia præcessisse S. Leonis ætatem desumitur ex inscriptione apposita tabulæ 22. tom. 1. in veteribus Romæ cœmeteriis inventæ, unde erutæ fuere imagines tum depictæ, tum sculptæ, quæ Romæ A. C. 1737. in lucem prodierunt. Inscriptio apposita sic sonat: „ Magorum deinde expressa apparet adoratio. Ubi illud potissimum observandum tres fuisse Magos ex veteri Ecclesiæ latinæ traditione, & juxta S. Leonis sententiam, qui primus Magorum numerum statuisse creditur, sed multo antea constantem in Ecclesia fuisse hanc opinionem ex eo manifeste colligitur, quod plures ex his depictis, sculptisque imaginibus Leonis ætate observaveris vetustiores.

IV. Nomina Magorum fundantur in pia traditione Ecclesiæ Coloniensis, quæ & Magos sub nominibus Melchioris, Balthasaris, & Gasparis veneratur, eorumque corporibus honoratur, quæ

Galesino in notis ad martyrologium pag. 13. cum aliis teste, Constantinopolim allata, inde Mediolanum evecta ab Eustorgio Episcopo, ibique in Basilica per ipsum ædificata, collocata, post sexcentorum septuaginta annorum Fidelium cultu honorata, amota illinc a Friderico Ænobardo, asportata dein fuere Coloniam a Reinoldo Episcopo. Si autem ab hac traditione præscindatur, nomina Magorum manent incomperta apud Authores præsertim Lamy harm. evang. l. 1. c. 11. pag. 45. §. *numerus Magor*. Unde a Tillemontio not. 12. in vit. Jes. Chr. existimante Magorum nomina duodecimo sæculo indagari cœpta, laudatur Baronius, quia in Annalibus hanc prætermisit quæstionem. Legitur præterea apud Bollandistas tom. 1. mens. Maj. p. 7. nullum Scriptorem Græcum, Latinumve fuisse, qui per tot sæcula usque ad Friderici Barbarossæ tempora, nomina nunc vulgata usurpaverit.

V. Magos Regia fuisse dignitate insignitos tradit Baronius ad A. C. 1. n. 30. ibi : *Hos igitur fuisse Reges dixerimus usitato more Divinæ scripturæ, quæ cujusque Oppidi Dominum Regem appellare consuevit, ut patet de quinque Regibus, quos Abraham armatis suis vernaculis debellavit.* Idem sentit Natalis Alexander hist. eccles. sæcul. 1. c. 1. a. 4. *Viros tamen potentes, & divites, Toparchas forte, vel Dynastas fuisse probabile est.* Cui consentit doctus Author adnotationum ad historiam vitæ, doctrinæ, & miraculorum Jesu Christi Urbini editam

A.

A. C. 1730. c. 7. lit. C. *Multi Interpretum Regiam illis tribuunt dignitatem, sed ex toto Evangelii contextu nihil amplius videtur extundi posse, quam, quod iis esset magna apud suos populares autboritas.* Tandem Gretserus tom. 5. edit. Ratisbon. lib. 1. de Festis c. 30. ad rem ita loquitur : *Adde, quod Regium nomen magnam latitudinem habet &c. neque enim necesse est, ut omnes, qui vel fuere, vel appellantur Reges, sint tanti, quanti Rex Hispaniæ vel Galliæ. Favet Scripturæ phrasis maxime in libro Josue, ubi Regis nomen illis tribuitur, qui hodie vix Principis nomenclaturam tueri possent.* Accedit, Herodem magnam habuisse Magorum rationem, qui nuntio Regis Judæorum nati accepto certe Magos quamprimum extra fines Regni sui ejici, vel maxime in carcerem detrudi, decapitarive jussisset; a qua quidem injuria abstinuit regia Magorum dignitate perterritus. Insuper Magi non nisi sua dignitate freti cum Herode ausi fuissent adeo libere colloqui. Plurimum etiam ad rem facit Ecclesia utens in Epiphaniæ Festivitate illo Davidis vaticinio Psal. 71. v. 10. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*, idque a priscis temporibus. Et quamquam textus ille, æque, ac Isajæ oraculum c. 60. ℣. 3. *Reges in splendore ortus tui* de Etnicis Regibus intelligantur, attamen Ecclesia vaticinia prædicta Magorum adorationi accomodans, satis aperte declarat, propensiorem se esse ad sententiam affirmantium Magos fuisse Reges. Eapropter *monet Melchior Canus lib. 11. de Loc. Theolog. c. 5.*

eum magnopere peccaturum in prudentiæ regulas, qui ætate nostra palam affirmaret Magos non fuisse Reges; concitaret enim in se, interque Fideles rixas, querelas, & rumores, cum populus Christianus contraria opinione a Majoribus accepta sit imbutus. Articulus tamen fidei non est, Magos fuisse Reges, cum de Regia dignitate nil scripserit S. Matthæus, nec Ecclesia quidquam definierit.

Nota, quod regiæ Magorum dignitati non obstet *1mo* silentium Evangelistæ. Satius enim fuit eorum sapientiam commendare sub Magorum appellatione, regia namque appellatio otiosa, Magorum vox opportuna. Nonobstat *2do*, quod Herodes parum honorifice Magos exceperit: *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renunciate mihi;* hoc enim aut Herodiano fastui, aut ebibitæ a Romanis superbiæ facile tribuendum. Non obstat *3tio*, quod Herodes cum Bethlehem non plus, quam sex passuum millia distaret a Jerusalem, tam sero resciverit, se a Magis fuisse irrisum, qui promissis minime stantes declinato Regis conspectu Judæa abierunt. Non obstat inquam, hoc enim Dei nutu factum credendum est, Divinoque Numini tribuendum videtur, Herodem multo serius, quam par erat, ad Magorum profectionem advertisse.

VI. Magos ex Arabia felice non plus, quam octo dierum itinere a Jerusalem distante venisse, sicque potuisse commode parare aurum, thus,

&

& myrrham, & alia itineri necessaria, & Jerosolymis aliquantulum immorari, ostendit Petrus de Marca opusculo de adventu Magorum a Baluzio edito, & ad id præsertim adhibitis pro itinere juxta Isaiæ oraculum velocissimis dromedariis, ut recte advertit Baronius ad A. C. 1. n. 34. inquiens: *Quod quidem haud mirum videri debet, si ex Arabia Judæam adjacente, quod superius demonstravimus, advenisse dixerimus, & ut Propheta prædixerat, ad celeritatem itineris dromedariis usos fuisse, quos velociores esse ad cursum equis nisseis Aristoteles tradit.* In idem *consentit Tertullianus. lib. adversus Judæos c. 9. & lib. 3. contra Marcion. c. 13.* Davidica illa afferens verba Psal. 71. ℣. 15. *Et dabitur Ei de auro Arabiæ.* Et illa Psal. eodem 71. ℣. 10. *Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Ex hoc forte apud S. Justinum martyrem dialog. cum Tryphon. Arabum nomen Magi sunt sortiti. Accedit. Arabiam Felicem ad Judææ Orientalem plagam positam esse, & S. Matthæum scripsisse, Magos ab Oriente profectos, ejusque Regionis munera aurum, thus, & myrrham attulisse. Denique *testatur Grotius tom. 6. Crit. sacr. pag. 71. & 72.* ad ea S. Matthæi verba *ab Oriente* vetustissimam fuisse apud Christianos opinionem ex Arabia Magos ad Christum adorandum venisse.

VII. Communis est sententia tredecim a Nativitate diebus, id est, sexta Januarii Magos venisse ab Oriente, & Infantem Jesum adorasse. *Videatur D. Thomas 3. p. q. 36. a. 6. Suarez 3. p.*

tom. 2. q. 36. a. 3. disp. 14. sect. 4. Theophilus Raynaudus tom. 7. in opere, quod inscribitur: *Diptycha Mariana*, & alii. Et fundatur hæc opinio in eo, quod Occidentalis Ecclesia non nisi sexta Januarii adorationis mysterium, adventus Magorum constantissime semper celebraverit, neque ulla gravis, & solida ratio occurrat in oppositum.

VIII. Nonnulli occasione verborum S. Matthæi c. 2. ℣. 11. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus*, arbitrati sunt, Neo-natum Servatorem non in spelunca natalitia fuisse a Magis repertum, ibique adoratum, sed in domo quadam, in quam Parentes cum infantulo commoditatis gratia diverterint, ita Epiphanius lib. 2. contra hæreses hæres. 51. n. 9. tom. 1. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria non in præsepi, vel in spelunca, sed in domo.* Et Theophilactus in Cap. 2. Matth. quem sequitur Maldonatus in Comment. ad eumdem locum, inquiens: *Mysterio jam erat satisfactum. Necessitatem cessisse credendum est, & Mariam, aut Joseph omni diligentia commodiorem locum quæsivisse suadet ipsorum pietas.* Hæc sententia multum videretur habere probabilitatis, si quis cum Epiphanio, & Calmeto sustineret, Magos biennio post Jesu Christi Nativitatem Bethlehem ad eum adorandum venisse, quis enim crederet Beatam Virginem tamdiu in tam incommodo loco permanere voluisse, quæ non ex alio fine videtur secessisse, nisi, quod, cum paritura esset, frequentissima hominum multitudine

om-

omnia Bethlehemi loca replerentur. At vero; quia communis fert opinio, non tanto post tempore, sed transacto tantummodo tredecim dierum spatio Magos Bethlehem adorationis causa appulisse cohærenter credendum est, in præsepi, & non in domo puerum inventum, & adoratum fuisse. Quare ponitur

ARTICULUS I.

Verosimilius est a Magis Divinum Infantem non in domo aliqua, sed in spelunca, seu caverna fuisse adoratum.

I. STat pro hac sententia D. Hieronymi authoritas, qui diu loca illa Redemptionis nostræ mysteriis consecrata incoluit, epist. 47. alias 17. ad Marcellam n. 10. *Ecce in hoc parvo terræ foramine Cœlorum Conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis.* II. Quaresmius elucid. Terræ sanctæ tom. 2. c. 7. lib. 6. hæc scribit: *Cæterum communis ante proposita sententia retinenda est, quæ asserit Christum nedum esse in specu natum, sed etiam in eodem a Magis adoratum.* III. Cornelius a Lapide in cap. 2. Matth. ℣. 2. etiam in eam sententiam videtur propensior, quæ statuit Jesum Christum in præsepi a Magis repertum esse: ait enim, Bethlehemi, quæ parva Civitas erat, unicum patuisse viatoribus publicum diversorium, cui veluti appendix in usum equorum,

jumentorumque stabulum jungebatur; itaque S. Matthæum *domus* nomine, quo Magos introisse narrat, præsepe, seu stabulum, quod domus erat appendix, significare voluisse. Certum præterea est, quod apud Hebræos quilibet locus, etiam volucrum nidus *domus* nomine appelletur juxta illud Davidis Psal. 103. ℣. 18. *Herodii domus*, quod idem est, ac dicere ciconiæ nidus; idcirco non obstat vocabulum *domus*, quo Evangelista utitur.

ARTICULUS II.

Magi Christum cultu religioso *Latriæ*, non solo cultu civili adorarunt.

I. PAtet ex S. Matthæo c. 2. ℣. 11. *Et procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.* In quæ verba ita scribit Cornelius a Lapide: „ Erasmus censet Magos non cognovisse Christum esse Deum; ideoque non *Latria*, sed cultu civili eum ut Regem Judæorum adorasse, id est, veneratos esse. Verum contrarium docent Patres, & Interpretes, scilicet Magos instinctu Dei agnovisse Christi Divinitatem, eamque Latria adorasse; ideoque ei thus, quod soli Deo debetur, obtulisse. „

II.

II. Patet ex munerum qualitate Magos Christi Divinitatem agnovisse, eumque Latria adorasse, cum primum enim Magi viderunt puerum Jesum, humi strati munera, eaque pretiosa illi obtulerunt, Orientalium morem secuti, qui non sine muneribus Reges adire solent, quemadmodum filii Jacob Josephum fratrem, & Regina Saba Salomonem allatis secum muneribus convenerunt, ut *legitur in Gen. c. 43. & lib. 3. Reg. c. 10.* Hæc autem si non satis significant Magos Divinitatem Christi cognitam habuisse; genus ipsum, & ratio munerum, id aperte probat. *Attende, quid obtulerunt, & agnosce, quid crediderunt*, inquit S. Fulgentius serm. de Epiphan. 4. n. 9. Et Calmetus Irenæi, Origenis, Basilii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Hilarii, Bernardi, Juvenci, & Sedulii doctrinam secutus hæc habet in c. 2. Matth. *Omnes fere Patres in his muneribus agnovere mysterium, quod Jesu Christi Divinitatem, Regnum, & Humanitatem indigitabat. Thus Deo convenit, Regi aurum, Homini mortali, cujus corpus opobalsamis conditur, myrrha.* S. Bernardus serm. 2. de Epiphan. n. 4. lucem, quæ bono Latroni affulsit, confert cum ea, quæ Magis illuxit, & quemadmodum nemo negat, illum Christi Divinitatem cognovisse, ita quisque confiteatur est necesse, hos ejusdem Divinitatis gnaros fuisse. „ Videte, „ quam occulata sit fides, quam lince- „ os oculos habeat, diligentius conside-

„ ra-

„ rate. Cognoscit Dei filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, „ cognoscit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt: ille clavis infixum, isti pannis involutum. „

III. Miratur S. Leo serm. 33. in Epiphan. 4. c. 3. tom. 1. quomodo Magi, simul ac stellam conspexissent, ex ea conjecerint, ejusmodi munera afferenda esse, quæ ad Christi Divinitatem, Regnum, & Humanitatem indicandam essent aptissima: verum mirari desinit, cum animadvertit, ad externam stellæ internam fidei lucem accessisse, ut illud Magi crederent, quod par erat: „ O perfectæ scientiæ mirabilem fidem, „ quam non terrena sapientia erudivit, „ sed Spiritus Sanctus instituit! Unde „ enim hi viri cum proficiscerentur de „ Patria, qui nondnm viderant Jesum, „ nec aliquid contuitu ejus, quo Eum „ tam ordinate venerarentur, adverterant, hanc deferendorum munerum „ servavere rationem? nisi, quia præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior „ veritatis radius eorum corda perdocuit, ut priusquam labores itineris in-

„ choa-

„ choarent, eum sibi significari intelli-
„ gerent, cui in auro regius honor, in
„ thure Divina veneratio, in myrrha
„ mortalitatis confessio deberetur.

IV. Præter complures alias, quas congerere possem authoritates, instar omnium sit Ecclesiæ authoritas, quæ in Epiphania Dominum precatur his verbis: *Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus stella duce revelasti*; & Sedulii Hymno utitur, quo ita de Magis canitur: *Deum fatentur munere.* Est autem observandum, verba illa: *Deus qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus Stella duce revelasti*, reperiri etiam in S. Gregorii Sacramentario tom. 3. pag. 7. in Missa hujus diei, quæ hanc quoque Orationem habet: *Deus Illuminator omnium Gentium. da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium Magorum mentibus adspirasti.*

QUAESTIO VIII.

Quis cultus corpori Christi in triduo mortis deberetur?

ASSERTIO.

Corpus Christi in triduo mortis erat Latria adorandum.

I. QUia dum Corpus Christi quievit in sepulchro, anima descendit ad inferos, Divinitas

tas cum corpore, & anima licet sejunctis hypostatice fuit unita *ex D. Thoma 3. p. q. 50. a. 2. ubi ait :* Donum, quod per gratiam Dei conceditur, sine culpa non revocari; ac propterea cum nulla in Christo fuerit culpa, fieri non potuisse, ut in illius morte solveretur unio hypostatica, & Divinitas a carne separaretur; præsertim cum unionis gratia maxima sit, & maxime permanens : „ Et „ etiam magis permanens ex sui ratio- „ ne, quia hæc gratia ordinatur ad u- „ nionem personalem, gratia autem ad- „ optionis ad quamdam unionem affe- „ ctualem, & tamen videmus, quod gra- „ tia adoptionis nunquam perditur sine „ culpa. Cum igitur in Christo nullum „ fuerit peccatum, impossibile fuit, quod „ solveretur unio Divinitatis a carne ip- „ sius. Et ideo, sicut ante mortem ca- „ ro Christi unita fuit secundum perso- „ nam, & hypostasim Verbo Dei, ita „ & remansit unita post mortem, ut sci- „ licet non esset alia hypstasis Verbi „ Dei, & carnis Christi post mortem. „ Hanc eandem doctrinam *confirmat Doctor iste Angelicus in 3. sent. dist. 21. q. 1. a. 1.*

II. In Catechismo S. Tridentinæ Synodi ad expositionem quarti articuli habentur hæc verba :

„ Qua-

„ Quare cum Jeſum mortuum eſſe dicimus, id ſignificamus, ejus animam a corpore diviſam eſſe; neque tamen concedimus Divinitatem ſejunctam a corpore, quin potius conſtanter credimus, & confitemur, anima ejus a corpore diviſa, Divinitatem tum corpori in ſepulchro, tum animæ apud inferos conjunctam ſemper fuiſſe. „

III. *Refert Cardinalis Pallavicinus in hiſt. Concil. Trid. lib. 17. c. 6. n. 6.* Religioſum quemdam hominem nomine Amantem Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis Epiſcopi Sebenicenſis Theologum, quod in ſeſſione quadam affirmaverit, in morte Chriſti Divinitatem a corpore fuiſſe diviſam, Palinodiam recantare coactum. Quod ſi autem in morte Chriſti Divinitas a corpore non fuit ſeparata, conſectarium eſt corpus Chriſti in triduo mortis fuiſſe Latria adorandum.



QUAE-

QUAESTIO IX.

An Humanitatis Christi Sanguis fuerit immediate a Verbo Divino assumptus, ipsi perstiterit hypostatice unitus, & ita triduo mortis Latria fuerit adorandus?



ARTICULUS I.

Narratur ortus, & progressus controversiæ inter Dominicanos, & Franciscanos olim agitatæ circa adorationem Sanguinis Christi in triduo mortis.

I. CUm circa A. C. 1351. Barcinonæ aliqui assererent, & publice prædicarent Sanguinem Christi in passione effusum a Divinitate fuisse separatum, & inde non fuisse in triduo mortis adorandum cultu latriæ: atque, ut refert Waddingus in nostris Annalibus ad eumdem annum n. 3. idipsum ex professo doceret Franciscus Bajuli Minoritarum Guardianus; Nicolaus Rosselli tunc in Regno Aragoniæ Inquisitor per suas litteras monuit Joannem Morlandinum ex Magistro Generali Ordinis Prædicatorum a suo Avunculo Clemente VI. anno proxime elapso simul cum Pastore Ordinis Minorum ad Cardinalatum assumptum: hic Morlandinus rescripsit se vivæ vocis oraculo accepisse in mandatis a Pontifice die 20.

Ju-

Julii, ut ad palinodiam cogerentur, qui ita prædicaverant, judicatumque fuisse omnino hanc opinionem pro hæretica censendam. Compacto processu Nicolaus Inquisitor solis litteris illius Cardinalis innixus, severe animadvertit in omnes, qui istius propositionis assertores fuerant, atque ut in curia, & præsentia Episcopi Barcinonensis, illam sententiam ejurarent, effecit.

II. Revixit apud Brixienses post centum, & tredecim annos eadem opinio A. C. 1462. prædicante Beato Jacobo Piceno, a Marchia communiter dicto, viro insignis sanctitatis, & plurimis miraculis conspicuo. Cum enim S. Jacobus de Marchia A. C. 1462. die 18. Aprilis, quæ incidit in diem Dominicam Paschæ publice in civitate Brixiensi prædicasset, Sanguinem Christi in triduo Passionis ab unione hypostatica excidisse; ideoque cultum latriæ tunc non meruisse. Hanc assertionem Frater Joannes Baptista ex Ordine Prædicatorum, qui sequenti die concionari debebat, e suggestu erroneam, & hæreticam declaravit. Jacobus a Brixia ex eodem Prædicatorum Ordine in Longobardia Inquisitor S. Jacobum familiaribus litteris admonuit, ut assertionem aperiret, explicaret, & etiam revocaret, utpote jussu Clementis VI. (uti Jacobus a Brixia supponebat) in Cathedrali Barcinonensi tamquam hæreticam, & erroneam publice damnatam.

III. Sed quia non obstantibus prædictis litteris, S. Jacobus Picenus feria tertia proxima Pas-

chatis iterum concionem habens, suam de Sanguine Christi assertionem catholicam pronunciavit, eamque munivit testimoniis Francisci Majeronis, S. Bonaventuræ, Richardi de Mediavilla, Alexandri Halensis, & aliorum Doctorum sui Ordinis, quemadmodum habet Marcant. in oper. de 12. fundamentis Ord. S. Francisci tit. 12. §. 4. quæst. 1. *principalis*; adeo exacerbatus fuit animus Inquisitoris Brixiensis, ut ad Jacobum *citationem* miserit peremptoriam relatam apud Waddingum, ut sub anathematis pœna vel assertionem revocaret ut erroneam, & hæreticam, antequam de civitate Brixiensi recederet, vel die crastina hora statuta ad se accederet de fide responsurus.

IV. Episcopus Brixiensis Bartholomæus Maupertus omnem navavit operam, ut contentiones obortas sedaret, idcirco in Palatio Episcopali die 21. Aprilis ejusdem anni 1462. exaratum est instrumentum, in quo Inquisitor confessus est, se hesterna die statim revocasse, & abrogasse præceptum supra memoratum. Hujus instrumenti exemplar exstat apud Waddingum, qui & duas affert attestationes, alteram videlicet Magistratus Brixiensis, alteram Vicarii Generalis ejusdem civitatis confectas sequenti Mense Majo; in quarum prima dicitur, S. Jacobum nullam opinionem erroneam prædicasse, sed doctrinam sanctam, & catholicam, & a sanctissimis Ecclesiæ Doctoribus comprobatam; in secunda vero, fuisse præceptum ab Inquisitore revocatum, nullum examplar authen-

thenticum Decreti Clementis VI. fuiſſe exhibitum, & ad finem controverſiæ imponendum, fuiſſe ab Epiſcopo demandatum, ut in futura proxima concione tum S. Jacobus, tum Frater Joannes Baptiſta ad populum prædicarent, neutram ex prædictis opinionibus eſſe hæreticam, & unicuique licere, utri vellet, adhærere, uſquequo aliter ab Apoſtolica Sede determinatum eſſet.

V. Sperari poterat, ab hoc Epiſcopi Brixienſis facto, animorum motus potuiſſe, & debuiſſe componi; verum res alio modo ſe habuit, uti deſumere eſt ex Brevibus Summi Pontificis Pii II. relatis apud Patrem Marcant. loc. cit. In litteris enim ab eodem Pontifice datis ad S. Jacobum die 25. Septembris A. C. 1462. Pontifex ipſe proteſtatur, ſibi non conſtare, eum fuiſſe hæreticum, aut male de catholica fide ſenſiſſe; ſed a ſe habitum eſſe, & haberi bonum, devotum, & religioſum Dei famulum. Item in alio Brevi expedito die ultima Maji ejusdem anni, quod ſcripſit Vicario Generali Ordinis Minorum de Obſervantia in partibus Longobardiæ ſub cenſuris prohibuit, ne ſive in publico, ſive in privato verbum fieret de prædictis quæſtionibus, donec Sedes Apoſtolica, quid in eis ſentiendum eſſet, decreviſſet. Præterea, cum a nonnullis ſuppoſitum ſibi fuiſſet, S. Jacobi, & aliorum Minoritarum opinionem a Sanguine ad corpus tranſiiſſe, ita, ut non ſolum docerent, Sanguinem Chriſti effuſum in Paſſionis triduo a Divinitate ſeparatum, ſed etiam Corpus Chriſti a Di-

vinitate in sepulchro sejunctum fuisse; ad se jussit delegari viros Doctos, & zelum habentes, qui de veritate, ut necesse erat, docere possent. Cujus notitia accepta in alio Brevi edito die 4. Decembris A. C. 1462. Fratres de Observantia expurgavit ab impacta ipsis calumnia de separatione Verbi a Corpore Christi; Brevia quædam antecedentia, quæ sub ea suppositione prodierant, revocavit; & miris laudibus extulit S. Jacobum, ejusque conciones, ac labores pro fide Christi susceptos, data facultate privatim, & publice tum Sancti, tum aliorum Fratrum Minorum innocentiam vindicandi. Insuper, ne ex facto Inquisitoris Brixiensis, vel ex commissione data instantibus Fratribus Prædicatoribus pro diligentiis peragendis inveniendi causa authenticam probationem Decreti Clementis VI. aliqua nota censeri posset memoratum B. Jacobum affectum fuisse, die 22. Martii A. C. 1463. novas ad Beatum ipsum Jacobum litteras dedit, quibus inquit, consultius utique fuisset, si ea de re nunquam prædicasset; attamen sine alicujus infamiæ nota, & hæresis periculo, vel suspicione potuisse e suggestu sententiam illam proponere, quæ nunquam antea, nec usque ad diem, quo litteræ scribebantur, fuerat a Sede Apostolica definita; eumque idcirco sine fundamento fuisse accusatum.

Profecto ad vindicandam S. Jacobi innocentiam ab imposito sibi erroris, vel hæresis crimine, nihil aliud requiri posse videbatur; sed, quia animo-

morum motus inter utriusque Ordinis Theologos necdum erant compositi, dictisque, & scriptis hinc, & illinc adhuc pugnabatur, Pius Pontifex eodem anno 1463. etiam annuit, ut celebris institueretur disputatio in Palatio Apostolico, & in consessu Cardinalium inter sex Theologos ex Dominicanis, & totidem ex Franciscanis. Disputationes, Acta, & Argumenta utrinque proposita legi possunt apud Gobellinum in commentariis Pii II. lib. 11. Interea vero adnotasse fas sit constitutos fuisse judices rerum etiam tum gestarum Alanum Tituli S. Praxedis Cardinalem dictum Avenionensem, & Bessarionem Cardinalem Tusculanum appellatum Nicœnum, qui erant utriusque Ordinis, Prædicatorum, & Minorum, Protectores. Vocatus porro, & interrogatus est uterque Jacobus, Picenus videlicet, & Brixiensis; & quidem interrogatus circa initium controversiæ, ejusque progressum. Auditis autem utriusque litigatoris rationibus, statuta die Cardinalis Alanus gravi sermone ad pacem, & concordiam dissidentes hortatus est, judicio lato, quod Brixiensis & in quibusdam defecisset, & in aliis excessisset, ita, ut veniam a Piceno petere teneretur. Itaque dum Brixiensis genibus flexis id facere meditabatur, Picenus eum amplexus est, rogavitque, ut surgeret, nec non promisit, se eum deinceps pro Patre Venerabili esse habiturum, deposito quocumque doloris affectu, qui ex præteritis dissidiis ortum habuerat, teste Waddingo ad A. C. 1463. n. 1. tom. 13. Verum, quod attinet controver-

D 3 si-

siam de Sanguine Christi, de ea tunc temporis egregie scripserunt duo Theologi, Dominicus de Dominicis, qui ab Apostolica Sede definiendum proposuit, probabiliorem esse sententiam de conjunctione Sanguinis cum Divinitate in triduo Passionis, & Cardinalis S. Petri in Vinculis ex Minorum familia, qui postea ad Pontificatum evectus Sixti IV. nomen assumpsit, qui fortiter propugnavit opinionem S. Jacobi, impugnavitque existentiam sæpe memorati Decreti Clementis VI. de ea quoque disputatum est coram Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, Præsulibus, & aliis viris Doctis, ubi plerique sententiam Prædicatorum approbarunt, pauci cum Minoribus sensere, & Pius ipse cum plerisque stetit, protracta tamen in aliud tempus quæstionis resolutione, ut habet Gobellinus loc. cit. utque Raynaldus, & Spondanus ad A. C. 1463. referunt. Nihil tamen a Summis Pontificibus hucusque hac de re decretum fuit. Dicta in hoc Articulo pleraque desumpta sunt ex Benedicto XIV. lib. 2. de Servorum Dei Beatific. & Beatorum Canonizat. c. 30.

ARTICULUS II.

Præmittuntur quædam assertionibus, quæ sequentur.

I. VAriæ sunt partes Humanitatis assumptæ, quædam enim sunt physice essentiales, ut corpus, & anima: aliæ integrales, ut caput, bra-

chia,

chia, crura: & aliæ excrementitiæ, ut capilli, ungues, & omnia, quæ tamquam superflua ad nutritionem, & corporis integritatem non conferunt. Præterea partium integralium quædam sunt præcise de integritate corporis humani, ut caput, ossa, caro, & reliquæ; quædam dumtaxat de veritate, non vero de integritate, ut sanguis, spiritus vitales, & alii humores, qui ea ratione dicuntur de veritate corporis; quia corpus humanum sine ipsis, saltem sine sanguine, qui est basis, & fundamentum vitæ, non potest consistere ut vivens. Conveniunt omnes revera a Verbo assumptas fuisse omnes partes, quæ sunt de integritate corporis, alioquin verum, & perfectum corpus humanum non assumpsisset, est vero gravis difficultas de partibus spectantibus ad corporis veritatem, & vitam.

II. Aliqui Theologi cum Cajetano quæst. 54. a. 2. duplicem in corpore humano distinguunt sanguinem: alterum *nutrimentalem* tantummodo, & alterum *naturalem*, quem dicunt esse de veritate naturæ. Nutrimentalis solum est humor quidam sanguineus parum decoctus, & depuratus, qui veram sanguinis naturam nondum habet, quamvis in colore, & aliis accidentibus sit ei similis. Talis est, qui proxime ex alimento generatur idque vel in hepate, vel in venis ducentibus ad hepar, quas Medici Mesaraicas appellant: & hunc sanguinem aliquos sudasse refert Philosophus in libro de historia animalium. Sanguis vero *natura-*

lis ille est, qui fit ex priori per decoctionem majorem, & elaborationem virtutis formativæ sanguinis residentis juxta Galenum in hepate, vel juxta Aristotelem in corde, quo fit, ut longe purior evadat, & veram formam substantialem sanguinis obtineat. Dicitur autem *naturalis;* quia licet ad totum animal nutriendum aliquo modo deserviat, tamen hoc munus ei non est adæquatum, sed præterea etiam concurrit ad naturalem integritatem, & vitam corporis.

III. Docet autem Cajetanus cum plurimis Thomistis priorem sanguinem non vivere, nec animari forma vivificante corpus: posteriorem vero esse animatum. At reclamat Doctor subtilis in 3. dist. 30. q. 2. n. 2. ubi docet idcirco carnem, quam assumpsit Christus nulla fuisse peccati macula fœdatam, nec eguisse ulla gratia sanctificante, ut purificaretur ante assumptionem; quia inquit, *Sanguines beatæ Virginis, de quibus, informabatur corpus Christi secundum Damascenum 48. nunquam fuerunt animati anima alicujus hominis.* Per consequens nunquam ab anima peccatrice contraxerunt maculam: cui sententiæ suffragantur omnes Medici, nec non & Philosophi plurimi, deduciturque ex Aristotele lib. animalium c. 3. ubi dicit, sanguinem esse alimentum ultimum, & esse in venis tamquam in vase; unde c. 10. negat esse partem animalis. Constat autem ex eodem lib. de anima textu 43. alimentum esse alterius substantiæ a vivente; quia nutritio est substantialis con-

ver-

versio, quæ non habet locum inter res ejusdem formæ, unde cum alimentum incipit informari anima viventis, jam desinit esse alimentum, & incipit esse pars: cum ergo sanguis sit ultimum alimentum, non informatur anima, sed ex illo fit proxima conversio, & animæ informatio. Sed quidquid sit de animatione sanguinis, sufficit, quod sit pars humani corporis, ut censeatur a Verbo assumptus.

Utrum autem assumptus sit immediate, vel dumtaxat mediante humanitate, ita, quod propriam suam habuerit subsistentiam, nec substiterit subsistentia Verbi, magna est controversia inter Theologos. Durandus enim in 4. dist. 10. q. 1. negat ullum sanguinem sive naturalem, sive nutrimentalem a Verbo fuisse hypostatice assumptum. Cajetanus autem & plurimi Thomistæ, distinctionem statuentes inter sanguinem *nutrimentalem*, & *naturalem* asserunt hunc fuisse assumptum, non vero illum. Cæteri vero Theologi docent omnem sanguinem, qui fuit in Christo, dum in corpore mortali viveret, fuisse subsistentem subsistentia Verbi: respuunt enim illam distinctionem sanguinis in *nutrimentalem*, & *naturalem*. His ex P. Frassen tract. 1. disp. 2. a. 1. sect. 2. q. 2. prænotatis, ponitur



ARTICULUS III.

Probabilius est omnem Humanitatis Christi Domini sanguinem fuisse immediate a Verbo Divino assumptum, & ipsi hypostatice unitum.

I. COlligitur id ex Clemente VI. in Extravag. *de pœnitentia, & remissionibus*, ubi de sanguine Christi pro nobis effuso ita loquitur: *Quem in Ara Crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset; sed velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Ubi: *propter unionem ad Verbum*, videtur ad ipsum sanguinem referri: quamquam referri possit ad totam humanitatem, & sensus sit sanguinem Christi habuisse illum valorem propter unionem Humanitatis cum Verbo; valor enim sanguinis effusi a dignitate humanæ naturæ effundentis illum desumitur: dignitas autem naturæ humanæ provenit ex unione ipsius cum Verbo.

II. Firmatur assertio ex Scriptura sacra, quæ tribuit sanguini Christi remissionem peccatorum nostrorum, & redemptionem: sic Matth. c. 26. ℣. 28. Christus tribuens suis Apostolis calicem ait: *Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et ad Ephesios c. 1. ℣. 7. *In quo* (scilicet Christo)

sto) *habemus redemptionem per sanguinem ejus.* Ad Colofs. c. 1. ℣. 20. *Per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* 1. Joann. c. 1. ℣. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.*

Adverto tamen cum P. Frassen tract. 1. disp. 2. a. 1. sect. 2. q. 2. per hæc testimonia, ut fatentur etiam Suarez disput. 15. sect. 6. & Vasquez disp. 86. c. 6. id, quod contendo, efficaciter non probari, siquidem responderi posset, sanguinem Christi habuisse hanc efficaciam dumtaxat per modum meriti, cujus valor non ex re oblata, sed ex offerente, & acceptante desumitur; quocirca si Christus solo sudore suo, seu lacrymis, & quocumque alio opere voluisset nostram redemptionem perficere, sicut revera potuit, non minus hæc omnia dicerentur de sudore, lacrymis, & operibus, utpote infiniti valoris, & efficientiæ in ratione meriti, quam de sanguine dicuntur; ut aperte docet S. Augustinus lib. 13. de civ. Dei c. 15. ubi sic loquitur : *Tunc enim sanguis ille, quoniam ejus erat, qui nullum omnino habuit peccatum, ad remissionem nostrorum effusus est peccatorum.* Ubi ait : *Qui nullum habuit peccatum*, dignitatem offerentis expressit, qui nec habuit, nec habere potuit peccatum. Quamvis autem Christus non solum sanguine suo, sed etiam sudore, lacrymis, laboribus, & operibus nobis meruerit nostram redemptionem, nihilominus dicitur solo sanguine re-

de-

demisse nos, & emundasse nostras conscientias, & dealbasse nostras animas; quia omnia merita ipsius consummata fuerunt per Passionem ejus, in qua sanguinem suum effudit pro nobis, ita, ut nondum intelligeretur perfecta nostra redemptio, donec Christus pro nobis pateretur, & sanguinem suum effunderet.

III. Ad rem sunt etiam illi Divinarum Scripturarum textus, quibus pretium nostræ redemptionis tribuitur ipsi sanguini, sic 1. Petri c. 1. ℣. 18. & 19. *Non curruptibilibus auro, vel argento redempti estis . . . . sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi.* Unde S. Augustinus serm. 128. de tempore, *Pretium vitæ nostræ sanguis est Domini, & totius mundi incolumitas sempiterna, pecunia illa totius mundi copiosa possessio est.* Et S. Leo serm. 12. de Passione c. 3. *Effusio sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad præmium.* Eodem fere modo loquitur S. Bernardus serm. 3. de Circumcisione. Hic rursus reponi posset sanguinem Christi habuisse pretium, & valorem, non ratione sui, sed ratione offerentis, & fundentis illum.

IV. Dato, quod sanguis verius non sit animatus, est tamen pars humanæ naturæ integræ; atqui Verbum assumpsit immediate totam naturam humanam, adeoque & omnes ejus partes. Et verum sanguinem pertinere ad integritatem humani corporis, esseque ejusdem partem agnovit Aristoteles lib. 3. de historia animalium c. 2. ubi

re-

refert sanguinem inter partes similares corporis animalis. Seneca lib. 2. *quæst. naturalium*, ubi ita scribit : *Quasi pars nostri; & sanguis, qui tamen & materia est, parat enim, & alia, & nihilominus in numero est eorum, quibus totum corpus efficitur.* S. Damascenus lib. 2. de fide c. 12. ubi ait : *Corpus autem omne ex quatuor elementis conflatur, animantium vero corpora ex quatuor humoribus.* Idem docuit S. Augustinus epist. 146. dicens : *Quatuor humoribus naturam carnis temperari, etiam medicinæ disciplina testatur.*

Quid ? Sanguinem inter partes etiam numerat Tridentinum, quando sess. 13. c. 3. definit. quod sanguis sit etiam in Eucharistia vi naturalis illius connexionis, qua PARTES inter se copulantur. Unde quando Angelicus 3. p. quæst. 31. a. 5. ad 1. negat, sanguinem esse actu partem, tantum vult, quod non sit pars jam ita perfecta, ac completa, ut ultimam formam habeat, nec ordinetur ad aliam, ut ipse se alibi explicat in 4. dist. 44. q. 1. a. 2. Et hinc idem quæst. 54. a. 2. in ⊙ ait : *Manifestum esse ad integritatem naturæ humanæ pertinere etiam sanguinem.*

Verum ad istud iterum argumentum responderi posset, sanguinem in tantum humani corporis partem censeri, in quantum in eo involvitur, & ad ejus nutritionem, vitam, conservationem, & operationem confert, non vero, quod sit germana illius pars integralis; ita, ut sine sanguine non censeatur perfecta, & integra humanitas.

V.

V. Ostenditur efficacius authoritate D. Pauli ad Hebr. c. 2. ℣. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Quapropter S. Cyrillus in quadam ad Nestorium epistola, quæ in Concilio Chalcedonensi Act. 1. lecta, & approbata est, dictum illud Joannis *Verbum Caro factum est*, sic interpretatur: *Verbum vere carnem fieri nihil est aliud, nisi, quia juxta nos participatus est carni, & sanguini*, id est, carnem, & sanguinem assumpsit. Et S. Gregorius Nazianzenus orat. 50. *Verbum Caro factum est, non putative, sed vere; quia assumpsit corpus ex carne, & ossibus, & sanguine constans.*

Sed neque ista adeo firma sunt, ut eis opponi non posset, his locis significari quidem sanguinem esse partem hominis, non integralem, sed adscititiam, quæ cum sit sedes, & vehiculum spirituum animalium, quorum beneficio homo vivit, & movetur; idcirco per sinechdochem nomine *sanguinis* totus homo in Scripturis designari solet, sic Matth. c. 16. ℣. 17. *Caro, & sanguis non revelavit tibi.* Et. 1. Chor. c. 15. ℣. 50. *Caro, & sanguis Regnum Dei possidere non possunt.*

Ex quibus omnibus vides propositam assertionem non habere aliquod efficacissimum fundamentum, dixi nihilominus ipsam probabiliorem, tum, quod conformior sit modo loquendi sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum, qui nostram redemptionem Christi Domini sanguinis pretio, & valori tribuere videntur, tum, quod in eam senten-

tiam

tiam conspiret numerosior Theologorum cœtus; tum denique, quod in eam magis propendere videantur Summi Pontifices, ut supra visum.

Inquiunt. Si Verbum Divinum humanum sanguinem assumpsisset, sequeretur illud assumpsisse plures naturas. Sequeretur item, quod per communicationem idiomatum dici posset: *Sanguis est Deus.* Et: *Deus est Sanguis.* Repono. Quod in hoc casu assumpsisset plures naturas ordinatas ad unam, & eandem totalem constituendam, in quo nihil est absurdi, quandoquidem constat Christum assumpsisse corpus, & animam: corpus autem ex partibus heterogeneis constat. Ad aliud ajo, quod per communicationem idiomatum duæ naturæ integræ de se invicem prædicari quidem possint, non vero partialis de integra, aut integra de partiali; unde licet Verbum immediate assumpserit animam, & corpus, non tamen recte dicitur: *Deus est Corpus.* Et: *Corpus est Deus.*

ARTICULUS IV.

Verosimilius est Sanguinem Christi in triduo Passionis fusum retinuisse unionem hypostaticam.

I. SAnguis ante mortem Christi erat Verbo hypostatice unitus, ut jam probatum est: ergo perseveravit unitus etiam post mortem. Quod sic ostendo. Ideo Verbum mansit unitum carni;

quia


quia hæc est notabilis pars naturæ assumptæ, cui proinde convenit commune illud Theologorum axioma ex S. Joanne Damasceno lib. 3. de fide c. 27. desumptum: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam amplius dimisit;* at æque sanguis est pars notabilis, ac principalis naturæ assumptæ, ac caro ipsa; solet namque nomine carnis, & sanguinis tota humanitas significari juxta illud Matth. c. 16. ℣. 17. *Caro, & sanguis non revelavit tibi.* Igitur ex eadem rationis paritate, qua caro Salvatoris in Cruce mortui mansit unita Verbo, permansit etiam sanguis ab eodem inseparatus.

II. Nonne? Ideo unio Verbi cum corpore, & anima separatis dissoluta non fuit, quia *Dona Dei sunt sine pœnitentia.* Rom. c. 11. ℣. 19. quia *quod per gratiam Dei conceditur*, attestante Doctore Angelico 3. p. q. 50. a. 2. in ⊙ *nunquam absque culpa revocatur*; quia corpus, & anima in resurrectione rursus erant conjungenda; quia unio hypostatica multo firmior est, quam illa naturalis animam inter, & corpus; quia inconveniens erat, intra tam breve tempus a carne dimitti hanc unionem, ne, ut bene concludit D. Thomas ibidem ad finem, *ne scilicet alia esset hypostasis Verbi Dei, & carnis Christi post mortem*, committendo illam supposito creato. Quis vero clare non perspicit: paritatem, carnem inter & sanguinem institutam incedere passibus omnino æquis? credibilius ergo est sanguinem in Passione effusum, triduo mortis Verbo unitum mansisse; unde optime Aquinas in 4.

dist.

dift. 44. q. 1. a. 1. *Manifeſtum eſt, quod ſanguis in Paſſione effuſus, qui maxime fuit ſalubris, ſuit Divinitati unitus.* Præterea juxta S. Leonem Papam ſerm. 17. de Paſſione, *in tantam unitatem Dei, & hominis natura convenit, ut ne ſupplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.*

III. Concilium Tridentinum die 11. Octobris A. C. 1551. quo celebrata eſt ſeſſio 13. c. 3. definit: „ Statim poſt conſecrationem Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie una cum ipſius anima, & Divinitate exiſtere; ſed Corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur. „ Ex quibus Tridentini verbis clarum eſt, ſanguinem fuiſſe veram partem Chriſti.



ARTICULUS V.

Non est certum certitudine fidei, Sanguinem Christi proxime, & immediate fuisse unitum Verbo Dei; maxime in triduo mortis; ita, ut contraria sententia possit absque hæresi, atque errore defendi.

I. SI quod esset contrariæ sententiæ a Vasquez, Suarez, pluribusque aliis Modernis acriter propugnatæ fundamentum, quo certissime constaret credendum, Christum Dominum humanum sanguinem immediate assumpsisse, maxime; quia, ut ipsi volunt, id definitum est a Clemente VI. & Pio II. adeo enim testimonia, quæ ex sacra Scriptura, & sanctis Patribus proferunt in suæ assertionis patrocinium, infirma judicaverunt ipsi, ut ad Decretum Clementis VI. & Pii II. tamquam ad solidissimum firmamentum provocarint; at falsissimum est Clementem VI. & Pium II. rem hanc definiisse, quod probo.

Postquam A. C. 1464. Pius Pontifex Roma abscessit, Senas Profectus, ut balnea Petriolana peteret, ægritudinis curandæ causa, recepit in Diœcesi Senensi litteras a S. Jacobo de Marchia, in quibus se mœstitia confectum profitebatur, tum, quia in nonnullis locis fama increbuerat de controversia sanguinis Christi contra suam sententiam, & conciones decisa, ac resoluta, tum quia Medio-

diolano usque Veronam traducebatur tamquam hæreticus, tum etiam, quia deputati fuerant Commissarii, ut authenticum Decretum Clementis VI. inquirerent. Apostolicæ responsiones ad eum datæ sunt, ubi Papa ait, se materiam nec determinare potuisse ob varias, quibus distentus fuerat, occupationes; se mandare Episcopo Veronensi, ut in scripta redigatur, quidquid fuerat a Fratribus Prædicatoribus e suggestu publicatum, ut, si in concionibus quidquam dixissent, quod dicendum non erat, pœnas luerent transgressionis; seque tandem non potuisse Fratribus Dominicanis denegare, quod ipsi suppliciter exoraverant, ut videlicet per Commissarios fieret inquisitio supra citati Decreti Clementis VI. sed eum ob id non debuisse conturbari, cum nihil authentici fuerit inventum. Do responsorias litteras Pii II. ad S. Jacobum ex Waddingo ad annum præmemoratum, quas ex authographo scripsit.

Pius Episcopus &c. Dilecto Filio F. Jacobo de Marchia.

Dilecte Fili! Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ SCripsisti te valde anxiari propter „ materiam illam Sanguinis effusi, „ Domini, & Salvatoris Nostri, quæ in „ nonnullis locis vulgari dicitur tam„ quam decisa, & determinata a nobis,

 „ con-

„ contra tuam sententiam, & prædica-
„ tionem. Miramur de hoc, nec sci-
„ mus, unde talis fama surrexerit? Nos
„ enim materiam ipsam hucusque non
„ determinavimus, nec propter varias
„ occupationes determinare potuimus,
„ sed Deo dante, id facere intendimus,
„ cum primo opportunior aderit occa-
„ sio, nec tot occupationibus erimus
„ distenti. Ne autem existimes Nos ho-
„ norem tuum, & famam negligere,
„ quandoquidem scribis a Mediolano us-
„ que Veronam publice prædicatum te
„ esse hæreticum: volumus, ut Vener.
„ Fratri Nostro Episcopo Veronensi scri-
„ bas, cui Nos etiam præsentes manda-
„ mus, ut quæ in hac materia prædica-
„ ta sunt, in scriptis redigat, aut in forma
„ authentica ad Nos transmittat: nam si
„ Prædicatores minus honeste in præ-
„ dicatione se habuerint, & aliquid de
„ te dixerint, quod dicendum non esset,
„ ostendemus eis id Nobis displicuisse,
„ nec eorum transgressio erit impunita.
„ Quod autem attinet ad authenticatio-
„ nem illius sententiæ, seu processus
„ Bar-

„ Barcinonæ celebrati, factam per Prælatum illum, cui ea res a Nobis commissa fuit, scias eam non ideo factam, ut per ipsam fides, aut authoritas adjiceretur hujusmodi sententiæ, seu processui; sed ut testimonium quoddam esset rei gestæ, hoc est, ut non deperiret ejus facti, qualecunque esset, notitia; nec enim fuit intentionis nostræ propter commissionem confirmare, aut approbare sententiam, aut processum. Cum enim pro parte Fratrum Prædicatorum Nobis supplicatum fuisset, ut eos authenticare facere vellemus, non potuimus, quin causam committeremus: Commissarius vero judicavit, quemadmodum jam vidisti. Proinde non turbetur cor tuum, neque formidet, sis animo quieto, nec scandalizetur ex hoc mens tua, nam sinceram charitatem tuam novimus, nec ignotus est Nobis zelus tuus, persevera in fide optima, quam Deus Scrutator cordium bene novit, nec te moveant vulgi rumores, aut voces calumniantium. Satis nota est Deo conscientia tua, po-

„ tesque contentari, quod Nos pater-
„ nam de te opinionem concepimus, &
„ conceptam retinemus. Ad Capitulum
„ tui Ordinis proxime celebrandum con-
„ tenti sumus, ut accedas, & ea agas,
„ quæ Deo placita sunt, & honori Ordi-
„ nis, ac saluti animæ tuæ conducunt.
„ De accessu autem ad Ducem Vene-
„ tiarum contentamur, & hortamur, ut
„ accedas. Scimus enim esse Principem
„ bonum, & Dei timoratum. Putamus
„ nonnisi ex bona, & honesta causa te
„ alloqui, & ridere velle, tuumque ad
„ illum accessum utilem fore existima-
„ mus. Datum Macorati Senen. Dioe-
„ ces. sub annulo Piscatoris die 28. A-
„ prilis 1464. Pontificatus nostri anno
„ sexto. „ Igitur Pontifex sententiam Jacobi non notavit erroris.

Roboratur per ea, quæ amplius acta sunt. A Dioecesi Senensi (uti refert Benedictus XIV. lib. 2. c. 30. de Servorum Dei Beatific. & Beatorum Canonizat.) Pontifex Pius II. Civitatem Anconitanam petiit, ut Venetorum Ducem belli sacri adversus Turcas sibi socium, aliosque fœderatos alloqui, & classem, quæ in portubus superi, inferique maris ad tantum bellum fuerat ædificata, vi-

videre posset. Diutina autem, lentaque febri affectus, in eadem Civitate vitam cum morte commutavit die 16. Augusti ejusdem anni 1464. edita die 1. juxta nonnullos, juxta alios die 8. Augusti Constitutione, quæ est 13. inter suas Bullar. nov. tom. 3. p. 3. in qua sub pœna anathematis latæ sententiæ statuit, ne ulli Fratrum Prædicatorum, vel Minorum imposterum liceret de sæpe dicta controversia prædicare, vel publice, aut privatim verbum facere, vel aliis suadere, hæresim esse, vel peccatum tenere, aut credere, sacratissimum Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi triduo Passionis ipsius ab ejusdem Divinitate quomodocunque fuisse, vel non fuisse divisum, aut separatum, donec super dictæ disputationis decisione, quid tenendum esset, a Sede Apostolica fuisset definitum. Hanc Pontificiam Constitutionem S. Jacobus reverenter amplexus est: ex ejus enim Epistola reperta inter Reliquias ipsius, & Scripta Leonardo de Utino Ordinis Prædicatorum Magistro, qui tractatum ediderat de Sanguine Christi, quem separatum a Divinitate in triduo Passionis asseruerat, non solum magnas ipsi agit gratias, & inquit, in eadem etiam opinione fuisse Joannem de Castro S. Petri Ordinis Prædicatorum Theologum, & plures alios ex Ordinibus Eremitarum, Carmelitarum, & Servorum, nec non plerosque Sacerdotes eidem sententiæ subscripsisse, sed etiam demum concludit : *In omnibus fiat secundum conclusionem Bullæ, quæ dicit, fore excommunicatum, non qui contradiceret aliquam istarum opi-*

opinionum, sed qui diceret, quod esset heresis, vel peccatum.

Ecce! quantum a veritate distet id, quod affirmant Suarez, & Vasquez, scilicet, Clementem VI. & Pium II. eam doctrinam condemnasse, quæ asserebat Sanguinem in triduo mortis a Divinitate sejunctum fuisse, cum nihil proferre possint huic suæ assertioni stabiliendæ, præter unicas illas Joannis Cardinalis Dominicani litteras, quibus plura opposuit noster Franciscus de *Ruvere* Cardinalis Franciscanus, qui postea fuit Pontifex Sixtus IV. appellatus, & libellum, sive processum compactum ab Inquisitore item Dominicano, quem perperam Gabriel Vasquez dicit ex mandato Clementis per litteras Apostolicas efformatum; cum ejus exemplaria extent (teste P. Frassen loc. cit.) neque ulla ibi conspiciantur Brevia, aut Bullæ, sive Diplomata Pontificia, præter unam illam Cardinalis epistolam: atque hanc solam allegavit pro definitionis fundamento Inquisitor supra dictus Brixiensis, dum vehementer causam urgeret contra B. Jacobum Picenum.

Addo, quod Dominicus de Dominicis ferme illius ætatis vir doctus in libro, quem de Sanguine Christi scripsit, asserat Decretum Clementis authenticum non esse, neque ex probatis testimoniis constare. Et certe libellus, sive processus a Rossello efformatus, nulla alia fide, quam Rosselli constat, neque Notarii syngrapha, neque publici alicujus Ministri testimonio roboratur; unde vix

sa-

ſatis mirari poteſt P. Fraſſen, qua de cauſa Silveſter in Roſa aurea tract. 3. q. 31. aſſeveret Clementem Summum Pontificem prædictam propoſitionem damnaſſe, & quod magis mirum eſt, condemnationem, & retractationem Barcinonæ factam per Inquiſitionem prædictam approbatam fuiſſe a Pio II. id enim expreſſis verbis ipſe negat Pius in ſupra adducto Diplomate ad B. Jacobum Marchianum dato.

II. Ut aliquid tamquam fidei dogma declaretur, oportet authoritate ſacræ Scripturæ, aut traditione aliqua niti: difficile autem eſt aliquid horum oſtendere, quibus nixi fuiſſent, & moti Summi Pontifices ad illam definitionem proferendam; nam omnes vel Scripturæ, vel ſanctorum Patrum authoritates, quibus Sanguini Chriſti effuſo noſtrorum peccatorum remiſſio, & reliqua ſubſequentia beneficia tribuuntur, parum urgent; quia, ut jam alibi dictum, omnia iſta ſanguini appropriantur, non quod per ſolam ſanguinis effuſionem ſalvati, aut liberati ſimus, cum & alia fuerint in Chriſto opera meritoria noſtræ ſalutis, atque per ſudorem, & lacrymas ſalvare potuiſſet, ſi ita voluiſſet; ſed quia omnia ejus merita terminata, & conſummata ſunt in Morte, & Paſſione; unde ad mortem Chriſti principaliter hæc referuntur, ad ſanguinis vero effuſionem, tamquam ad medium, per quod mors ſubſecuta eſt, ſicut & Cruci hæc ipſa beneficia, tamquam Inſtrumento tribuuntur.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. In VI. Synodo Act. 16. damnatus fuit Hæreticus quidam *Constantinus* nomine; quia dixerat sanguinem fuisse dimissum a Verbo in triduo mortis. In eadem Synodo Act. 8. fuerat probata confessio Macharii Antiocheni Antistitis licet Monothelitæ, in eo, quod dixerit Christum assumpsisse carnem, & sanguinem. Repono. Hæc nihil urgere, nam quod attinet ad Constantini condemnationem, ea merito facta est; quia non solum sanguinem, verum & carnem, & voluntatem humanam Christum exuisse, palam confessus est in Concilio: Synodus enim interrogavit ipsum: *Ubi itaque remansit ipsa Caro, & Sanguis?* Constantinus respondit: *Exuit eam.* Synodus vero iterum interrogavit: *Et humanam voluntatem simul exuit cum carne?* Constantinus respondit: *Etiam, Domini.* Unde partim damnatus est tamquam Manichæus, & partim tamquam Monothelitarum assecla, quia unam dumtaxat in Christo voluntatem confitebatur. Idem dicendum de Machario, qui ut Hæreticus in ea Synodo depositus est; & illius confessio damnata, in eo, quod unam tantum in Christo voluntatem, & operationem confiteretur; quare inane est ab ejus confessione petitum testimonium.

II. Inquiunt. Benedictus XIV. lib. 2. c. 30. n. 11. De Servorum Dei Beatific. & Beatorum Ca-

Canonizat. hæc formalia habet. „ A tempore
„ Pii. II. uſque ad præſens nulla prodiit expreſſa
„ controverſiæ deliberatio: ſed, cum in ſacroſan-
„ cto Concilio Trident. ſeſs. 13. c. 3. definitum
„ ſit, in Euchariſtia eſſe Corpus ſub ſpecie panis,
„ Sanguinem ſub ſpecie vini, Animam autem ſub
„ utraque ſpecie, vi naturalis connexionis, &,
„ ut dicitur, *Concomitantiæ*, qua partes Chriſti
„ Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, nec
„ amplius moritur, inter ſe copulantur; Theo-
„ logi, qui poſt Tridentinum ſcripſerunt, adno-
„ tarunt mirum eſſe non debere, ſi Auctores gra-
„ ves tempore Pii II. ſententiam defenderunt de
„ ſanguine in triduo Paſſionis a Divinitate ſepa-
„ rato, vel judicarunt, eam nulla cenſura dig-
„ nam eſſe, ſiquidem nondum habebatur ex Con-
„ ciliis, uti poſtmodum habitum eſt ex Triden-
„ tino, ſanguinem fuiſſe veram partem Chriſti,
„ eamdem vero ſententiam poſt Tridentinum ſine
„ aliqua nota ſuſtineri amplius non poſſe. Fue-
„ runt nempe hæc docte expoſita a Cardinali de
„ Lugo de Incarnat. diſp. 14. ſect. 7. n. 105. ibi:
„ Cæterum licet ex his fundamentis non
„ poſſit nota inuri illi ſententiæ (loquitur
„ de ſententia Minorum) adhuc crediderim,
„ hodie abſque aliqua nota defendi non
„ poſſe propter verba Tridentini &c. in
„ quibus verbis, ut vidimus, ſanguis di-
„ citur eſſe pars Chriſti Domini. Ex

„ quo

„ quo per bonam consequentiam infer-
„ tur, vel sanguinem debuisse subsistere
„ in Christo eadem Verbi subsistentia,
„ vel, si habuisset aliquam subsistentiam
„ propriam creatam in Christo, non fuis-
„ se solam subsistentiam Verbi, sed a-
„ liam etiam creatam, saltem partialem:
„ nam Christus adæquate acceptus in-
„ cludit omnes suas partes, quarum u-
„ na est sanguis, ut constat ex Tridenti-
„ no. Ergo, si sanguis habet subsisten-
„ tiam creatam propriam, Christus non
„ solum includit subsistentiam increatam
„ Verbi, sed etiam aliam subsistentiam
„ creatam partialem, quod dici non po-
„ test. Hinc autem eadem fere certi-
„ tudine sequitur, sanguinem effusum
„ in triduo mansisse hypostatice unitum
„ Verbo. Sicut enim corpus mansit
„ unitum Verbo, eo, quod erat pars
„ ejus Humanitatis; sanguis, qui non mi-
„ nus erat pars, ut vidimus, nec minus
„ reassumendus iterum in Resurrectione,
„ debebat propter eamdem rationem ma-
„ nere unitus; quia non potest afferri ra-
„ tio discriminis sufficiens inter carnem,
„ &

„ & ſanguinem, cum utraque ſit vera „ pars naturæ humanæ. „ Et ſane recitatis Cardinalis de Lugo verbis, ſubdit doctus Pater de Graveſon Hiſt. Eccles. tom. 6. pag. 95. *Sic doctiſſimus ille Cardinalis ſententiam Dominicanorum ſtrenue tutatur, & contrariam abſque alia erroris nota poſt Concilium Tridentinum defendi haud poſſe, ſolida ratione evincit.*

Repono. Salva tantis viris, & Authoribus reverentia, ſententiam Scholaſticam adhuc poſt Concilium Tridentinum ſine erroris alicujus labe doceri poſſe. Quid enim vetat, ne, dum a Patribus Tridentinis *Sanguis* pars humanitatis Chriſti ſupponitur, non de parte integrali perfecta, ſed imperfecta intelligatur, quatenus nimirum ſanguis ad viventis conſervationem neceſſarius, nec vivens ſine eo vivere poteſt. Hoc vel ex ipſa ſacra Tridentina Synodo ſatis conjicitur, dum ipſa ſeſs. 13. c. 3. definit, ſanguinem Chriſti non poni ex vi conſecrationis formaliter ſub ſpeciebus panis in Sacramento Euchariſtiæ, ſed tantum per concomitantiam: igitur ſanguis non eſt pars corporis, totum enim corpus Chriſti quoad omnes ſuas partes primarias ponitur vi conſecrationis ſub ſpeciebus panis: ergo cum ſanguis non ſic ponatur, is non videtur eſſe vera pars corporis conſtituens ipſum.

Res evidentior fiet, ex ipſis verbis Tridentini ſeſs. 13. c. 3. ubi ita habet: „ Hæc fides „ in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt con-

„ ſe-

„ secrationem verum Domini Nostri
„ Corpus, verumque ejus sanguinem
„ sub panis, & vini specie, ex vi verbo-
„ rum, ipsum autem corpus sub specie
„ vini, & sanguinem sub specie panis, a-
„ nimamque sub utraque vi naturalis il-
„ lius connexionis, & concomitantiæ,
„ qua partes Christi Domini, qui jam
„ ex mortuis resurrexit, non amplius
„ moriturus, inter se copulantur: Divi-
„ nitatem porro propter admirabilem il-
„ lam ejus cum corpore, & anima hypo-
„ staticam unionem. „ Audis a Patribus Tridentinis prædicari Divinitatem cum corpore, & anima esse hypostatice unitam. Ubi autem clare definivere Divinitatem cum sanguine immediate per hypostaticam unionem esse copulatam?

QUAESTIO X.

An aliqua particula Sanguinis Christi revera in terris substantialiter manserit, & adhuc asservetur omni honore, & reverentia, dignissimi?

PRAENOTIO.

MAgna est circa hanc difficultatem Theologorum controversia, plurimi namque censent nul-

nullam particulam sanguinis Christi in terris post ipsius gloriosam Resurrectionem mansisse; sanguinem, qui circumfertur nomine Christi, non esse eum, qui fluxit ex ejus corpore, sed ex aliqua Imagine percussa a Judæis Berythi, cujus historiam Athanasius in libro de passione Imaginis D. N. J. Christi a capite 1. usque ad 6. enarrat. Seriem rei gestæ refert Natalis Alexander Hist. Eccles. sæculo IV. c. 6. fol. 320. col. 2. n. 16. ex Sigeberto, his verbis „ Tempore Constantini „ Imperatoris, & Irenes uxoris ejus, in Syria, „ Civitate Berytha, quæ subjacet Antiochiæ, Ju„ dæi Imaginem Salvatoris Domini N. J. Christi „ invenientes in domo cujusdam Judæi, ibi re„ lictam a quodam Christiano; eam injuriose de„ posuerunt, & omnia opprobria, quæ Judæi „ Christo Jesu intulerunt, ejus Imagini infere„ bant, illudentes ei, in faciem conspuentes, cri„ minose convitiantes, eamque percutientes, ma„ nus, & pedes ejus clavis configentes, acetum, „ & fel ei porrigentes, tandem latere ejus aper„ to, exivit de eo sanguis, & aqua. Quod illi „ supposita ampulla excipientes, ad experimen„ tum, utrum fuerint vera miracula, quæ ipsum „ fecisse audiverant, omnes infirmos in Synagoga „ sua collectos hoc sanguine aspergebant, & a „ quocumque languore detinebantur, omnes sa„ nabantur. Unde tandem Judæi compuncti ad „ Adeodatum Civitatis Episcopum omnes con„ currerunt, eique re enarrata, Imaginem cum „ sanguine dederunt. Quibus baptizatis, Epi-

„ sco-

„ scopus sanguinem per ampullas divisum longe,
„ lateque dirigens, prædicabat Magnalia Dei,
„ obtestatus omnes, ut singulis annis quinto Idus
„ Novembris celebretur Passio Domini. „

Facta hac relatione ulterius sermonem suum Athanasius prosecutus fuisse fertur c. 7. ita perorans „ Hic est Sanguis ille Dominicus, qui apud „ plerosque repertus esse dicitur: nec est aliter, „ æstimandum est a vere Catholicis præter id, quod „ scribitur a nobis, quasi ex carne, & sanguine „ Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi il- „lud, quod in Ara Altaris per manus Sacerdo- „ tum quotidie spiritualiter efficitur. „ Hæc Athanasius, qui licet a quibusdam non censeatur Magnus ille Athanasius Alexandrinus Episcopus; tamen liber ille non debet esse levis authoritatis, siquidem prædicta historia recitata fuit sub nomine Athanasii, & approbata in Concilio Nicæno II. Act. 4. Quibus non obstantibus, sit

ARTICULUS I.

Pie credendum est, Christum Dominum gloriose resurgentem, non omnem reassumpsisse sanguinem, sed ad solatium Fidelium aliquas ejusdem particulas in terris reliquisse.

I. ID desumo ex Benedicto XIV. de Serv. Dei Beatific. & Beator. Canoniz. lib. 4. c. 10. n. 8. ubi ita loquitur. „ Petente Carolo Magno „ Im-

„ Imperatore, S. Leo III. Summus Pontifex Man-
„ tuam venit, ut inquireret de veritate famæ ſan-
„ guinis Chriſti reperti juxta Hoſpitale hujus Ci-
„ vitatis, ubi tellure refoſſa apparuit arca plum-
„ bea, quæ vaſculum continebat hanc habens in-
„ ſcriptionem: Jeſu Chriſti Sanguis. In Com-
„ mentariis Pii II. lib. 2. pag. 105. edit. Roma-
„ næ hæc habentur: Memoriæ proditum
„ eſt, per tempora Caroli Magni ſan-
„ guinem hic (id eſt Mantuæ) Domini
„ Noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti miracu-
„ loſum apparuiſſe, atque ad eum viſen-
„ dum Leonem Pontificem Maximum
„ acceſſiſſe, qui rem cognoverit, at-
„ que probaverit. Eadem referuntur a Ve-
„ ner. Cardinali Baronio ad A. C. 804. n. 1. ubi
„ mentionem facit acceſſus S. Leonis III. ad Ur-
„ bem Mantuam, & recognitionis, approbatio-
„ nisque ſanguinis Jeſu Chriſti ejus videlicet, qui
„ ex ipſius latere fluxit tempore Paſſionis, ſubji-
„ citque idem Cardinalis, totum id deduci ex Di-
„ plomatibus Pontificiis, ſed ſe ea non vidiſſe.
„ Franciſcus Quareſmius lib. 3. tom. 1. pag.
„ 870. hæc habet: Mantuæ in Eccleſia S.
„ Andreæ habetur non nihil ſanguinis,
„ qui fluxerit de latere Chriſti Salvato-
„ ris (non de latere Imaginis crucifixæ
„ in Syria in Berytho Civitate) eum-

F „ que

„ que verum esse Domini sanguinem,
„ declaravit Summus Pontifex Leo III.
„ ante annos octingentos, ut notat Bel-
„ larminus „ Hucusque laudatus Pontifex Be-
„ nedictus XIV. „

Idem eruditissimus Pontifex lib. I. de Testis D. N. J. Christi n. 37. sub rubrica : „ Guttæ
„ aliquot Sanguinis Christi asservantur
„ Mantuæ, *ita concludit* : Gravissimorum
„ Theologorum authoritate ducti, fieri
„ posse affirmamus, ut pretiosi San-
„ guinis Christi, guttæ aliquot humi
„ remanserint, quibus nihil esset opus
„ ad illius corporis integritatem; neque
„ idcirco necessarium fuisse, ut in resur-
„ rectione ipsius corpori redderentur. „

II. Silvester in Rosa aurea tract. 3. q. 31. Bullam Pii II. ad Abbatem Monasterii S. Mariæ Xantonensis Diœceseos (quam referente Benedicto XIV. Cardinalis Baronius se non vidisse testatur) non adducit modo, sed etiam a se inspectam fuisse affirmat, quæ Bulla sic habet „ Petitio exhi-
„ bita continebat, quod tanto tempore, cujus
„ memoria non exiltit, in Ecclesia dictæ Domus,
„ ut pie creditur, quædam particula pretiosi San-
„ guinis D. N. J. Christi, in ligno Crucis pro
„ redemptione humani generis salubriter effusi „

Et

Et infra „ Nos igitur, qui de prædictis certam „ notitiam habemus, attendentes, quod veritati „ fidei nullatenus repugnat, affirmare, Redem- „ ptorem noſtrum de ſanguine præfato ob ipſius „ Paſſionis memoriam, aliquam partem in terris „ reliquiſſe. „

III. Beatiſſima Virgo S. Birgitam lib. 6. Revelationum c. 112. his verbis alloquitur. „ Cum „ tempus vocationis meæ inſtaret de hoc mundo, „ ego ipſam (*ſcilicet Præputii ſacri membranam*) commendavi S. Joanni Cuſtodi meo cum (*NB.*) ſanguine illo benedicto, qui remanſit in vulneribus ejus, quando depoſuimus de Cruce. Poſt „ S. Joanne, & ſucceſſoribus ejus ſublatis de „ mundo, creſcente malitia, & perfidia, Fideles, „ qui tunc erant, abſconderunt illa in loco mundiſſimo ſub terra, & diu fuerunt incognita: donec Angelus Dei amicis Dei revelavit. „

IV. Idem Silveſter in Roſa aurea tract. 2. ſub Evang. feriæ V. infra Octavam Paſchæ ſcribit de ſe ipſo, quod A. C. 1497. viderit in antro B. Mariæ Magdalenæ vitrum, in quo aſſervari dicitur terra ſanguine Chriſti Domini mixta, quam S. Maria Magdalena ſub Cruce collegerit, quique ebulliret die Paraſceves poſt cantatam Paſſionem. Certe ſi ſua ſtet adhuc Hiſtoricis fides in plane multis locis aſſervari Reliquias ſanctiſſimi Sanguinis, tenet Fidelium cœtus.

Ipſe Honoratus a S. Maria Carmelita Diſcalceatus in ſuis animadverſionibus ad regulas, &

usum Criticæ Lugduni typis impressis A. C. 1720. tom. 3. lib. 5. dissert. 5. a. 1. etsi sanguinem Mantuanum, non esse eum, qui fluxerit e corpore Christi, sed ex ejus Imagine Berythensi contendat, attamen cordate fatetur. „ Interea nullo modo „ inficiari possum, Christum Dominum in terris „ aliquas sui sanguinis particulas reliquisse. S. Hie- „ ronymus nos docet in Epitaphio Paulæ Epist. „ 27. c. 4. columnam, ad quam devinctus fuit „ Jesus, apparere *infectam cruore Domini.* Alius „ autem Scriptor ait, Sanguinis Christi guttæ ap- „ parent in columna. Ut narrat Author, cujus „ opus extat tom. 24. Bibliothecæ Patrum editæ „ Lugduni pag. 1461. quasdam pariter sanguinis „ Jesu Christi notas in spinis coronæ conspicimus. „ In Monasterio quidem nostro Clermonti, in Al- „ vernia colitur una ex his sanctis spinis, in qua „ visitur exigua sanguinis gutta; & fortasse ali- „ quæ illius particulæ adhæserunt cruci, clavis, „ & Tunicæ contextæ post flagellorum supplicium. „ Sique sacra Syndon, quæ Taurini, & Veson- „ tione ostenditur, revera in Pollinctura Domini „ usum habuerunt, nemo negaverit, in iis vesti- „ gia quædam adorandi hujus Sanguinis appa- „ rere. „

V. Quis sanæ mentis revocabit in dubium ejusmodi receptam Fidelium persuasionem, iisque antiquissimis testimoniis subnixam, qualia vix unquam de ulla alia re in Historia Ecclesiastica habentur? nonne hoc esset subvertere omnem huma-

nam

nam fidem? atque Incredulis iſtis objici poſſet: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Et quis tam impie de ſuaviſſima Dei ſentiat Providentia, ut ſibi perſuadeat, eandem permiſſuram tam conſtantem, & tot ſæculis receptum erroneum, & falſum Fidelium pie, ad ſuum ſolatium aliquas pretioſiſſimi noſtræ redemptionis lytri portiunculas relictas fuiſſe, exiſtimantium ſenſum, ac perſuaſionem?

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Hodie plures Eruditi negant, nullum verum, e venis Salvatoris petitum ſanguinem in terris ſupereſſe, ſed illarum ſanguinis particularum, quæ paſſim oſtenduntur, vel Imagine Berythenſi, vel ex ſacris Hoſtiis originem repetunt. Repono. Eſtne ſanæ critices regulis conforme, hiſtorias omnes, quibus eæ Reliquiæ nonnullis in locis ſupereſſe produntur, tot Pontificum oraculis, tot Doctiſſimorum Cardinalium effatis, tot argumentis, & teſtibus firmatas, tam conſtanti Fidelium perſuaſione ſubnixas, vel omnino rejicere, vel inter fabulas detrudere, ipſosque omnes, aut pro fungis habere, aut pro Impoſtoribus, qui eas narrationis fide, aut poſterorum memoria digniſſimas cenſuere. An, inquam, hoc ſanæ Critices regulis, conveniat? anceps hæreo. Critici ſane munere non fungitur, qui contra omnium fere Gentium, & ætatum teſtimonia ſolus ſapere affectat, nec ta-

men ea in medium momenta profert, quibus rationabiliter suadeatur, ante se omnes aut decepisse, aut deceptos fuisse. Crederem modernos Criticos sic posse intelligi, quod nempe loquantur de sanguine, qui in quantitate notabili in ampullis servatur (sicut supra dixi in Prænotione ab Adeodato Episcopo Berythensi sanguinem ex Imagine Berythensi copiose profluentem per ampullas divisum longe, lateque fuisse directum) non vero de modico sanguine, qui asservatur, aut spinis, clavis, vestimentis, syndoni, terræ adhæsit. Vel vero dic sodes! quomodo cruentæ guttulæ vestimentis, spinis &c. adhærentes potuerint esse ex aliqua Imagine, aut tandem determina, a quanam essent.

II. Inquiunt adducendo illud vulgare S. Damasceni: *Quod semel assumpsit nunquam dimisit.* Repono. Hoc axioma intelligendum esse dumtaxat de natura assumpta, & de partibus, quæ secundum se totas pertinent ad veritatem naturæ humanæ: & quidem non materialiter, sed quoad speciem tantum consideratis, hoc est, Christum nunquam dimisisse totum sanguinem suum, sed tantum unam, alteramve particulam sanguinis sui, sicut dimisit pelliculam Præputii.

III. Inquiunt. Doctor Angelicus p. 3. quæst. 74. a. 2. super quæstione: *Utrum Christi Corpus resurrexerit?* in corpore ita concludit „ Unde „ quidquid ad naturam humani corporis „ perti-

„ pertinet, totum fuit in corpore resur-
„ gentis. Manifestum est autem, quod
„ ad naturam corporis humani pertinent
„ carnes, & ossa, & sanguis, & alia hu-
„ jusmodi; & ideo omnia ista in cor-
„ pore Christi resurgentis fuerunt: &
„ etiam integraliter absque (NB.) OM-
„ NI DIMINUTIONE! alioquin non
„ fuisset perfecta resurrectio, si non
„ fuisset redintegratum, quidquid per
„ mortem acciderat. „ Vere autem, & pro-
prie omnia integraliter absque *omni Diminutione* reassumpta dici haud possent, si aliquis Christi Sanguis fuisset relictus in terris.

Id quod clarius docet ibidem in responsione ad tertium, quod Idem sibi opponit, dicendo:
„ Corpus Christi, quod resurrexit, in
„ Cœlum ascendit. Sed aliquid de san-
„ guine ejus in quibusdam Ecclesiis
„ reservatur pro Reliquiis. Non ergo
„ resurrexit Corpus Christi cum integri-
„ tate omnium suarum partium. Quam objectionem ita elidit: Dicendum: quod
„ totus sanguis, qui de Corpore Christi
„ fluxit, cum ad veritatem humanæ na-
„ turæ pertineat, in Corpore Christi re-

„ surrexit: & eadem ratio est de omni-
„ bus particulis ad veritatem, & inte-
„ gritatem humanæ naturæ pertinenti-
„ bus. Sanguis autem ille, qui in qui-
„ busdam Ecclesiis pro Reliquiis con-
„ servatur, non fluxit de latere Christi,
„ sed miraculose dicitur effluxisse de qua-
„ dam Imagine percussa. „

Idem jam antea quodlibeto 5. a. 5. asseruit, scribens: *Sanguis etiam Christi, qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, dicitur ex quadam Imagine Christi percussa miraculose effluxisse, vel NB. ETIAM ALIAS EX CORPORE CHRISTI.* De industria nedum singulari nota, sed & majori charactere posita sunt quinque postrema verba; omissa enim illa sunt per D. Thomam in Summa dicto articulo secundo, quasi fortasse data solutio illi jam displicuerit.

Repono *1mo.* S. Doctorem id tantum contendere, sanguinem, sicubi copiosior in ampullis asservatur, de corpore Christi non fluxisse, quæ mens Angelici ex Athanasii narratione superius data ortum habere videtur: nequaquam vero S. Doctor de modicissimis dumtaxat particulis, iisque divisis ad solatium nostrum in mundo relictis loqui censendus est. Quod si de contraria mente S. Doctoris aperte constaret, possem cum omni reverentia ab eo recedere, ne Historias, & Narratio-

rationes omnes, tot ætatum, hominum & monumentorum, fide nostra dignissimorum, turpiter nobis imposuisse dicamus. *2do.* Licet Angelicum mitius interpretari, quod videlicet loquatur de sanguine *moraliter* toto; sicut enim, qui vas plenum sanguine evertit, dicitur totum sanguinem effudisse, licet plurimæ adhuc particulæ remaneant adhærentes lateribus vasis: ita recte dicitur totus sanguis in corpore Christi resurrexisse, tametsi aliquæ sanguinis particulæ in Syndone, vestibus, ac Instrumentis Dominicæ Passionis remanserint. Et hanc esse mentem S. Doctoris, colligo ex ratione, qua sententiam suam confirmat; quia scilicet sanguis ad veritatem, seu integritatem humanæ naturæ pertinet; defectus autem ejusmodi particularum non obstat, quo minus humana Christi natura sit absolute integra, quemadmodum recte dicitur Roma Labacum totum Mathiam rediisse, qui Romæ aut ex naribus, aut ex venæ sectione parum sanguinis dimisit.

IV. Inquiunt. Joannes de Turrecremata, natione Hispanus, Ordinis Prædicatorum Cardinalis Presbyter S. Sixti ab Eugenio IV. creatus, postea Episcopus Cardinalis Sabinus (qui obiit A. C. 1468. octogenario major) non solum docuit, nullam particulam sanguinis Christi in terris post resurrectionem ejus remansisse, verum etiam censuit, contrarium asserere, errorem esse contra fidem.

Repono. Joannem de Turrecremata suo in sensu nimium abundasse. Edicat ille, ubi Deus revelaverit? ubi Ecclesia definiverit, naturam humanam in Christo ita resurrexisse ad gloriam, ut nec minimæ particulæ sanguinis in terra relictæ fuerint? Fateor equidem, Christum ob perfectissimum temperamentum non habuisse sanguinem superfluum, quem in Passione effudit: at vero, in qua sacræ Scripturæ pagina revelatum est, ad integritatem naturæ humanæ pertinere omnem, & totum sanguinem, ut nec aliquæ guttulæ abesse queant? Altioris certe authoritatis erat Joanne de Turrecremata Pius II. Christi in terris Vicarius, qui in sua Bulla alibi relata disserte testatur: *Veritati fidei nullatenus repugnare, si affirmetur Redemptorem Nostrum de sanguine ob Passionis suæ memoriam aliquam partem in terris reliquisse.*

ARTICULUS III.

Valde probabile est modicum illum Sanguinem a Christo resurgente Fidelium solatio in terris relictum non retinere unionem hypostaticam ad Verbum, & ita non esse cultu latriæ absoluto, sed respectivo dumtaxat adorandum.

I. PRobatur authoritate eximii Doctoris Francisci Suarii, qui tom. 2. in 3. p. D. Thomæ disp. 47. sect. 3. in hunc modum discurrit. „ Ille sanguis jam non est pars Humanitatis Christi,

ne-

„ neque in actu, neque in potentia, qui nun-
„ quam amplius conjungendus est corpori Christi.
„ Unde fit, ut jam nullum habeat ordinem ad
„ humanitatem, seu animam, ratione cujus cor-
„ pus mansit unitum, in triduo, ut Theologi
„ docent. Et e contrario partes materiæ, quæ
„ per continuam nutritionem resolvebantur ex cor-
„ pore Christi, & nunquam iterum erant corpo-
„ ri conjungendæ, dimittebantur a Verbo; quia
„ amittebant omnem ordinem ad humanitatem.
„ Ergo idem est dicendum de sanguine, si quis
„ fortasse adhuc in Ecclesia permanet. Et con-
„ firmatur; nam unio hypostatica integra, & per-
„ fecta tantum est una, quæ est ad humanita-
„ tem, & partes ejus, sed perfecta est in huma-
„ nitate Christi, & consequenter in anima, cor-
„ pore, & sanguine, quibus illa humanitas con-
„ stat; ergo nihil aliud est unitum hypostatice
„ Verbo Divino. „

II. Si sanguis in Orbe residuus esset vera pars corporis, & Sanguinis Christi, deberet ille in Eucharistia reperiri; atque ibidem fieri præsens vi verborum; hoc autem nullus Doctorum hactenus admisit: quis ergo credat admissuros, ut modicæ portiones Dominici Sanguinis super terram retineant unionem hypostaticam cum Verbo?

III. Verbum non assumpsit duas naturas, sed unam, eamque humanam: at sanguis a Christo in resurrectione non receptus jam habet propriam naturam, eamque certe non humanam; quo fit, ut, ni-

nisi ille actu humanam naturam constituat, ei Verbum uniri nequeat, sed eum plane dimittere debuerit. Certe sanguis ita dimissus, & in terra relictus, propria sua instructus est forma substantiali ultimata, ad classem inanimatorum pertinente. Duabus itaque naturis uniri Verbum deberet, sanguinis inanimati guttis, ut ab Adversariis contenditur; & præterea perfectæ naturæ humanæ Christi. Id, quod repugnare, nemo Theologorum tam hebes est, qui non videat. Vel sic: Una tantum est hypostatica integra, atque perfecta Verbi Divini cum humanitate, & partibus illius: ergo unio hypostatica perfecta dari non potest, nisi, ubi datur humanitas Christi, & partes illius. Jam vero ex fide certum est, humanitatem Christi, & partes illius non dari, nisi in *Cælo*, ubi sedet ad Dextram Patris, & in Sanctissima *Eucharistia:* ergo neque unio Verbi alibi dari potest; nam etsi particulæ quædam sanguinis a Christo sint relictæ in terris, nemo tamen dixerit, illas esse partes, quæ constituunt humanitatem Christi; alias Humanitas ista esset divisa, & partim existeret apud nos in terris, & partim glorificata resideret in cœlis. Quid absurdius? Quod si non constituunt humanitatem, neque retinebunt unionem Verbi, utpote quæ non datur, nisi cum humanitate Christi, & partibus illius. Proinde unio hypostatica Verbi Divini non amplius remanet in istis particulis sacratissimi Sanguinis, in terra relicti.

IV. Si

IV. Si eæ partes Sanguinis, eo quod habuerint aliquando unionem ad Verbum, deberent eam conservare: idem dicendum esset de capillis, & dentibus, quos Infans Divinus deperdidit, nec non de unguibus, & similibus. Item Sanguis in Circumcisione effusus non mansit unitus Divinitati: cur igitur potiori jure fruantur portiones Sanguinis in Passione effusi, & postea in terris relicti? Deinde Præputium Christi, particulæ Sanguinis, & Carnis dudum ante Passionem Dominicam amissæ, vel calore, vel sudore, actu non uniuntur Verbo, nec unientur deinceps. Detur ergo ratio, si quæ potior habetur pro guttis sanguineis in terra relictis.

Si autem relictæ in terris Dominici sanguinis guttulæ Divinitati non sint unitæ, consequitur, adorandas eas dumtaxat esse *Cultu latriæ respectivo,* immediato tamen ob unionem præcedentem, adeoque majore illo, qui Cruci exhibetur. Nulli etenim creaturæ debetur cultus *latriæ absolutæ*, nisi propter intrinsecam, eamque increatam excellentiam, atqui juxta eos, qui negant perseverantiam unionis hypostaticæ in sacratissimo Sanguine, quem Christus reliquit in terris, nulla reperitur excellentia intrinseca, quæ sit increata: ergo non potest adorari *Cultu latriæ absoluto.*

Notatu digna est animadversio Clarissimi D. Eusebii Amort Theolog. Electica tom. 4. disp. 2. §. 1. ubi ait: *Suadendum est omnimodis, ut in omnibus devotionibus invocationes, & Actus reverentiæ*

sem-

semper dirigantur ad Deum, vel Personam, cujus Reliquiæ honorantur, prout in solennibus suis precibus observat Ecclesia. Non enim invocat Corpus Christi, vel ejus Humanitatem, sed ipsum Christum. Quo in casu ejusmodi cultus *respectivus* evadet *absolutus*, si nempe Adoratio uno, eodemque actu tendat in Christum Deum-Hominem, cujus modicus ille Sanguis vel fuit, vel adhuc est pars, & cui aliquando erat hypostatice unitus.



DIS-




DISSERTATIO II.

De Euchariſtiæ adoratione, aſſervatione, expoſitione, ad ægrotos, ad incendia reſtinguenda, ſedandas tempeſtates delatione. De peculiari ejusdem feſtivitate Feria V. poſt Dominicam Trinitatis, deque ſolemni, & pompoſa illius Proceſſione.

FIdes hæc ſemper in Dei Eccleſia fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum D. N. J. C. corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpeciebus una cum ipſius anima, & Divinitate contineri. Ubi etiam amantiſſimus Redemptor illud inexplicabili perfecit conſilio, ne hoc Euchariſtiæ Sacramentum ut cœtera in actionibus tranſeuntibus conſiſteret, ſed permanens inſtitueretur, ut ita nunquam abeſſet a ſuis, & cum delicias ſuas duceret eſſe cum filiis hominum, vere cum iis eſſet uſque ad conſumma-

mationem sæculi: *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Deut. c. 4. ℣. 7. Eapropter cum orthodoxam hanc veritatem per universam Ecclesiam diffusam, & disseminatam, ac omnium Fidelium consensu receptam Berengarius impie negare ausus esset, ibique signum tantum adesse blateraret, statim in Vercellensi Concilio, quod Leonis IX. authoritate convocatum fuerat, condemnatus ipse hæresim suam abjuravit, qui postea, cum ad eandem impietatis insaniam rediisset, tribus aliis Conciliis Turonensi, & duobus Romanis, quorum alterum Nicolaus II. alterum Gregorius VII. Pontifices Maximi indixerunt, anathemate percussus est. Eam post catholicam sententiam Innocentius III. in magno Concilio Lateranensi confirmavit, ac deinceps a Florentina, & Tridentina Synodis ejusdem veritatis fides apertius declarata, & stabilita fuit. Quod si autem peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento Corpus, & Sanguis D. N. J. C. vere contineatur, jam nullus dubitandi relinquitur locus, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Augustissimo Sacramento esse impendendum, quod amplius declarat.



QUAE-

QUAESTIO I.

An recte agant Orthodoxi Eucharistiam latreutice venerando?

PRAENOTIO.

I. E*Ucharistia* græcum nomen est, quod vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem significat. Nomen hoc Divino huic Sacramento non vane est attributum, bonam enim nobis gratiam in eo Deus exhibet, nosque amplissimo gratiarum actionis debito obstringit. Vocatur etiam *Synaxis*, sive *Communio*; quia in hoc Sacramento quodammodo communicamur Christo, ipsique unimur tamquam membra capiti nostro, atque inter se invicem spirituali nexu in Charitate jungimur constituentes unum mysticum corpus, cujus caput Christus est, & nos alter alterius membra. Dicitur item *Convivium, & panis vivus supersubstantialis*; quia hoc suavissimo pane Angelorum mirum in modum nutritur, fovetur, & roboratur anima, quæ ibi præter gratiæ sanctificantis augmentum copiosis etiam impinguatur gratiis actualibus, ut facile procedat de virtute in virtutem, & admirabiles faciat ascensiones in corde. Dicitur etiam *Viaticum*; quia est cibus supersubstantialis viatorum in hoc mundo peregrinantium, & ex eo discedentium, in cujus fortitudine ambulare possint usque ad montem Dei. Appellatur etiam

Hostia, *Sacrificium*, *Holocaustum*; quia in ejus oblatione omnia Sacrificiorum genera in veteri Lege præscripta quodammodo coadunata sunt, & in unum supereminens, & superexcellens Sacrificium collecta; ejus enim oblatio est rememoratio quædam Dominicæ Passionis; quia in eo designatur, & in memoriam nobis reducitur cruentum illud Sacrificium, quo Christus morte sua semetipsum pro nobis obtulit in ara Crucis tamquam Sacerdos in æternum, & ad hoc ipsum alludendo vocari solet Missæ Sacrificium incruentum.. Hoc de nomenclatura hujus sanctissimi Sacramenti.

II. Quoad rem describitur a Doctore subtili in 4. dist. 8. q. 1. §. *Hic tria videnda.* Ab his verbis: „ Eucharistia est Sacramentum Corpo„ ris Christi, & Sanguinis veraciter „ contenti sub speciebus panis, & vini „ post consecrationem factam a Sacer„ dote sub verbis certis cum debita in„ tentione prolatis ex institutione Di„ vina veraciter signans Corpus Christi, „ & Sanguinem sub eis speciebus reali„ ter contineri. „ Hæretici, qui in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & Divinitate D. N. J. C. adesse negabant asserentes Christum in eo tantummodo esse, ut in signo, vel figura, aut virtute, aut in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, eidem con-

se-

sequenter & Latriæ cultum abnegabant, Contra quos sit

ASSERTIO.

Eucharistiæ Sacramentum recte a nobis adoratur.

I. QUia illum eumdem Deum in eo adesse credimus, quem Genitor Cœlestis introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ad Hebr. c. 1. ℣. 6. Quem Magi procidentes adoraverunt Matth. c. 2. ℣. 11. Quem redivivum in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse constat ex Matth. c. 28. ℣. 17. *Et videntes eum adoraverunt.* Si adorare eum licuit in stabulo, cur quæso, adorare non liceret in Templo, & in Sacramento? Si in Galilæa Apostoli Christum adorarunt, cur nos non adoremus in Eucharistia? ratio quippe formalis, & motivum adorationis hic pariter adest, ubi non tantum est, *qua Homo,* sed etiam *qua Deus* ob unionem hypostaticam, qua Humanitas subsistit in Persona Verbi. Hoc etiam innuere videtur Psalmista psal. 21. ℣. 29. & 30. *Quoniam Domini est Regnum: & ipse dominabitur Gentium. Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ.*

II. Idem docuere Patres. S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto c. 12. in illud psal. *Adorate scabellum pedum ejus.* Ita loquitur: *Itaque per sca-*

bellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus. S. Joannes Chrysostomus Homil. 3. in Epist. ad Ephes. ait: *Adora, & manduca.*

III. Id definivit Concilium Tridentinum sess. 13. can. 6. *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu Latriæ, etiam externo adorandum . . . . anathema sit.* Ubi adverte, quod Synodus Tridentina can. 6. mox citato insinuet *in Eucharistiæ Sacramento Christum esse adorandum*: prius autem cap. 5. dixerit: *Latriæ cultum, qui vero Deo debetur huic Sacramento* esse exhibendum, ubi non solum *Christum Dominum,* sed *hoc Sacramentum,* quod est signum sensibile, & in recto importat species Sacramentales continentes, & significantes Christum præsentem indicat esse adorandum.

Dum ergo totum illud complexum ex speciebus, & Christo sub iis contento, ex signo, & signato, ex Sacramento, & re Sacramenti adoratur, tunc objectum motivum, & terminus formalis adorationis est Christus qua Deus: species autem Sacramentales sunt tantum terminus materialis ejusdem adorationis, cum sint quid creatum, & non ratione sui, sed ratione Christi sub ipsis realiter contenti adorantur cultu Latriæ, dum Christus adoratur, sicut etiam Christus adoratur cultu Latriæ ratione Deitatis, non ratione Humanitatis, quæ est tantum terminus, non vero motivum adorationis.

IV. In

IV. In Eucharistiæ Sacramento vere realiter existit Christus Dominus, & quidem ante sumptionem post legitimam consecrationem, qui non tantum est Homo, sed etiam verus Deus, ut fides docet: ergo est cultu Latriæ adorandus.

Inquiunt: Eucharistia instituta est a Christo eo fine, ut a Fidelibus digne sumatur, non ut adoretur. Repono. Idem Filius Dei humanam naturam ideo assumpsit, ut sua Passione, & Morte hominem redimeret, & salvaret, & tamen nullus Christianus dicit, Dei Filium in hunc mundum venientem non esse adorandum; adeoque etiam nimis inurbanus, & crassus est Hæreticus erga Salvatorem in Eucharistia absconditum; si ideo ipsum non adorat ibidem, quia ibi semetipsum dedit in cibum.

Petes. Qua occasione sit inducta consuetudo sanctissimum Sacramentum in Missa elevandi, ut a populo adoretur?

Respondetur. Elevationem Sacramenti, quæ nunc fit a Sacerdote sacrificante post consecrationem introductam fuisse, ut, cum Berengarius vel realem Christi in Eucharistia præsentiam, vel panis conversionem in Corpus Christi negaret, signum Catholicæ fidei ederetur, quo Fideles publice Christi in Eucharistia præsentiam adversus Berengarii hæresim profiterentur. En verba P. Le Brun tom. 1. p. 1. pag. 554. „ Placet nobis sen„ tentia, quæ statuit, morem elevan-

„ di Eucharistiam in Ecclesia latina ori„ ginem a Berengariana hæresi duxisse, „ cum enim Berengarius realem Christi „ in Eucharistia præsentiam impugnas„ set, plures viri sanctitate præstantes „ varios ritus invenerunt, ut Fideles „ publice profiterentur Corporis Christi „ in Eucharistia præsentiam a Berenga„ rio impugnatam: cui rei, mirum, „ quantum elevatio Sacramenti conve„ niat. „ Nec tamen quispiam hinc sibi persuadeat, hoc fuisse primum adorationis Eucharistiæ initium: quæ quidem adoratio tum interna, tum externa a dogmate de reali Christi in Sacramento præsentia nunquam fuit sejuncta, ut contra Hæreticos eruditissime probat Bossuetus. Adjungere hic juvat ipsum Lutherum acrem disciplinæ Catholicæ impugnatorem, ritum elevandi hostiam, quidquid Corolostadius in contrarium ei persuadere contenderit, in Missæ formula, quam Ecclesiæ Witenbergensi præscribit, retinuisse, ut abunde testatur Isach. Hildebrandus in opere suo: Sacra publica veteris Ecclesiæ in compendium redacta.

Inducta Sæculo duodecimo disciplina Hostiam, & Calicem elevandi, mos quoque invectus est, ut Minister campanulam pulset: *Ut sic mentes Fidelium ad Orationes excitentur*, quemadmodum legi-

gitur in quodam Decreto Guillelmi Parisiensis Episcopi ad Cardinalem Bona lib. 2. c. 13. Et in alio Cardinalis Guidonis in Germania Legati, ut observat Mabillonius in Comment. ad Ordinem Romanum n. 7. In quibusdam Galliæ Ecclesiis, cum elevatur Hostia, populus intonat Hymnum *O salutaris Hostia*, quem morem juxta Cardinalem Bona cit. c. 13. induci postulavit ab ejus Regni Episcopis Ludovicus XII. ad Dei opem implorandam in bellis, quibus Princeps ille premebatur.

QUAESTIO II.

An asservatio Eucharistiæ extra Missam sit licita?



ARTICULUS I.

Optima, & laude dignissima est praxis Ecclesiæ Catholicæ Eucharistiam decenter asservandi in Sacrario, Hierotheca, Ciborio, Ostensorio.

I. SIquidem mos iste est antiquissimus in Ecclesia. S. Irenæus in Epist. ad Victorem Papam, quæ extat apud Eusebium lib. 5. hist. c. 34. refert fuisse eo tempore consuetudinem, ut Papa mitteret Eucharistiam Ad alios Episcopos in signum pacis, & communionis: adeoque jam

tunc reservabatur Hostia, & asservabatur post completum Sacrificium. Antiquior Irenæo est S. Justinus Martyr, utpote Apostolorum Discipulus, qui apolog. 2. circa finem insinuat morem jam tunc fuisse asservandi Eucharistiam post Sacrificium, sic enim ait: *Postquam Antistes gratiarum actionem perficit, & populus omnis apprecatus est, Diaconi ex pane, & vino consecratis partes dividunt unicuique præsentium, & ad absentes portant, hic cibus dicitur EUCHARISTIA.* Tertullianus lib. de orat. c. 14. inquit: *Accepto Corpore Domini, & reservato utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio Officii.* S. Basilius epist. 289. quæ est ad Cæsariam Patritiam, tradit, quod adhuc ante ipsius tempora, dum persecutiones urgebant, cogerentur homines necessario Sacerdote, vel Ministro (id est, Diacono) non præsente propriis manibus percipere communionem: ergo hæc debuit reservari de Sacrificio celebrato in loco remoto. Subdit ibidem Basilius; etiam Monachos, qui per eremos vivebant, Sacerdotem nullum in suo consortio habentes, cum habeant Domi communionem, de suis manibus illam percipiunt.

Primis itaque sæculis, in quibus Fideles ad sacram Communionem una convenire nequibant, nec in publico loco sacra Eucharistia servari poterat deficiente Ecclesiarum provisionc ob Gentilium persecutiones, ne ab ipsis, quod etiam proximis temporibus Accatholicorum perfidia renovatum fuit, irrideretur, & conculcaretur, permis-

missum fuit antiquis Christianis, quod particulas Eucharistiæ ad proprias lares deferrent, & privatim ibi asservarent, ut singulis diebus, prout moris tunc erat, se reficere possent, ut commemorant S. Hieronymus epist. 50. S. Cyprianus lib. de lapsis n. 92. Et in lib. *de Spectaculis*. Tertull. lib. de orat. sub fine, & lib. 2. ad uxorem, & innuitur in Lectione, quæ legitur in Breviario die 13. Augusti pro S. Hyppolito Martyre. *Hyppolitus a S. Laurentio baptizatus, domi suæ, dum Eucharistiam sumeret, comprehensus.*

II. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 6. ita habet: Consuetudo asservandi in Sacrario sanctam Eucharistiam, adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicœni Concilii agnoverit. Et dein can. 7. anathemate ferit illos, qui dixerint eam non licere asservari: *Si quis dixerit: non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem necessario distribuendam .... anathema sit.*

III. Hoc Sacramentum est Viaticum, debetque sumi ab ægrotis de vita periclitantibus: sæpe autem contigit aliquem eo tempore repentino morbo obrui, quo celebrari Missa non potest, ut a meridie, vespere, vel noctu: igitur necesse est Eucharistiam pro communicandis infirmis asservari. Dein; si hoc Sacramentum sancte adoratur: ergo etiam ut adoretur, sancte asservatur.

Nota tamen hic consuetudinem, quæ primis temporibus invaluerat, ut a Laicis Eucharistia do-

mum deferretur, & diebus sequentibus sumeretur, fuisse postmodum abolitam per contrariam Ecclesiæ legem in primo Toletano Concilio A. C. 400. can. 14. latam. Quod idem etiam statuit Concilium Rothomagense can. 2. ut refert Ivo Carnotensis.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Christus consecrans, & instituens Eucharistiam, nihil de ea asservasse narratur in Evangelio. Repono. Multa Christus Apostolis facienda dixit, quæ tamen scripta non sunt, & multa per Apostolos, & Ecclesiam facienda ordinavit, quæ ipse ob temporis circumstantias, & causas sib notas per seipsum non fecit: sicut & Paulus 1. Corinth. c. 11. ℣. 34. post aliqua de hoc Sacramento insinuata subjungit: *Cætera, cum venero, disponam.* Christus ergo hujus Sacramenti substantiam instituit: Cæremonias vero accidentales Ecclesiæ commisit, quæ ea potest instituere, & præcipere, quæ ad Sacramentorum reverentiam, & Fidelium utilitatem spectant, cum Ecclesiæ credita sit dispensatio mysteriorum Dei.

II. Inquiunt. S. Clemens epist. 2. ut refertur can. *Tribus*. de consecrat. dist. 2. ait: *Tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant, quod si remanserint in crastinum, non reser-*

ven-

ventur, sed Clericorum diligentia consumantur. Repono. Cum P. Frassen ad id, quod in textu objicitur, id Clementem pro suo primo Ecclesiæ statu constituisse, quando Fideles frequenter, & quasi quotidie communicabant, dum Missæ Sacrificio præsentes aderant, ut ita non fuerit tanta necessitas asservandi Eucharistiam pro ægrotis, nolebat autem ea lege obligari Fideles pro posteris temporibus, dum frequens communionis usus deficeret, ne hoc modo multos contingat sine hoc cibo vitam finire : Pro aliis solvendis

Hæc nota I. Asservatio Eucharistiæ prohibita fuit tempore persecutionum, dum periculum evidens erat, ne hæc margaritha projiceretur ante porcos, & ab iis conculcaretur. II. Ne asservaretur in illis locis, ubi non adest Sacerdos curatus, qui eam custodiat, & dispenset: unde dum contingebat Sacerdotem pervenire ad locum dissitum, ubi rem Divinam celebrabat, populumque citabat, mox ultra perrecturus, non audebat reliquias consecratas ibi relinquere, sed debebat eas vel solus, vel cum Clericis consumere, quod etiam modo fieri videmus in Capellis ruralibus extra matricem, & tanto magis in locis Infidelium, per quæ gyrant Missionarii III. Prohibetur nimis diuturna asservatio specierum, ne corrumpantur; hinc in defectu communicantium consumi debent a Ministris Ecclesiæ, ut per consecrationem renoventur. Dum autem species contingit putrefieri, tunc comburendæ sunt, & cineres in Sacrarium repo-

reponendi. Et de hac hypothesi loquitur Hesichius lib. 2. in Levit. c. 8. ubi ait: Reliquias has esse igni tradendas, quia nempe sub speciebus corruptis desinit præsentia Christi. IV. Non debet asservari panis Eucharisticus eo fine, ut iterum deserviat ad consecrationem in alio Sacrificio, ut patet.

QUAESTIO III.

Quando Sacramentum Eucharistiæ a Fidelibus adorandum publice exponi cœperit?

ASSERTIO.

Publica Sacramenti expositio Vanespenio Juris ecclesiastici p. 2. tit. de Euchar. c. 5. n. 13. & Juvenino ad Sacram. Diss. 4. q. 4. §. 5. Conclus. 2. ad tempus Urbani IV. quo Eucharistia solemni Pompa visibiliter per publicas vias circumgestari cœpit, referenda videtur.

CUm enim Sacramentum hac occasione visibile in plateis, atque Ecclesiis exponeretur, haud inconveniens visum fuit illud etiam in altari, aut alio eminentiore loco extra publicæ supplicationis tempus adorandum populo exhibere. Ac primum ita factum esse ajunt citati Authores tempore Divinorum Officiorum ipso die festo Corporis Christi, mox integro illo die, postmodum

per

per ejus Octavas, ac tandem nonnullis aliis solemnioribus præsertim diebus, atque ita sensim ad præsentem, quæ in Ecclesia viget, disciplinam deventum esse putant.

Christianns Lupus vero p. 1. tom. 11. veter. edit. Oper. suorum dissert. de sacr. Process. c. 9. contendit Sacramentum Eucharistiæ prius in Templis exponi consuevisse, quod ex vita S. Claræ Virginis, quæ A. C. 1253. e vivis excessit, deprehenditur, cujus jussu sacram Eucharistiam Saraceuis Assisium obsidentibus ad monasterii januam delatam fuisse traditur, quod S. Clara minime fecisset, nisi sub id tempus Eucharistia palam exponi consuevisset.

Nota Eucharistiam exponi publice non posse, nisi ex causa publica ab Episcopo probanda, qui solum facultatem impertiri potest etiam pro Regularium ecclesiis : *Quæcunque* (ait Trid. sess. 21. de reform. c. 8. 8.) *in Diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum est.* Vanespenius juris eccles. p. 2. tit. 4. de sacr. Euchar. c. 5. n. 17. affert Decretum sac. Congreg. die 17. Augusti A. C. 1630. in quo statuitur : *Non licere Regularibus etiam in propriis Ecclesiis . . . . Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario, ex causa tamen privata posse, dummodo . . . . e Tabernaculo non extrahatur, & sit velatum &c.* Hujusmodi Decretum, licet pro causa Neapolitana editum fuerit,

pro

pro generali tamen norma receptum fuit, ut contigit die 28. Februarii A. C. 1654. lib. 19. Decret. p. 316. & seq. Iterum die 14. Aprilis. A. C. 1674. lib. 28. Decret. p. 72. Dein Benedictus XIV. in Decretali ad Episcopum Wormiensem die 16. Aprilis A. C. 1746. ita statuit: Illud imprimis certissimum est Sedi Apostolicæ, in quibuscunque ecclesiis etiam privilegio immunibus sive sæcularibus, sive regularibus non licere exponi publice Divinam Eucharistiam, nisi causa publica, & Episcopali facultas intercedat: solius autem Episcopi partes esse, ut causæ publicæ meritum expendat, ac declaret.

Petes. Quando censeatur sanctissimum Sacramentum publice, & quando privatim exponi?

Respondetur. Publicam tunc haberi expositionem, cum Eucharistia in ostensorio reposita per chrystallum, qua sphæra munitur, a populo cernitur, & ut videri commodius possit, in eminentiore altaris loco collocatur. Privata vero tunc dicitur, quando vel reserato Tabernaculo, sacra pixis clausa, suoque velata conopæo in Tabernaculi ostiolo reponitur; vel Eucharisticus panis in ostensorio inclusus, sub umbella quidem ad id parata in editiore altaris loco statuitur: at sphæra ita serico albi coloris velo obducta est, ut sacræ Hostiæ aspectus adstantibus omnino interdicatur. Utraque Eucharistiæ privatim exponendæ ratio permissa est, cum priorem sacrarum Congregationum Decreta aperte commemorent; posteriorem vero

con-

constans Romanæ Urbis usus, & consuetudo commendet. Non tamen unquam licet in privata expositione sacram pixidem e Tabernaculo eductam, & velatam sub umbella collocare, cum nullum hujusce ritus vestigium apud Scriptores, nullaque Sedis Apostolicæ consuetudo deprehendatur, quam tamen omnino sequi par est, ut sapienter monet Benedictus XIV. instit. 30. n. 16.

Petes. Quis instituerit 40. horarum preces coram sanctissimo Sacramento?

Respondetur. Solemnem 40. horarum precationem a P. Josepho Mediolanensi Capuccino A. C. 1556. in memoriam 40. horarum, quibus Redemptor noster jacuit in sepulchro, institutam refert Thiersius lib. 4. c. 17. relatus a Cardinal. Lambertino instit. eccles. 30. Pius IV. constit. incip. *Divina disponente* Sodalitium Romæ institutum, & ab *Oratione mortis* dictum approbavit, cui Sorores, & Fratres adscripti, aliique precationes ad 40. horas protrahebant, ut jejunium 40. dierum, quod Salvator in solitudine peregit, sanctosque Apostolos, & priores Ecclesiæ Patres assiduis precibus occupatos imitarentur. De Eucharistia tamen non meminit Pontifex. Verum Sodales ante ultimam Dominicam cujusvis mensis, vel alio die supplicationem pro Eucharistia solemni Pompa deferenda instituere solitos commemorat.

Anno autem 1592. Clemens VIII. constit. incip. *Graves, & diuturnæ* plurimas indulgentias iis im-

impertivit, qui Romæ ad Ecclesias, quas enumerat, convenirent, in iisdemque 40. horarum spatium piis orationibus impenderent. Licet de Eucharistia publice exponenda Pontifices non loquantur, inferri tamen facile potest, hunc morem tunc primum inductum, vel paulo ante, cum 40. horarum precatio indicebatur. Vide Eminentissimum Lambertinum loc. cit. qui etiam instit. eccles. 14. colligit ex sacris Annalibus introductam fuisse sæculo decimo sexto devotionem 4. horarum tribus ultimis Bacchanalium diebus ante diem cinerum pro avertendis Fidelibus ab operibus carnis, & convertendis ad opera spiritus, & pro placanda Divina indignatione irritata a peccatis committi solitis, diebus illis.

Eruditissimus vero Ughellus *in Italia sacra* tom. 4. p. 27. lit. D. ad rem ita scribit: „ Orationem certe quadraginta horarum „ Mediolani primum institutam constat „ Auctore ejus Bono Cremonensi. Hic „ enim anno salutis 1534. Francisco II. „ Mediolani Duci persuasit, ut sanctissimum Christi Corpus populo adorandum in Templis exponeretur per 40. „ horas, quot scilicet in sepulchro jacuisset, atque ita per orbem in præcipuis Urbis hujus Templis idem fieret, ut oratio in amplissima Urbe nunquam

„ quam deficeret. Quod quidem tanto „ studio facere aggressi sunt Mediolanen- „ ses, ut nisi nimii luminum, & appa- „ ratuum sumptus lege coerciti fuissent, „ ceræ, & olei inopia laborandum per- „ petuo fuisset. Ita in religiosissima Ur- „ be perpetua oratio ab eo tempore in- „ stituta in Romanam Urbem deinceps „ Clementis VIII. Decreto traducta est. „ Ejusdem Boni Cremonensis institutum „ fuit, ut singulis sextis feriis ad ho- „ ram nonam signum campanæ daretur, „ quo Fideles admoneantur ea ipsa ho- „ ra mundi Salvatorem Christum Do- „ minum oratione ad Patrem pro nobis „ fusa spiritum emisisse. Quod & in qui- „ busdam Diœcesis oppidis servatur, „ & per universum christianum orbem „ fieri deberet. „ Hactenus ille.



QUAESTIO IV.

An bene agant animarum pastores Eucharistiam ad ægrotos deferendo?

ASSERTIO.

Nedum pium, sed & necessarium est, ut Eucharistia ad infirmos honorifice deportetur, iisque sumenda porrigatur.

I. HUnc morem attestantur Dionysius Alexandrinus, qui floruit circa A. C. 260. in epist. ad Fabium Antiochenum teste Eusebio Cæsariensi lib. 6. hist. eccles. c. 36. Item S. Augustinus serm. 215. de tempore ait: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus, & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat.* Constat quoque in hist. eccles. ad S. Serapionem, & S. Ambrosium extremo morbo laborantes allatam fuisse Eu-Charistiam; inde quoque factum est, ut sacrosanctæ Eucharistiæ jam ab antiquis temporibus nomen *Viatici* sit attributum.

II. Hoc definivit Concilium Tridentinum sess. 13. can. 7. *Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reservari . . . . aut non licere, ut illa AD INFIRMOS deferatur, anathema sit.* Pro hac delatione citantur in margine Capitis 6. plura antiqua Concilia, signanter Nicœnum I. quod hanc materiam tractat a can. 11. & postea

stea can. 13. ait : *Exeuntes de corpore non debent juxta veterem, & Canonicam legem novissimo juvamine* (sermo est de Eucharistia) *privari.*

III. Quia instante articulo, vel periculo mortis maxime indiget ægrotus hujus cibi fortitudine, vi cujus ambulare possit usque ad montem Dei, indiget viatico, utpote ingressurus vias æternitatis: indiget cibo, & nutrimento vitæ spiritualis, utpote mox amissurus vitam corporalem, & spiritualem inchoaturus, indiget remedio, adjutorio, & viribus, utpote descendens in arenam extremum cum terribili hoste luctaturus.

IV. Quia hoc tempore maxime urget præceptum Christi de hoc Sacramento sumendo : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joan. c. 6. ℣. 54. ergo, ut istud præceptum implere possit ægrotus non potens adire Templum, deferenda ad ipsum est Eucharistia. Neque absurdum reputari debet Christum ad domos etiam pauperes, & miseras deferri, utpote qui propter nostram salutem etiam nostram naturam assumere, hanc terram incolere, imo pro nobis pati & mori, ac a nobis manducari non est dedignatus.

Petes. An Eucharistia infirmo eam non potenti recipere possit ferri solum devotionis causa?

Respondetur. Licet olim in usu fuerit, ut infirmo, qui Eucharistiam sumere non potest, hostia consecrata ad adorationem proponeretur, id

tamen hodie vetitum est, cum S. Pius V. prohibuerit, ne ad moribundos, qui non possunt Eucharistiam deglutire, sacra particula deferatur, ut videre est apud Cardinalem de Lugo resp. moral. l. 1. dub. 11.

Petes iterum incidenter. An moribundo, qui Eucharistiam sub specie panis deglutire non potest, præbenda illa sit sub specie vini?

Respondetur. Affirmativæ sententiæ videntur favere multa in rem hanc a Mortene, Cardinale Bona, & Mabillonio adducta exempla, & Concilium Toletanum XI. quod can. 11. expresse statuit, ægro, qui sacram particulam deglutire nequit, Eucharistiam sub specie vini ministrandam esse. Vera tamen opinio est, id fieri non posse; præceptum enim suscipiendi *Viaticum* non obligat, cum illud gravibus de causis ab Ecclesia negatur; cum ergo calicis usum Ecclesia justis de causis Laicis negaverit, sequitur in nullo casu, licere huic Ecclesiæ præcepto contravenire.

Monent tamen aliqui Theologi in ejusmodi casu posse moribundo sacram exhiberi particulam, aquæ, vel vino non consecrato intinctam. Quod confirmant exemplo Senis Serapionis apud Eusebium hist. eccles. lib. 6. c. 44. *Cui puer in aquam intinctam Eucharistiam in os instillavit.* Et ex S. Udalrico, qui lib. 3. antiq. con. clun. c. 28. t. 4. spic. testatur consuevisse Monachis infirmis præ-

beri

beri Eucharistiam sub specie panis, vino non consecrato intincti.

QUAESTIO V.

An liceat Eucharistiam ad sedandas tempestates, & restinguenda incendia efferre, & an obsessorum corporibus admoveri possit?

ARTICULUS I.

Cum tempestates sæviunt, vetitum est Eucharistiam de Tabernaculo extra Ecclesiam efferre, & cum eadem contra turbines benedicere.

ITa statuit Benedictus XIV. constit. incip. *Cum, ut recte.* Et ante ipsum S. Carolus Borromæus in sua tertia Synodo Diœcesana A. C. 1572. celebrata: „ Cum grandines, nimbi, tur-
„ bines, & aliæ temporum procellæ im-
„ minent, ad eas tempestates sedandas,
„ vel, ut vocant, signandas, ne Sacer-
„ dos vasculum, in quo Sanctissimum
„ Domini Corpus asservatur, adhibeat,
„ sed Tabernaculum accensis luminibus,
„ patefaciat, ut ea nimborum vi immi-
„ nente, rogationes, & preces a Clero,
„ & populo coram Domino religiose

 „ fiant.

„ fiant. *Quod confirmavit in tertia Synodo Pro-*
„ *vinciali coacta anno sequente 1573.* Cum nim-
„ bi, procellæ, turbines, aut grandines,
„ impendent, ne Sacerdos ad tempesta-
„ tis procellam arcendam vasculum ad-
„ hibeat, in quo Sanctissimum Eucha-
„ ristiæ Sacramentum asservatur, sed
„ Tabernaculum, ubi illud in altari re-
„ conditur, patefaciat, tumque in ejus
„ conspectu lytanias, aliasque religiosas
„ preces ejus rei causa institutas pie,
„ sancteque pronunciet. „ Hoc statutum S. Caroli Borromæi, quod veluti lex quædam in universa Diœcesi, & Provincia sua stabilitum est, merito pro cæteris locis haberi potest tamquam regula *in vi directiva*, cum ex aliquo tempestatum, grandinum, & fulminum inopinato casu suppliciter ad Deum recurrere lubet. Aperiendum nempe est Tabernaculum, Sacramentum intra pixidem relinquendum, piæ fundendæ preces, ut Divinam opem imploremus. Si autem Sacramentum non debet e Tabernaculo educi, facile intelligitur, in memorato casu non esse illud afferendum ad Ecclesiæ januam, nec cum eodem benedictionem impertiendam. Inspiciatur etiam Rituale Ebroicense A. C. 1606. a magno Cardinali de Perron compositum.

AR-

ARTICULUS II.

Etiam ad exstingenda incendia prohibitum est Sacramentum extra Ecclesiam deportare, & cum eo contra furentes flammas benedicere.

SIc iterum sanxit idem Benedictus XIV. in cit. Constit. *Cum, ut recte*, in cujus titulo, seu summario sic habetur: Ad incendium compescendum ad Ecclesiam S. Nicolai in „ carcere exortum, minus rite allatam „ fuisse ex Ecclesia sacram pixidem „ Sanctissimum Sacramentum interclu„ dentem, eaque super populum, & ad „ furentes flammas benedictum, ratio„ nibus, pluribusque allatis Ecclesiasti„ cis sanctionibus, demonstratur; ut ne „ tale quid exinde fiat, opportune san„ citur. „ Idem statuit Archiepiscopus Parisiensis in sua Synodo habita A. C. 1674. a. t. c. 2. indicta Sacerdoti, qui deliquisset, suspensionis pœna. Addo Rituale Argentoratensis Ecclesiæ evulgatum a bonæ memoriæ Cardinali de Rohan impressum A. C. 1742. ubi pag. 83. sequentia adnotantur verba: „ Prohibitum est insuper (*sermo est de Sacramento altaris*) ne ad exstin„ guenda incendia deferatur, & quidem

 „ sub

„ sub pœna suspensionis a Ministris de-
„ ferentibus ipso facto incurrenda. Scrip-
„ tum est: non tentabis Dominum Deum
„ tuum. Qui dixit mari - - usque huc
„ venies . . . . & hic confringes tumen-
„ tes fluctus tuos - - potest & impetum
„ ignis refrenare. Quandoque autem
„ sicut potens, sic & justus mala quæ-
„ dam permittit; quia, num facile sit
„ placabilis, ignoramus; vitandum il-
„ lud omne, quod quorumdam Christia-
„ norum fidem infirmare potest, & no-
„ strorum honorem mysteriorum malig-
„ nis Infidelium, aut Hæreticorum ir-
„ risionibus exponere. „

Qui temporalia a Deo exposcit, pavidus debet eadem rogare in Divinam resignatus voluntatem : *Quando petitis* (inquit S. Augustinus serm. 354. alias 53. de verbis Domini c. 7.) *Quando petitis temporalia cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut, si prosint, det, si scit obesse, non det: Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non ægrotus.* Cum sæviunt infortunia, homines plerumque Deum, quomodo oporteret, non orant, liberari a malis ingruentibus petunt, nihil præterea curant: cumque cæteroquin pietate, ac devotione erga Sacramentum altaris exardescant, videntes educi illud e Tabernaculo post recitatas pre-

preces, afferri ad Ecclesiæ januam, eodemque adhibito per Sacerdotem benedici ad eam regionem, unde erumpunt turbines, procellæ, vel ad eam, in qua fuerit incendium, implentur fiducia quadam, certaque spe, ad exitum jam pertigisse calamitates suas, &, si id non fiat, sicuti ex justo Dei judicio pluries reipsa non contigit, magnum exinde subest periculum, ne labefactetur, vel tepescat fervens illa devotio erga Augustissimum altaris Sacramentum, misso interea facto altero periculo irrisionum ab incredulis. Hæ animadversiones fecerunt, ut a solertissimis Episcopis statueretur, ne pixis e tabernaculo educatur, ne exportetur ab Ecclesia, vel extra Ecclesiam ad tempestates, aut incendia benedicatur.

ARTICULUS III.

Obsessorum exorcizatio fieri non debet admota ad eorum corpus sanctissima Eucharistia.

DEsumitur ex Rituali, ubi permittuntur Sanctorum reliquiæ opportunis adhibitis cautelis, obsessorum capitibus, & pectoribus imponi: *Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter, ac tuto colligatæ, & coopertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur.* Non tamen licet ad caput eorum, vel pectus sacram admovere Eucharistiam ob irreverentiæ periculum: *Sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter*

ejus corpori non admoveatur ob irreverentiæ periculum. Etsi in vita S. Bernardi, in Chronicis Belgicis Molineti, & in catalogo Belgico Bernardi a Lucemburgo lit. G. non desint exempla Sanctorum Virorum, qui tale quidpiam præstitere, atque ita ab obsessis dœmones ejecerunt: facta enim hæc iis accensenda sunt exemplis, quæ admiratione quidem, non vero imitatione prosequi debemus, & quæ speciali Dei instinctu acciderunt. Ita Benedictus XIV. in cit. Constit. *Cum, ut recte.*

QUAESTIO VI.

Expenduntur ea, quæ concernunt Festum, & solemnem supplicationem Corporis Christi feria V. post primam Dominicam, quæ Pentecosten proxime consequitur.

PRAENOTIO.

SAnctissimæ Eucharistiæ institutionem veneratur Ecclesia feria V. in Cœna Domini ab Apostolicis usque temporibus. Sed cum eo die in Passione, & morte Christi Domini recolendis sancta versetur Ecclesia, & in plurimis cœremoniis occupata sit, Deo gratum fore illi visum fuit, si peculiaris quædam institueretur festivitas lætitiæ, & gaudii signis celebranda, qua gratitudinis debitum exsolvatur, quo omnes Orthodoxi immensam Christi charitatem, quam in Eucharistiæ institutione ostendit, recolere obligantur, & quotidiana

na

na erga Eucharistiam irreverentia peculiari unius diei consecratione reparetur. De hac nova Festivitate hic sermo erit.

ARTICULUS I.

Festivitas Corporis Christi initium habet ex admirabili viso cœlitus immisso Beatæ Julianæ e monte Cornelione ad Leodii portas hospitalariæ.

CUm enim sancta hæc Virgo magna erga Sanctissimam Eucharistiam devotione flagraret, ut peculiari quadam celebritate Augustissimum hoc Sacramentum coleretur, cœlesti fuerat admonita visione, quam refert Joannes Chapeavilius Canonicus Leodiensis in tract. de vera origine festi Corporis Christi his verbis: „ Tempore juventutis suæ, quoties Christi Virgo Juliana orationi incumbebat, magnum „ Dei signum, & mirabile apparebat; „ apparebat, inquam, ei luna in splendore cum aliquantula tamen sui sphærici corporis fractione, quam, cum „ multo tempore conspexisset, mirabatur multum, ignorans, quod illi portenderet. „ Exinde S. Juliana humiles preces Deo profundens Divini consilii particeps fieri meruit. „ Tunc (*subdit idem Author*) reve-

„ la-

„ lavit ei Christus in luna præsentem
„ Ecclesiam, in lunæ autem fractione
„ defectum unius solemnitatis in Ecclesia
„ figurari, quam adhuc volebat a suis
„ Fidelibus celebrari.

Accepta hac superna revelatione, postquam Juliana A. C. 1230. in religiosa domo Montis Cornelionis ad Priorissæ munus evecta est, rem omnem contulit cum Joanne Canonico S. Martini Leodiensi, qui eam est cohortatus, ut a Theologis, & Episcopis consilium caperet. E Theologis quosdam Fratres ex Ordine Prædicatorum, ex Episcopis Cameracensem consuluit. Consultor etiam est adhibitus Jacobus Pantaleo Trecensis Archidiaconus Leodiensis, qui postea fuit Episcopus Virodunensis, & tandem Summus Pontifex Urbanus Quartus appellatus.

Ab omnibus hæc nova Festivitas probata fuit, ejusque Officium curante Beata Juliana compositum, & approbatum a Roberto Leodiensi Episcopo in Concilio A. C. 1246. habito, ubi decrevit, ut novum hoc Festum per totam ditionem suam celebretur, & antequam e vita migraret, voluptatem eam cœpit, ut novum hujus Solemnitatis Officium coram se celebrari videret. Sic institutam Festivitatem Hugo, qui Prior antea, & Provincialis Fratrum Prædicatorum a B. Juliana adhibitus rem omnem probaverat, jam Cardinalis, & Legatus in Belgium ab Apostolica Sede missus,

ad

ad totam suam Provinciam ampliavit, idemque biennio post confirmavit Cardinalis Capocius ejus in legatione Successor.

ARTICULUS II.

Urbanus IV. insigni miraculo commotus Solemnitatem Corporis Christi in universali Ecclesia celebrari jubet.

JUliana communicato negotio cum quadam pia muliere nomine Eva, e vivis sublata est. Itaque Eva ab Henrico Roberti Successore flagitare non destitit, ut Urbanum IV. Pontificem jam renunciatum, qui visionis Julianæ conscius erat, & Festivitatem in Belgio jam probaverat, exoraret, ut nova Festivitas ad universalem ampliaretur Ecclesiam. Pontifex auditis precibus aliquamdiu moratus est, ne quid temere suscepisse videretur, sed sequenti commotus miraculo tandem annuit.

Sacerdos quidam in Castro ad Volsiniensem lacum ab Urbeveteri (ubi tunc morabatur Urbanus IV. cum Romana Curia) haud longe distanti, post consecrationem panis, & vini dubitare cœpit de transsubstantiatione in Corpus, & Sanguinem Jesu Christi. Ex improviso Sanguis ex Hostia erupit, qui linteum, seu corporale commaculavit. Sunt, qui narrant, Sanguinis guttam Sacerdotis incuria in linteum effusam; illum

au-

autem, ut suam, tegeret negligentiam, multiplici plexu eamdem lintei partem complicasse; maculam deinde Sanguinis in formam Hostiæ in singulis lintei plexibus esse repertam.

D. Antoninus 3. p. tit. 19. c. 13. §. 1. ita hoc miraculum describit: „ Tunc cum Curia
„ residebat Urbanus in Urbe veteri, ubi
„ in loco non multum distanti apud Vol-
„ sinium in quadam Ecclesia Sacerdote
„ celebrante miraculum factum est ex
„ ipso Sacramento; nam cum post con-
„ fectionem Sacramenti guttæ aliquæ
„ Sanguinis ex calice profluxissent in
„ corporale, Sacerdos ad occultandum
„ defectum suæ negligentiæ cooperuit
„ partem corporalis pluribus plicis hoc
„ faciens; sed repertum est per omnes
„ plicas illas transiisse, & reliquisse ibi
„ rubram admodum Sanguinis formam
„ Hostiæ in pluribus partibus corporalis;
„ quod quidem corporale ad perpetuam
„ rei memoriam in Ecclesia Cathedrali
„ Urbis veteris reservatum est.

Miraculi fama commotus Pontifex, visoque linteo, precibus annuit Constitutione sua, quæ prima est inter ipsius Pontificis Bullas; ubi inseruit revelationes, etiam ante Apostolatum a se

cog-

cognitas; quot annisque eodem, quo nunc agitur, die Festivitatem celebrari præcepit in universali Ecclesia; cui etiam addidit causam, ad Catholicam fidem exaltandam, & ad gliscentem Berengarii hæresim, qui realem Corporis Christi sub speciebus panis, & vini præsentiam impugnabat, authoritate publica frangendam.

ARTICULUS III.

Urbanus IV. ipsemet hanc Solemnitatem ante obitum suum celebravit.

LIcet enim Urbanus e vivis excesserit postridie Kal. Octobris A. C. 1264. prædicta autem ejus Bulla expedita fuerit die 11. Augusti ejusdem anni, ut patet ex Regestris Vaticanis, hanc tamen Festivitatem eodem anno jam celebraverat cum Cardinalibus, & Præsulibus apud Sedem Apostolicam tunc commorantibus. Sic enim constat ex ejus Brevi ad memoratam Evam dato die 8. Septembris eodem anno, quo eam certam reddit de instituta, & jam a se celebrata nova Solemnitate juxta Divinum placitum, & pium ejusdem Evæ desiderium: „ Et scias (*sic sonant* „ *verba Brevis, quod affert Diestemius in tract. edi-* „ *to A. C. 1646.*) quod Nos ejusdem Fe- „ stum cum omnibus Fratribus Nostris „ S. R. E. Cardinalibus, nec non cum „ omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, „ coe-

„ cœterisque Ecclesiarum Prælatis „ tunc apud Sedem Apostolicam commorantibus (ad hoc, ut videntibus, „ & audientibus de tanti Festi celebritate salubre præberetur exemplum) „ duximus celebrandum.

ARTICULUS IV.

Mortuo Urbano IV. duobus fere mensibus post editam Bullam, Festivitatem in ipso sui initio intermortuam excitavit Clemens V. in Concilio Viennensi.

CUm post obitum Urbani nemo prædictæ Bullæ executionem urgeret, quod innuit Glossa Clement. unica de reliquiis, & veneratione Sanctorum, inde factum est, ut annis insequentibus ejusmodi Festivitatem celebratam fuisse non reperiamus. De ea enim silet Durandus, qui post Urbani mortem viginti duos vixit annos. Verum Patres in Concilio Viennensi A. C. 1311. habito Constitutionem Urbani a Clemente V. confirmatam receperunt, ut videre est in Clementina unica de reliquiis, & veneratione Sanctorum. Cujus executionem Joannes XXII. qui A. C. 1316. Clementi V. successit, omni studio curavit, ad eamque rem Martinus V. & Eugenins IV. novis indulgentiis attributis plurimum contulerunt, ut tandem in tota Ecclesia Festivitas celebraretur.


AR-

ARTICULUS. V.

Hanc Solemnitatem plurimum commendat sancta Tridentina Synodus, eamque *Triumphum* de hæresi appellat.

HÆc sunt illius verba sess. 13. c. 5. „ Declarat præterea sancta Synodus „ pie, & religiose admodum in Dei Ecclesia inductum fuisse hunc morem, ut „ singulis annis peculiari quodam, & festo die præcelsum hoc, & venerabile „ Sacramentum singulari veneratione, „ ac solemnitate celebraretur; utque in „ Processionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica „ circumferretur. Æquissimum est enim „ sacros aliquos statutos esse dies, cum „ Christiani omnes singulari, ac rara „ quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro „ tam ineffabili, & plane Divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & „ triumphus repræsentatur. Atque sic „ quidem oportuit victricem veritatem

„ de mendacio, & hæresi triumphum „ agere, ut ejus adversarii in conspectu „ tanti splendoris, & in tanta universæ „ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilita- „ ti, & fracti tabescant, vel pudore af- „ fecti, & confusi aliquando resipiscant. Et infra can. 6. anathema declarat, qui dixerit Eucharistiæ Sacramentum: „ Nec festiva pe- „ culiari celebritate venerandum, ne- „ que in Processionibus secundum lau- „ dabilem, & universalem Ecclesiæ ri- „ tum, & consuetudinem solemniter „ circumgestandum. „ Præterea recordatur gravissimi illius scandali dati a Saxoniæ Duce, cœterisque Lutheranis Principibus, qui Processioni Corporis Christi habitæ, Surio teste in Commentar. fol. 150. Augustæ Vindelicorum assistere noluerunt, ex quo maximam animi molestiam cœpit Carolus V. quem aperto capite cereum manu tenentem sequebantur Archiepiscopi, & Episcopi omnes umbellam alternatim portantes, præcedebat Cardinalis Moguntinus Ss. Eucharistiam portans sæcularibus Principibus, & Clero præeuntibus.



AR-

ARTICULUS VI.

Probabilius est Urbanum IV. non solum
Festivitatis fuisse Authorem, sed etiam Processionis nunc fieri solitæ.

I. QUia Urbanus ab Episcopo loci, ubi miraculum Volsiniense contigit, sacrum corporale cum processione, & pompa adferri sibi jussit, illudque in Ecclesia Urbevetana locavit, sic enim de hoc scribit Panvinius: „ Attonitus Pontifex ad se ab Episcopo loci cum processione Urbemveterem „ (Corporale) transferri voluit, & illud, „ solemnitate instituta, in Ecclesia Urbevetana recondidit. „ II. Guillelmus Luidanus Episcopus Ruremundensis tom. 2. Apologetici postquam docuit non hanc Festivitatem, sed Processionem a quibusdam Lutheranis improbari, subjicit: „ Sed unde obsecro certum est, solemni piorum communioni ab Urbano non fuisse adjunctam solemnem etiam Venerabilis Sacramenti circumgestationem? certe qui occasionem, atque scopum illius Festi ab Urbano IV. instituti prudenter juxta illorum temporum historias per-

„ pendunt, videbunt, opinor, non pro „ absurdo habendum, si quis ad illius „ Festi originem pertinere dicat istam „ solemnem circumgestationem, quæ „ stato die tunc solemniter toto christia„ no orbe celebratur. „ III. Gretserus tom. 5. edit. Ratisbonen. tract. de processionibus cap. 19. §. *Duodecimo mentitur prædicans.* pag. 64. & Dissert. de Festo Corporis Christi eodem tom. 5. c. 12. pag. 161. probare nititur ex Bulla Urbani, Processionem quoque ab eo Pontifice fuisse institutam, cum nihil ei videatur accomodatius ad Hæreticorum perfidiam confundendam, quam Pontifex in Festivitatis institutione præcipue intendebat.

ARTICULUS VII.

Recte consecratur Hostia (quidquid oggann iant Calvinistæ) quæ in pompa circumferatur.

SI enim Rex David, & omnis domus Israel laudabiliter fecit Arcam Dei, seu fœderis cum ingenti jubilo, & clangore buccinæ de domo Obededom in Jerusalem Civitatem David introducendo, ut legitur lib. 2. Reg. c. 6. Profecto Ecclesia Romano-Catholica piissime, & utilissime præstat, Ss. Eucharistiam (quam præsentabat Arca Testamenti) cum magno honore, devotione, spiritualique gaudio dumtaxat circumferens, & adorans.

Ri-

Ritus varii ab Orthodoxis in hac Theophorica Processione practicati, singuli sua continent mysteria. 1*mo*. Circumitur accensis cum faucibus, & candelis, ut viva illa signetur fides, qua absconditum istud creditur mysterium. Et Fidelibus cum Paulo Act. c. 20. ℣. 7. & 8. in fractione panis Eucharistici congregatis *Erant. lampades copiosæ in cœnaculo*. 2*do*. Comitantur Sanctissimum infantuli cum tintinabulis sub forma, & specie Angelorum, dicit enim S. Chrysostomus Hom. 36. in 1. ad Corinth. *Ubi est Christus in Eucharistia, ibi etiam non deest Angelorum frequentia*. 3*tio*. Sparguntur flores per vias publicas, & plateas, obteguntur muri pretiosis peristromatibus, exponuntur virentia arbusta, ut forum in Templum quoddam versum videatur, in eoque lætitiæ, & gaudii argumenta appareant. 4*to*. Aer alicubi repletur artificialibus ignibus, & strepitosis tormentorum, & scloporum fragoribus in signum victoriæ per Ss. Euchariſtiam a gentilitate, & hæresi reportatæ: *Sacramento Corporis Christi subjugatus est mundus*. S. Augustinus lib. 1. ad Januarium. 5*to*. Ad magnificandam isthanc Solemnitatem adhibentur varia musicalium instrumentorum genera; quia *David, & omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis*. lib. 2. Reg. c. 6. ℣. 5. *Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porro David erat accinctus ephod lineo. Et omnis domus Israel ducebant Arcam Testamenti Domini, jubilo, & clangore buccinæ*. ℣. 14. & 15.


6to. Plura hac die per Urbem eriguntur altaria; quia David Rex introducendo Arcam in Civitatem Sion, præceperat, ut per viam ad singulos sex passus novum erigeretur altare super quo septem boves, & septem arietes immolarentur: *Immolabantur septem tauri, & septem arietes.* 1. Paralip. c. 15. ℣. 26. *7mo.* Tandem benedicitur populus cum sanctissimo Sacramento; quia David, *cum complesset offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.*

ARTICULUS. VIII.

Officium, quod nunc recitatur in Festo Corporis Christi, composuit D. Thomas Aquinas.

ID, quod expresse patet ex Constit. Sixti IV. quæ reperitur tom. 3. novissimi Bullarii Fratrum Prædicatorum pag. 555. in qua declarans Pontifex Solemnitatem ab Urbano IV. institutam esse, subdit: *Propriumque ejusdem Solemnitatis Officium per B. Thomam de Aquino tunc in ipsa Curia existentem compositum edidit.* Papebrochius licet prius cum viris doctis de hujusmodi Officii Authore dubitasset, postquam vero celebrem legisset Dissertationem, quam de hoc argumento conscripsit Natalis Alexander, candide declaravit, omnem sibi scrupulum esse ademptum, seque Divum Thomam illius Officii Authorem agnoscere in Propyleo mens. Maji p. 2. pag. 53.

DIS-



DISSERTATIO III.

De Sacrificio nobilissima Divini cultus specie.

AB ipso quasi mundi ortu oblationes, & sacrificia exordium habuere, quibus quadruplici hominis erga Deum obligationi fieret satis. Naturalis siquidem dictat ratio, ut summam Conditoris nostri Majestatem, absolutum, supremum, & independens ejusdem in res omnes Dominium sensibilium rerum oblatione contestemur: infinitæ illius Justitiæ per graves offensas in eum admissas irritatæ satisfaciamus: immensæ ejusdem Bonitati pro tot beneficiis ac-

ceptis debitas gratias referamus, & pro novis muneribus quibus quotidie indigemus, ejus Misericordiam suppliciter imploremus. Nihil autem naturæ tempore certis præscriptum fuerat præceptis: propria cuique conscientia & dux, & magistra ordinandorum sacrificiorum fuit, donec Deus per Moysen populo sibi electo secundum certas leges, certosque ritus, sacrificia imposuisset. Quoniam vero (ut Tridentinum loquitur) sub priori Testamento teste Apostolo Paulo propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere D. N. J. Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternum illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinquendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo

Pa-

Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Uti semper Ecclesia catholica contra Hæreticos intellexit, & docuit.

QUAESTIO I.

Num Sacrificia fuerint in lege naturæ? & qualia in lege scripta, sive Mosaica?

PRAENOTIO.

I. SAcrificium *late*, seu *improprie* sumptum est quodlibet opus bonum in Dei honorem, & cultum relatum, ut sunt orationes, laudes, adorationes, cæterique actus virtutum præsertim religionis; in hoc sensu Sacrificium complectitur *Justitiam* juxta illud psal. 4. ℣. 2. *Sacrificate Sacrificium justitiæ.* Item *internum animi dolorem* propter Dei offensam juxta illud psal. 50. ℣. 9. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Item *externam laudem* in Deum directam juxta illud psal. 49. ℣. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me.* In simili casu loquitur Apostolus ad Hebr. c. 13. ℣. 15. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus.*


II. Sacrificium stricte, seu proprie sumptum est *Oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, & a Ministro legitimo facta soli Deo per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem in recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, & res omnes Dominii.* Dicitur *1mo Oblatio*; quia in omni Sacrificio proprie dicto debet aliquid offerri, unde habetur ad Hebr. c. 5. ℣. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus .... ut offerat dona, & sacrificia. 2do. Externa rei sensibilis*; quia Sacrificium est præcipua Nota Ecclesiæ, quæ visibilis est, & ita colere debet Deum cultu sensibili externo Fidelibus noto. Et ut distinguatur ab interna oblatione, qua se quis per piam voluntatem interius Deo subjicit, & offert. *3tio. Legitime instituta*; quia cum Sacrificium sit signum publicum protestativum supremi Dei dominii, & specialis Dei cultus nomine totius Communitatis Deo exhibendus, & signa communia, & cultus publici per publicam, & legitimam authoritatem institui debeant; ideo & ipsum sacrificium debet esse institutum publica, & legitima authoritate. *4to. A Ministro legitimo* non qualicunque homine, sed ab eo, qui ad hoc officium specialiter eligitur, ut id communi nomine peragat: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* ad Hebr. c. 5. ℣. 4. Unde non solum in lege Evangelica sunt ad tale munus deputati speciales Ministri, nempe Sacerdotes ex cap. *Firmiter credimus. 1. de*

sum-

summa Trinitate, & fide catholica, & Concil. Trid. sess. 23. cap. & can. 1. sed etiam in lege scripta sacrificia offerebantur a Ministris ad hoc specialiter electis de stirpe Aaron, ut patet num. c. 3. & qui sine tali deputatione sacrificia offerre tentarunt, Divinitus sunt puniti, ut patet de Ozia Rege 2. Paralip. c. 26. ℣. 18. qui, cum non esset Sacerdos, & tamen Sacrificium offerre vellet, a Deo punitus est. Et de Saule 1. Reg. 13. qui ob eandem causam rejectus, & Regno privatus est. Etiam in lege naturæ fuisse aliquos specialiter deputatos colligitur ex Genesi c. 14. Melchisedech dicitur obtulisse panem, & vinum, & additur ratio : *Erat enim Sacerdos altissimi.* Et tales Sacerdotes pro tunc secundum communem opinionem erant Principes Familiarum, & Filii primogeniti, & aliqui alii, qui ex inspiratione Divina sacrificia obtulerunt, ut de Abel legitur Gen. c. 4. *5to. Facta soli Deo*; quia soli Deo debitus est supremus Latriæ cultus : *Quis enim sacrificandum esse censuit* (ait S. Aug. lib. 10. de civ. Dei c. 4.) *nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et c. 19. *Nec ob aliud fallaces illi* (spiritus) *superbe sibi hoc exigunt, nisi, quia vero Deo deberi sciunt. 6to. Per destructionem, vel notabilem ipsius rei immutationem;* quia ad rationem sacrificii proprie dicti requiritur, vel quod res oblata physice destruatur, vel saltem moraliter notabiliter immutetur, ita, ut res oblata accipiat alium statum, & reddatur omnino inutilis ad priores usus, seu functiones naturales: sic olim ab Hebræis oves

ve-

verissime sacrificabantur, quando realiter percussæ destruebantur; & in libaminibus vinum, & oleum vere ab ipsis sacrificabatur, quando effundebatur ad terram circa altare Domini, nam tunc ponebatur in statu corruptionis, & notabilis immutationis, & licet non statim substantialiter corrumperetur, donec siccaretur, tameu acquirebat statum inutilem ad suum usum naruralem, & humanum. Nec dicendum est in sacrificio Melchisedech nullam destructionem contigisse in pane, & vino. Quamvis enim Scriptura non referat circa panem, & vinum a Melchisedech oblata intervenisse aliquam immutationem, nihil tamen vetat supponere Melchisedechum aliquam partem panis adussisse, vel contrivisse; partem vini in terram effudisse, cum Scriptura insinuet eum ibi sacrificasse, nec intendat eo loco referre modum, quo sacrificarit. *7mo. In recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, & res omnes dominii;* quia ideo per sacrificium res sensibilis destruitur, & notabiliter immutatur, ut contestemur nostram totalem ad Deum subjectionem, & supremam ipsius potestatem super nos, & res omnes, plenumque ipsius dominium vitæ, & mortis, ita, ut tam facile possit nos, & omnia immutare, vel destruere, quam facile nos rem aliquam nostram immutamus, & destruimus.



AR-

ARTICULUS I.

Ante legem scriptam vera apud Fideles Sacrificia erant in usu, eaque Deo placuerunr.

I. Id novimus ex Genes. c. 4. ℣. 4. ubi Abel obtulit primogènita gregis sui: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Et in epist. ad Hebr. c. 11. ℣. 4. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perbibente muneribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.* Unde S. Augustinus lib. 10. de civ. Dei c. 4. ait: *Quam porro antiquus sit in sacrificando, Dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicant, quorum majoris Deus reprobavit sacrificium, minoris aspexit.*

II. Abraham ædificavit in Sichem altare Deo, qui sibi apparuerat, ut legitur c. 12. Genes. & c. 22. ut mandato Dei pareret, ligna imposuit ad holocaustum Isaaco dilecto filio suo, quem paratus erat mactare, nisi ei dixisset Angelus: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam. Nunc cognovi; quia times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.*

III. Melchisedech Abrahamo occurrit e quatuor Regum cæde redeunti, eique victoriam gratula-

tulatus, panem, & vinum obtulit Deo in sacrificium, ut habetur Gen. c. 14. *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cælum, & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt: & dedit ei decimas ex omnibus.* Et in epist. ad Hebr. c. 7. subditur: *Hic enim Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ reverso a cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex justitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis.*

IV. Noe Gen. c. 8. ℣. 20. post diluvium *tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Et Job c. 1. ℣. 5. *Offerebat holocausta pro singulis* filiis scilicet, & filiabus suis.

V. Ipsa lex naturalis dictat homini, ut se interius subjiciat Deo, & hanc suam interiorem subjectionem aliquo signo externo testificetur, ut ita supremum Dei in se dominium tam quoad animam, quam quoad corpus profiteatur. „ Ex „ naturali ratione procedit (*inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 85. a. 1.*) ut quemadmo„ dum Dominis temporalibus aliqua „ offeruntur in recognitionem dominii: „ ita etiam Deo tamquam supremo om„ nium Domino quasdam sensibiles res

„ in

„ in signum debitæ subjectionis, & ho-
„ noris offeramus; unde sacrificiorum
„ oblatio ad jus naturæ pertinet. „ Imo lex naturæ non tantum suadet sacrificia, ut per ea recognoscamus supremum Dei in nos dominium, sed etiam, ut pro beneficiis a Deo acceptis gratias agamus, nova impetremus, & peccata contra Deum commissa expiemus.

ARTICULUS II.

Mosaicæ legis Sacrificia varie erant divisa.

I. RAtione *materiæ* dividebantur in *hostias*, seu *victimas*, *immolationes*, & *libamina*. Quando oblata sunt animalia viventia vocabatur *victima*, seu *hostia*, quæ aliquando offerebatur vel post victoriam ab hostibus reportatam; unde *victimæ* a victoria nomen habuit, & *hostiæ* ab hostibus devictis: Et quidem in lege veteri non omnia, sed certa quædam animalia offerre licebat, nempe capras, hœdos, boves, vitulos, columbas, passeres, turtures. Quando offerebantur res inanimatæ solidæ, v. g. panis, simila, sal, thus, seu incensum, manipulus spicarum virentium, & triticum Levit. 2. & 6. cap. dicebatur *immolatio*. Ista levabat Sacerdos in altum, & varie immutabat, in qua immutatione consistebat ratio sacrificii: panis enim in frusta scindebatur; simila sartagi-

ne, clibano, vel craticula cremabatur; sal urebatur; thus adolebatur, manipuli spicarum torrebantur; triticum conterebatur. Quando tandem offerebantur liquida, ut sanguis, vinum, oleum, aqua per effusionem ad terram, appellabatur *libamen.*

II. Ratione *formæ*, seu *modi*, quo fiebat, dividebatur in *holocaustum*, *hostiam pacificam*, & *hostiam pro peccato.* *Holocaustum* erat perfectissimum sacrificium, in quo tota res oblata igne consumebatur, ut nihil inde cederet in usum humanum, in signum nempe, ac protestationem supremi Dei in res omnes dominii, ac perfectæ dependentiæ creaturæ a Deo. *Hostia pacifica* partim cremabatur, partim edebatur tum a Sacerdotibus, tum ab iis, qui obtulerant. Solebat offerri in gratiarum actionem pro beneficiis perceptis, vel pro novis impetrandis; & tunc differri poterat ejus consumptio in diem postremum, non tamen ulterius. *Hostia pro peccato* partim cremabatur, partim cedebat in usum, & cibum Sacerdotum, quem in atrio Templi comedebant, unde peccata populi comedere dicebantur, hoc est, victimas pro peccatis oblatas. Istud autem sacrificium offerri consueverat non tantum pro peccatis internis, sed pro quibusdam externis v. g. pro peccatis commissis per ignorantiam circa cœremonias, ut patet Levit. 4. & 5. Item pro peccato furti, perjurii, & calumniæ Levit. 6. & 7.

III.

III. Ratione *finis*, ob quem fiebat, dividebatur in *latreuticum*, *Eucharisticum*, *impetratorium*, & *satisfactorium*. Sacrificium *latreuticum* dicebatur illud, quod per se totum in Dei cultum, & honorem exhibebatur. *Eucharisticum* dicebatur illud, quod fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis perceptis. *Impetratorium* appellabatur illud, quod fiebat pro beneficiis obtinendis, scilicet pro consequendis bonis, & advertendis malis. *Satisfactorium* erat illud, quod offerebatur Deo in satisfactionem pro peccatis.

Omnia dicta sacrificia modo coadunata sunt in uno tremendo, & incruento Missæ sacrificio; unde S. Leo sermone 8va. de Passione. *Carnalium Sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una Corporis, & Sanguinis implet oblatio.* Ecclesia item in Secreta Missæ post Dominicam VII. Pentecostes sic orat: „ Deus „ qui legalium differentiam hostiarum „ unius sacrificii perfectione sanxisti. Idipsum expressius docet Concilium Tridentinum sess. 22. c. 1. ibi: „ Hæc denique illa „ munda oblatio est, quæ per varias sa„ crificiorum naturæ, & legis tempore „ similitudines figurabatur, utpote, quæ „ bona omnia per illa significata veluti „ illorum omnium consummatio, & per„ fectio complectitur. „

Petes. An mos mactandorum animalium in Dei honorem a Gentibus ad Judæos propagatus sit?

Respondetur. Perperam temerarios quosdam, aut Novatores, aut Criticos holocaustorum originem ab Ethnicis, & Ægyptiis derivare. Neque enim verisimile est Deum, qui in populo Judaico solemnem sibi cultum volebat instituere, quod ipsum selegisset, quem Ægyptii inanibus suis Numinibus exhibebant. Præterea novimus sacrificasse Abel, Noe, Abraham, Melchisedech, & Job, quorum sacrificia Deo placuere: sunt ergo Ægyptiis multo vetustiora sacrificia. Dein Græci Patres in ea sunt sententia, illa sacrificia fuisse instituta, ut Christi mortem præfigurarent, eorumque ritus a Deo fuere præscripti, quod certe Deus non fecisset, si ex impuro fonte traxissent originem.

Si Natalis Alexander hist. eccles. tom. 1. in hist. V. T. a. 2. & Gravelonius hist. V. T. tom. 2. pag. 313. & seq. consulantur, apparebit ritus sacrificiorum ab iis veteribus Prophetis manasse, quibus futura mors Christi prænunciata fuit: ab iis sacrificiorum usum Gentes accepisse, & Religionis ab Adam, Abel, & Noe traditæ oblitas, sacrificia fœdis superstitionibus corrupisse.

Imo Deus fuerat ipsa Hebræorum sacrificia aliquando aspernatus ut habetur psal. 49. & Isaj. c. 1. ea de causa, quod non eo, quo oporteret re-

spi-

ſpicerent, ſcilicet ad Chriſtum. Audiatur Laym. ſect. 4. „ Igitur uſum, & ritus ſacrificio-
„ rum liquet manaſſe ab antiquis illis
„ Prophetis, quibus mors futura Chri-
„ ſti innotuerat. Inde omnes Gentes
„ ortum ſuum, & ſacrificiorum leges ac-
„ ceperunt, quas poſtea corruperunt
„ oblitæ religionis, quam tradiderant
„ Adamus, Abel, & Noe. Hanc mor-
„ tem delineabant animalium cædes, ut
„ omnes antiqui Scriptores ſentiunt. . .
„ ſacrificandi ritus inter Gentes natus eſt
„ ex imitatione Patriarcharum, ut di-
„ xi, vel ex ambitione malorum An-
„ gelorum, qui Divinos honores ſibi ar-
„ rogabant. Cum autem nec ipſi Iſrae-
„ litæ id ſatis intelligerent, Deus viſus
„ eſt ſacrificia eorum reſpuere; ſed non
„ ſibi conſtaret, præcipiens ſingulatim,
„ quæ ad ſacrificia pertinent, ſimul ea
„ faſtidiens, niſi cauſa hujus faſtidii fuiſ-
„ ſet Iſraelitarum ſupinitas, qui ad ve-
„ rum ſacrificii finem animum non ad-
„ vertebant, ſcilicet ad Chriſtum. „

Idcirco rem accuratius indaganti certo patebit continuata ſerie a primis Patriarchis ad Moyſen

 us-

usque sacrificandi morem extitisse, atque Ethnicos potius ab his, quam hos ab illis ritum immolandi adoptasse; licet apud veteres Patres incorruptus semper permanserit, a Gentibus vero insana superstitione in nefandas idolorum adorationes detortus fuerit. Antiquissimus omnium, qui superest, Codex id nobis testatur; videlicet Moysis creationis, & populi Israelitici historia, idque etiam ipsa Ethnicorum, licet fabulis involuta, scripta confirmant.

QUAESTIO II.

Utrum Christus in ultima Cœna vere sacrificaverit?

ASSERTIO.

Redemptor noster Christus Jesus in Sanctissimae Eucharistiæ institutione verum obtulit Sacrificium.

COnstat ex Scriptura Gen. c. 14. ℣. 18. legitur: *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei*, scilicet Abrahæ ex prælio cum spoliis, & victoria revertenti; ex quo loco desumitur Melchisedechum obtulisse Deo sacrificium incruentum, nempe panem, & vinum in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ concessa uti non tantum exponunt sancti Patres, sed etiam antiquiores Rabbi-

bini citati a Galatino, & Genebrardo; at Christus Dominus, ut patet ex psal. 109. v. 4. & ex Apostolo ad Hebr. c. 7. ℣. 17. est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: igitur Christus in ultima Cœna offerens suum Corpus, & Sanguinem sub speciebus panis, & vini verum peregit sacrificium, secus enim probari non posset, quomodo esset Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, siquidem iste nuspiam legitur aliud sacrificium obtulisse, quam panem, & vinum, nec sacrificium cruentum Christi fuit secundum ordinem Melchisedech, sed potius secundum ordinem Aaron immolantis cruente Deo boves, & oves, & tamen Apostolus non asserit Christum fuisse Sacerdotem secundum ordinem Aaron. Adeóque. Idcirco S. Cyprianus epist. ad Cæcil. inquit:

„ Quis magis Sacerdos Dei summi, quam
„ Dominus noster Jesus Christus, qui
„ sacrificium Deo Patri obtulit: & hoc
„ idem, quod Melchisedech obtulerat,
„ id est, panem, & vinum, suum sci-
„ licet Corpus, & Sanguinem. „

Petes. Quis fuerit Melchisedech, secundum cujus ordinem Christus fuerat Sacerdos?

Respondetur. De Melchisedecho plures olim hæreticæ opiniones circumferebantur, ut apud D. Hieronymum, & Epiphanium videre licet. At eruditissimus Cardinalis Lambertinus expost Be-

nedictus XIV. de sacrificio Missæ sect. 2. n. 287. tamquam indubitatum tenet eum fuisse gente Cananæum, Salem, seu Jerosolymæ Regem. Consentit sapientissimus Tirinus in c. 14. ℣. 17. Gen. ibi: „ Sed fuit Princeps aliquis, & Re-
„ gulus gentilis a gente Cananæa, Rex
„ Salem, seu Jerosolymæ, ut est in
„ Chaldæo, quam & illum condidisse Jo-
„ sephus affirmat, & Fidelium (qui tum
„ ipsius, tum aliorum opera isthic repe-
„ riebantur) Doctor, Sacerdos, Pastor;
„ ita S. Dionysius, Hippolytus, Ire-
„ næus, uterque Eusebius, Apollinaris,
„ & alii cum plerisque recentioribus.
„ addunt S. Ignatius, & Suidas, Mel-
„ chisedech semper virginem permansis-
„ se. Unde & in hoc typum gessit Chri-
„ sti, uti & in nomine, & in nominis
„ etymo, in officio, in Sacerdotio, in
„ Sacrificio, de quibus fuse ad Hebr.
„ c. 7. & psal. 109.

Hic Melchisedech fuit revera Sacerdos, & quia Sacerdos erat panem, & vinum obtulit Gen. c. 14. ℣. 18. *Proferens panem, & vinum*; & quidem in sacrificium, ut adnotat causalis *enim* in textu: *Erat enim Sacerdos &c.* Quamquam autem Lutherani, & Calvinistæ obganniant, ab Hebræo textu

tu abesse particulam *enim*, & adesse conjunctivam &; Hebraicæ tamen linguæ periti testantur, particulam &, vel *autem* sæpissime apud Hebræos vim causalis habere. Quapropter venerandi primorum etiam Ecclesiæ sæculorum Patres Ss. Cyprianus, Hieronymus, & Augustinus in hoc Melchisedechi sacrificio expressam sacrificii nostri figuram nobis proposuerunt.

Præterea juxta Apostolum ad Hebr. c. 7. Melchisedech Christum repræsentavit; nam secundum ejus, non vero secundum Aaronis ordinem Christus Sacerdotium exercuit; idque vel; quia Aaronis sacrificia cruenta fuere, Melchisedechi vero incruenta, vel quia Aaronis Sacerdotium ad multos sibi invicem succedentes delatum est, Melchisedecho vero nemo successit, quod Christi Sacerdotium egregie exprimit, ut explicat Tridentina Synodus.

Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia traditur ab Apostolo ad Hebr. c. 6. ℣. 3. non quod his caruerit, sed quod nobis ignoti sint, cum nulla sive avorum, sive parentum ejus memoria fiat in Scripturis, quæ non Gentilium (qualis erat Melchisedech unus ex Regulis Cananæorum teste Josepho, S. Dionysio, Epiphanio, Theodoreto) sed solum Hebræorum genus, & historiam pertexunt, ut recte observat laudatus Tirinus in epist. ad Hebr. c. 7. ℣. 3. Calmetus tamen in dictionario verb. *Melchisedech* refert, quod ætate S. Epiphanii fuerint, qui parentes Melchi-

sedech designarent, *Heraclam* nempe, sive *Heraclen* Patrem illius, matrem vero *Astaroth*, sive *Astariam*, appellantes. Catena Arabica in Gen. 9. ejus genealogiam paternam ex Sem, maternam ex Japhet derivans *Heraclam*, sive Heraclina patrem Melchisedech, filium, seu nepotem Phaleg, filium vero Heber facit; matrem vero, quam Salathiel appellat, filiam tradit Gomer filio Japhet. Josephus Gorionides Hebræus Scriptor circa undecimum sæculum Melchisedecho alterum nomen, Joram nempe inducit lib. 6. c. 31. sidusque ejus ortui præsidens, *Sadech* (planeta est Jovis) appellat; urbem tandem cui præerat, primum *Jebus*, deinde *Sadech*, postea *Salem*, tandem *Jerusalem*, denominatam testatur.

QUAESTIO III.

An Christus Jesus in ultima Cœna se communicaverit? & an Judæ Corpus suum præbuerit?

ARTICULUS I.

Sacra Eucharistia fuit in ultima Cœna a Domino suscepta, priusquam Apostolis distribueretur.

I. DIvus Thomas 3. p. quæst. 81. a. 1. id fuse probat, & observat, quod sicut antequam ferret baptismatis legem, ipse voluit baptizari, ita quoque cum Corporis, & sanguinis sui institueret

ret Sacramentum, non prius Discipulis suis distribuerit antequam ipse sumpsisset juxta illud Act. Apost. c. 1. v. 1. *Cœpit Jesus facere, & docere.*

II. Sylvius in 3. p. D. Thomæ quæst. 81. a. 1. quæ S. Thomas docuerat, confirmat, eosque adducit Theologos, qui eamdem tuentur sententiam, aitque Christum panem, & vinum consecratum sumpsisse sacramentaliter, non tamen gratiam, seu gratiæ augmentum, cum ipsiusmet gratiæ plenitudine in sui conceptionis momento fuerit repletus, sed fuisse spirituali quadam suavitate perfusum pro nova illa Sacramenti institutione, quemadmodum ex S. Lucæ verbis c. 22. ℣. 15. depromitur: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.*

III. S. Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam quæst. 2. ita scribit: *Dominus Jesus Christus ipse conviva, & convivium ipse comedens, & qui comeditur.*

IV. Vasquez testatur hanc esse communem sententiam, Christum in ultima Cœna Eucharistiam sumpsisse. Idem confirmant Orientales Theologi, quorum testimonia refert Renaudotius tom. 1. collect. Liturgiar. Orient. pag. 237. Secundæ partis resolutioni

Præmitto Judam *Iscariotem* juxta Eusebium, & S. Hieronymum sic esse dictum, quod in vico Iscariot Tribus *Ephraim* natus esset. Alii ita appellatum censent, quod esset ex Tribu *Issachar*,

& idcirco *Issachariotes*, nomine vero contractiore *Iscariotes* diceretur. Alii denique, quod a vico *Carioth* ex Tribu *Juda* nomen traxerit. Josue c. 15. ℣. 25. *Iscariot* hebraice hominem ex *Carioth* sonat. Sic Calmetus verb. *Judas de Iscariot.* Et a patria vocatum esse *Iscariotem* tradit etiam S. Chrysostomus in serm. de proditione Judæ inquiens: *Quid mihi ejus patriam dicis, utinam ipsum quoque nescire licuisset.* Unde errarunt Ubertinus, & Rubisius, qui Judam somniarunt esse *Picentem*, illudque nomen illi inditum a Cariote Piceni oppidulo; sicuti etiam erraruut, qui vel Gallum, vel Germanum fuisse Judam dixerunt.

ARTICULUS II.

Jesus Eucharistiam etiam Judæ tradidit.

I. PAtet authoritate S. Cyrilli Jerosolymitani, Joannis Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Divi Thomæ 3. p. q. 81. a. 2. & in 4. sent. dist. 2. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. & 2. in c. 13. Joan. Lect. 3. & 4. cui assentiuntur omnes Theologi apud Suarez 3. p. tom. 3. disp. 41. sect. 3. apud Theophilum Raynaud. tom. 9. c. 9. Operis *de Juda.* pag. 662. apud Cornel. a Lapide in c. 13. Joan. ℣. 30. apud Baranrum ad A. C. 34. §. 62, apud Serry exercitat. 51. n. 7. apud Cardinalem Gotti de verit. relig. Christ. p. 2. tom. 4. c. 23. §. 4. n. 29. apud Sandinum in historia Apo-

sto-

ſtolica pag. 214. edit. Patavin. & apud Sylvium 3. p. quæſt. 81. a. 2. qui hanc ſententiam ait veriorem, & communi conſenſu eſſe probatam.

II. Conſonat Eccleſia, quæ in feſto Corporis Chriſti canit: *Panis vivus, & vitalis hodie proponitur, quem in ſacræ menſa Cœnæ turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.* Si duodecim diſtributum fuit Sacramentum: ergo etiam Judæ, qui in eo numero fuit, traditum fuiſſe non eſt dubitandum.

III. Redemptor noſter omnibus iis præbuit Euchariſtiam, qui primum ad legalem, deinde ad communem menſam accubuerunt, ut conſtat ex D. Marco c. 14. ℣. 22. & 23. *Et manducantibus illis accepit Jeſus panem &c. & ait &c. ſumite: Hoc eſt Corpus meum. Et accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes.* Pondera hæc verba: *Et manducantibus illis*, quæ ad eos referuntur, qui ad legalem Cœnam excepti, communi etiam Cœnæ adfuerunt, in qua Chriſtus Euchariſtiam confecit. Magna etiam vis eſt in voce illa: *Omnes*, qua ex iis nemo excluditur.

Judas ergo cum cæteris Apoſtolis ad legalem Cœnam accubuit, ut clare deprehenditur ex verbis illis Marci c. 14. ℣. 17. *Veſpere autem facto venit cum duodecim, & diſcumbentibus eis, & manducantibus ait Jeſus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum:* ergo Judam ſumere Euchariſtiam oportuit.

IV.

IV. Christus Jesus instituit Eucharistiam post lotos pedes Apostolorum: ergo cum notum sit ex Joan. c. 13. Christum Dominum etiam Judæ lavisse pedes, necessario inde consequitur, illum Eucharistiam quoque sumpsisse. Præsertim vero; quia non modo adfuit cum Eucharistia institueretur, sed aliquantisper restitit: instituto enim Sacramento, & Discipulis tradito, dixit Jesus, inter eos, qui aderant, esse quempiam, qui se proditurus esset; nec inde prius Judas excessit, quam illi Jesus panem intinctum præbuisset, quæ omnia desumuntur ex Joan. loc. cit.

Petes. An Judas tunc communicaverit, dum panem intinctum sumpsit?

Respondetur. Negative. Nec enim panis ille intinctus unquam fuit consecratus, sumpsit Judas Eucharistiam, quæ omnibus, quotquot aderant, fuit distributa ante panem intinctum, qui Judæ soli datus est.

Docet id S. Augustinus tract. 62. in Joan. n. 3. tom. 3. „ Non autem, ut putant qui„dam negligenter legentes, tunc Judas „ Christi Corpus accepit. (*dum scilicet pa„nis intinctus illi a Christo præbebatur*) intelli„gendum est, quod jam omnibus eis „ distribuerat Dominus Sacramentum „ Corporis, & Sanguinis sui, ubi & ip-

„ se

„ se Judas erat, sicut S. Lucas evidentissime narrat, ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissime Dominus per buccellam tinctam, atque porrectam suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem. „

Estius, qui putat Eucharistiam a Christo fuisse institutam, expleta communi Cœna, etiamsi nondum amota fuisset mensa, in qua cœnatum fuerat, Evangelii textum in cap. 13. Joan. pag. 556. enarrans, ubi scribit Evangelista, Christum Judæ panem intinctum dedisse, eorum quidem non amplectitur sententiam, qui autumant, Christo post ablutionem pedum ad communem mensam reverso continuatam esse Cœnam: sed cum fateatur panem intinctum, & Judæ traditum non fuisse consecratum, Judas enim antea Christi Corpus, & Sanguinem acceperat, rursus affirmat post reditum ad mensam nihil profani esse comestum: „ Videtur ergo; quod nullum profanum cibum, aut potum postea Apostolis dederit, sed sacrum solummodo, scilicet Corpus suum, & sanguinem, quem etiam Judæ ut occulto peccatori denegare noluit. *Et de pane intincto addit:*

„ Il-

„ Illum non fuisse panem mysticum, id
„ est Corpus Christi, jam enim ante sumpserat Corpus Christi, & Sanguinem cum aliis, sed eo signo porrectæ offulæ Christum designasse proditorem non omnibus Discipulis, sed soli Joanni: nec ideo instituit postcœnium, sed ex reliquiis panis, & vini, quæ in mensa erant, particulam panis vino intinxit, & proditori dedit indicii causa, non alimenti. „

QUAESTIO IV.

Utrum Sacrificium illud, quod Christus instituit, & in Ecclesia offerendum præcepit, veram habeat proprii Sacrificii rationem?

ARTICULUS I.

Post cruentum Christi Sacrificium est aliud in nova lege reale, & proprie dictum Sacrificium, seu Eucharistiæ confectio, quæ solito Missa appellatur.

I. CONstat ex illustri vaticinio Malachiæ c. 1. ubi post redargutionem Sacerdotum Mosaicorum, quod offerrent panem pollutum, & hostias

stias cæcas, ac mancas, tandem de illis removendis, & alii subrogandis ℣. 10. & 11. dicitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Id est, *Eucharistia*, quæ dicente Tridentino sess. 22. c. 1. *Nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* Et certe, quid aliud intelligi posset per ly *Oblatio munda*? Non Judæorum sacrificia; quia hæc expresse repudiantur, & prædicitur ea habitura finem, ipsisque novum aliquot successurum. Neque sacrificia Judaica fierent *in omni loco*, sed in Judæa tantum, & quidem in unico Templo Jerosolymitano. Non etiam sacrificia gentilium; quia, cum ferme omnes essent idololatræ, dœmoniis, & non Deo sacrificabant: Fideles autem ex iis, cum essent paucissimi, non poterant dici in omni loco sacrificare: ergo intelligitur Sacrificium Eucharistiæ, quod christiani Sacerdotes erant oblaturi in lege gratiæ; nam ibi more Prophetarum ponitur præsens pro futuro scilicet *sacrificatur*, pro *sacrificabitur*.

II. Omnis vero religio suum habere debet sacrificium visibile ab hominibus frequentandum: si enim singulas percurramus religiones sive veras, sive falsas, inveniemus sacrificium semper in religione fuisse. In lege naturæ, & scripta varia fuisse sacrificiorum genera jam supra ostensum est.

Un-

Unde S. Augustinus lib. 19. contra Faustum c. 11. ostendit nullam unquam fuisse religionem, in qua homines veris, sive falsis signaculis, & sacrificiis visibilibus non colligarentur. Et merito, nulla enim religio consistere potest sine cultu Dei veri, vel falsi, principalis autem Dei cultus est sacrificium. Jam sic:

Religio Romano-catholica est vera religio: ergo in ea sunt Sacerdotes, & sacrificium, quo homines in veri Dei cultu coadunantur. Audiamus Apostoli verba ad Hebr. c. 7. ℣. 11. & 12. ubi probat, quod consummato Sacerdotio Levitico secundum ordinem Aaron *necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem . . . . translato enim Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat.* In lege igitur nova Sacerdotium non est oblatum, sed ab ordine Aaron ad ordinem Melchisedech translatum, id est a cruento, & cum sanguine, ad incruentum, & sine sanguine, quale erat Sacerdotium, & sacrificium Melchisedech, quo panis, & vinum offerebatur: tale autem sacrificium nunc contingit in Missa. Adeoque.

III. Illud est sacrificium *proprie* dictum, quod complectitur constitutiva hujus; talis autem est Eucharistia, in qua invenitur res sensibilis oblata; rei oblatæ destructio moralis, puta Christi moraliter destructi mystice prolatis verbis consecratoriis; quæ separant sanguinem a corpore *formaliter,*

ac

ac vi verborum, licet eidem concomitanter uniatur, habetur & Sacerdos, ac altare, destruitur quoque substantia panis, & vini, & quidem in protestationem supremi Dei dominii in vitam, ac necem.

Ad pleniorem hujus argumenti intelligentiam adverte vi verborum consecrationis panis, sub speciebus ejusdem poni solum Christi corpus, & in consecratione vini, vi verborum poni dumtaxat sanguinem Christi: nam id vi verborum ponitur sub speciebus respective, quod verba consecrationis directe, & immediate ex institutione Christi signant; sed verba consecrationis panis solum Christi corpus, & verba consecrationis vini dumtaxat sanguinem directe, & immediate loquendo signant: ergo &c. At sub speciebus panis post Christi Domini resurectionem venit etiam per concomitantiam sanguis Christi in consecratione panis, & sub speciebus vini venit etiam corpus Christi in consecratione vini, nec non in utraque consecratione per concomitantiam venit Christi Divinitas, & anima: per concomitantiam enim venire, est fieri præsens sub speciebus vi naturalis, & physicæ connexionis, quam ad invicem habent ea, quæ sunt Christi Domini; sed corpus Christi est cum sanguine, anima, & Divinitate, nec non sanguis cum &c. ergo. Ad propositum optime facit exemplum: si aliquis Apostolus in triduo mortis consecrasset, tunc vi verborum consecrationis panis, sub ejusdem speciebus posuisset corpus Christi; efficiunt enim consecrationis verba id, quod significant:

at non venisset per concomitantiam sub hostia sanguis, & anima Christi, eo, quia pro tunc hæc non erant unita, & connexa cum corpore Christi, bene vero per concomitantiam advenisset sub hostia Divinitas, quod enim Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit, fuitque idcirco Christi corpus semper Divinitati unitum, & similiter est suo modo dicendum respectu consecrationis vini in eodem hypothetico casu. Atque hinc, ut patet, clarius liquent superius dicta: fitque perpendenti obvium qualiter per mysticam vi verborum separationem corporis, & sanguinis Christi præfatam verificetur in Missa ratio sacrificii. Et quidem prædicta luculenter constant ex Tridentino sess. 13. c. 3. ubi sic habet:

„ Et semper hæc fides in Ecclesia „ Dei fuit, statim post consecrationem „ verum Domini nostri corpus, verum„ que ejus sanguinem sub panis, & vini „ specie una cum ipsius anima, & Divi„ nitate existere; sed corpus quidem „ sub specie panis, & sanguinem sub vi„ ni specie ex vi verborum: ipsum au„ tem corpus sub specie vini, & sangui„ nem sub specie panis, animamque sub „ utraque, vi naturalis illius connexio„ nis, & concomitantiæ, qua partes „ Christi Domini, qui jam ex mortuis „ resurrexit, non amplius moriturus, „ in-

„ inter se copulantur; Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostacicam unionem.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Ex Apostolo ad Hebr. c. 10. ℣. 14. *Una oblatione consummavit* (Christus) *in sempiternum sanctificatos.* Si ergo opus salutis nostræ consummatum est uno Sacrificio cruento, quod Christus semel in ara Crucis obtulit, quid opus est alio ? Repono. Si Christus una oblatione consummavit omnia quoad nostram salutem, ita, ut ad eam nihil amplius sit necessarium, cur ergo Paulus ait ad Colossenses c. 1. ℣. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi* ? Deinde stante hoc, quid prodest Cœna ? quid Baptismus? quid verbum Dei ? si ad salutem nostram necessaria omnia jam in Cruce peracta sunt. Dico ergo, quod Passio Christi, & sacrificium Crucis consummaverit quidem sanctificationem nostram quantum ad valorem pretii, ita, ut pro hominum redemptione non sit expetendum aliud pretium, non tamen consummavit omnia quoad applicationem talis pretii; ut enim tale pretium nobis applicetur, & quoad effectum fiat nostrum, requiritur, ut illud apprehendamus per media a Christo instituta: & si-

sicut in sententia Novatorum illud apprehenditur sola fide, ita dicimus nos Catholici illud apprendi per Sacramenta, & per sacrificii Eucharistici oblationem.

II. Inquiunt. Sacrificium Missæ derogat virtuti, & efficaciæ sacrificii Crucis; nam sacrificium Crucis est infinitæ virtutis, & efficaciæ; igitur non indigemus alio sacrificio. Repono. Habet utique vim infinitam sacrificium Crucis, unde recte concluditur, opus non esse alio sacrificio Crucis, aut etiam sacrificio incruento, quod foret in defectum, & supplementum sacrificii cruenti in Cruce peracti. Ast male inferunt Novatores ex infinita sacrificii Crucis virtute, non posse sine injuria illius incruentum sacrificium offerri. *1mo.* quia unum, & idem est in substantia sacrificium, cum unus, & idem sit utrobique Christus, Sacerdos, Hostia: quomodo ergo sacrificium Missæ derogaret virtuti sacrificii Crucis, a quo vim omnem suam trahit? *2do.* Si ex infinita virtute sacrificii Christi merito inferri posset superfluum, ac inutile esse Sacrificium altaris ad applicandum fructum Passionis, & Mortis Christi, quandoque alia suppetunt ad hanc applicationem media, quare, quæso, Novatores & baptizant, & Cœnam celebrant, nonne infinita virtus sacrificii Crucis sufficit? nonne ipsimet sic agendo derogant virtuti hujus sacrificii? Si Christus unus Doctor, unus Pastor, ac Magister omnium est, cur ipsi prædicant, docent, ac Magistri, & Pastoris mu-

nus

nus obeunt? an derogant Christo supremo animarum Doctori, & Pastori? utique, non fatebuntur. Eadem igitur de causa, cum Christus nunc per se visibiliter, & humano more in terris Sacerdotem non agat, nec sacrificet: non repugnat unitati, & æternitati Sacerdotii ejus, ut habeat in terris Sacerdotes Ministros, & Vicarios, per quos id faciat: imo non potest Christus alia ratione vere dici Sacerdos in æternum, nisi per Ministros sacrificet: Certum quippe est illum per se visibiliter, ac proprie non sacrificare. Nec refert, quod alia etiam sint media ordinata ad applicandum nobis fructum sacrificii Crucis: Sacrificium namque altaris inter ista præcipuum est, ac præstantius medium, cujus virtus, etsi in se infinita sit, finito tamen modo nobis communicatur, & ideo sæpius repetitur.

ARTICULUS III.

Satisfit aliis Oppositionibus.

I. INquiunt. Exterior sacrificii oblatio opponitur huic sententiæ Christi Samaritanam alloquentis Joan. c. 4. ℣. 23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*, quibus verbis removet Christus a cultu Patris sui, quidquid externum est, ac sensibile: & proinde Sacrificium Missæ, quod externum est, ac sensibile in lege Evangelica est abolitum. Repono. Si hoc aliquid evincit, sequitur in nova

va Lege Deum nullo externo cultu esse colendum, in nullo externo Templo esse adorandum, nulla externa Sacramenta, nullas externas cœremonias esse admittendas. Cur ergo etiam Hæretici Templa manufacta habent, & Sacramenta, Deumque externis quibusdam cœremoniis, voce cantu, non solo spiritu colunt? Deinde negavit quidem Christus illa imposterum necessaria fore sacrificia, quibus mulier Samaritana asserebat Patres suos adoravisse Deum in monte illo nempe Garizim, quæ fuerunt sacrificia carnalia, quibus more Judaico victimæ carnales offerebantur: minime vero negavit Sacrificium Missæ, quod licet externum sit, veri adoratores adorant Deum *in spiritu*, dum hic maxime in obsequium fidei captivant intellectum suum, & corde recolunt sacrificium, quod ipse obtulit in Cruce. *In veritate* etiam; quia in antiquis sacrificiis aderat Deus solum in figura, hic vero adest in veritate: seu quia hic offerimus Christum, qui est Veritas ipsa. Nec dicant: Christus loco citato ℣. 21. dixerat: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem:* ergo in nullo loco externo. Ergo nullo externo sacrificio. Non dicant; secus inferam: ergo in nullo Templo externo adorandus est Deus a Christianis; sicut olim a Judæis: cur ergo Templa externa habent Acatholici? iterum; quis non perspicit pessimam hanc consequentiam: *Neque in monte hoc, neque in Jerosymis adorabitis*: ergo nullibi adora-

bi-

bitis; ſicut ſi dicerem: neque in Eccleſia Franciſcanorum: neque in Eccleſia Clariſſarum audies Sacrum: ergo in nulla Eccleſia illud audies.

Explico itaque ſenſum verborum Chriſti fuiſſe, non omnem externam adorationem tollere, ſed ubi prius reſtricta erat in uno monte, vel in ſolis Jeroſolymis, illam ad omnem locum extendere. Eo nimirum loco indicavit Chriſtus veniſſe tempus, quod ante vaticinatus fuerat Malachias, nempe externum ſacrificium Chriſtianorum eſſe ubique offerendum, cum econtra externa Judœorum ſacrificia Jeroſolymis tantum, & ſecundum Samaritanos in ſolo monte Garazim offerri potuerunt. Hinc Baſilius lib. 2. de baptis. c. 8. inquit: *Dominus ipſe poteſtatem dedit adorandi Deum in omni loco, ubi dixit, neque Jeroſolymis poſthoc, neque in monte iſto adorabitur Pater.*

II. Inquiunt. Si Euchariſtia eſſet verum Sacrificium, hoc deduceretur ex oblatione Melchiſedech facta Abrahamo; hoc autem verificari non poteſt; quia Melchiſedech obtulit quidem Abrahæ, & Servis ejus panem, & vinum, non in ſacrificium, ſed ut eos ex prælio defatigatos refocillaret: unde loco *obtulit* Septuaginta legunt *protulit.* *2do.* D. Paulus ad Hebr. c. 7. accurate exponit analogiam inter Melchiſedech, & Chriſtum, nullam tamen facit mentionem, quod facta panis, & vini oblatio a Melchiſedech fuerit typus ſacrificii Euchariſtici, quod certe ſilentio non ſuppreſ-

lisset, si ita fuisset. *3tio.* Non valet formare argumentum a figuris ad stabilienda dogmata, quando sacra Scriptura rationem, qua figura cohæret cum veritate, non adducit: ergo cum Scriptura siluerit de comparatione panis, & vini, quæ obtulit Melchisedech cum iis, quæ Christus obtulit in Cœna, concludendum est, nullum ex his confici posse argumentum. Repono ad *1mum:* Nullam fuisse causam, cur panis, & vinum Abrahæ, ac militibus suis ad refectionem offerrentur; redierunt enim cum ingenti præda, in qua, ut habetur Gen. c. 14. ℣. 11. ea erant, *quæ ad cibum pertinent.* Quibusque milites seipsos refecerant, antequam Melchisedech accederent. Unde Abraham Regi Sodomorum dixerat ℣. 23. & 24. *Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt. . . exceptis his, quæ comederunt juvenes.* Sive autem legatur, quod Melchisedech *obtulit*, sive *protulit*, nihil obstat; quia non inde infero Melchisedech sacrificasse panem, & vinum; quia hæc obtulit Abrahæ, nam sacrificium offertur Deo, non homini, sed quia partem panis, & vini Deo more sui Sacerdotii obtulerat, protulit Abrahæ. Res ex eo fit evidens, quia postquam Scriptura dixit, quod Melchisedech obtulerit, vel protulerit Abrahæ panem, & vinum subdit: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Dicant, quæso, Adversarii, cur Spiritus sanctus causam prolationis panis, & vini deduceret ex Sacerdotio Melchisedech, si hæc non fuisset materia sui Sacerdotii?

Re-

Repono ad 2dum. D. Paulum in comparatione, quam instituit inter Melchisedech, & Christum satis indicasse Eucharistiæ sacrificium, dum Christum vocavit *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.* Item c. 13. ℣. 10. ad Hebr. inquiens: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Ubi de Crucis altari & il'i edere per fidem poterant, qui tabernaculo serviebant. Ideo autem clarius hac de re non est locutus Apostolus, quia scribebat ad Hebræos, vel adhuc perseverantes in Judaismo, vel recens conversos. Ad neutros autem apertius de hoc mysterio captum omnem excedente loqui expediens erat; ne aut illi irriderent, aut isti scandalizarentur, vel prave intelligerent, quod & Patres per plura sæcula servavere. Cæterum multa insinuat Apostolus in dicta epistola ad Hebræos sibi dicenda fuisse de hoc argumento, quæ ob imbecillitatem audientium reticuit; cum enim eadem epistola ad Hebræos c. 5. ℣. 10. dixisset Christum appellatum a Deo Pontificem secundum ordinem Melchisedech, subdit ℣. 11. & 12. *De quo nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis Magistri esse propter tempus: rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

Repono ad 3tium. Scriptura asserit sacrificium secundum ordinem Melchisedech fuisse in pane, &

vino: Scriptura dicit Christum fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech: ergo licet inferre, Christus fecit Sacrificium in pane, & vino. Si hanc illationem Novatores non probant, placet ea Patribus, qui Scripturæ interpretes sunt fideliores: hi enim in oblatione Melchisedech typum Eucharistiæ oblationis agnoverunt, præsertim Clemens Alexandrinus lib. 4. stromat. inquiens: *Rex Salem Sacerdos Dei altissimi, qui vinum, & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.*

III. Inquiunt. In Sacrificio requiritur mactatio victimæ, in Missa autem nulla intervenit mactatio. *2do.* Christus in ultima Cœna legitur Sacramentum Discipulis suis distribuisse, non autem illud Patri obtulisse, quod tamen ad rationem exigitur sacrificii. *3tio.* Si Christus instituisset sacrificium Eucharisticum in ultima Cœna, idque obtulisset æterno Patri, non fuisset necessarium amplius offerre Sacrificium cruentum in Cruce; quia jam illud fuisset sufficientissimum, imo infiniti valoris ad deletionem omnium peccatorum totius generis humani. *4to.* Eucharistia est Sacramentum: ergo non Sacrificium; quia in Sacramento accipimus aliquid a Deo: & in Sacrificio damus aliquid Deo; ratio autem *dati*, & *accepti* nequeunt in eadem re simul consistere.

Repono ad *1mum.* In Sacrificio incruento, quale est Missa, talis intervenit victimæ mactatio, & destructio, qualis in ejusmodi sacrificio interve-

ni-

nire poteſt: deſtruitur ergo hic victima, vel quia Sacramentales ſpecies conſumuntur; vel quia per conſecrationem, Corpus, Sanguis, anima, & Divinitas Chriſti ſubſtantiæ panis, & vini ſubſtituuntur, quod ad victimæ in ſacrificio incruento deſtructionem abunde ſufficit; vel quia licet in Miſſa Chriſtus, qui eſt victima non deſtruatur *quoad eſſe ſimpliciter*, ut loquuntur Theologi, deſtruitur tamen *quoad eſſe Sacramentale*.

Repono ad *2dum*. Apoſtolos reipſa clare non aſſeruiſſe, quod Chriſtus ſeipſum in ultima Cœna Deo Patri obtulerit: verum communis hæc eſt Theologorum, & Ss. Patrum ſententia, de qua quidem multum diſputatum fuit in Concilio Tridentino diviſis primum hinc inde Theologis, ac tandem ad concordiam, & unitatem revocatis, quam doctrinam inſinuat Tridentinum ſeſs. 22. c. 1. his verbis: „ Chriſtus Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in „ æternum conſtitutum declarans, cor„ pus, & ſanguinem ſuum ſub ſpecie„ bus panis, & vini obtulit, ac ſub ea„ rumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, „ quos tunc novi Teſtamenti Sacerdo„ tes inſtituebat, ut ſumerent, tradi„ dit: & eisdem, eorumque ſucceſſori„ bus, ut offerrent, præcepit per hæc „ verba: Hoc facite in meam Com-

„ me-

„ memorationem; „ atqui Sacerdotes verum, ac proprie dictum offerunt sacrificium: igitur Christus, qui præcepit Sacerdotibus, ut facerent in sui commemorationem, quod ipse prior fecerat offerendo corpus suum, & sanguinem sub speciebus panis, & vini seipsum in Sacrificium Deo Patri obtulit.

Repono ad *3tium.* Etsi ad redemptionem generis humani non tantum Sacrificium incruentum ultimæ Cœnæ, sed etiam aliud quodvis meritum Christi fuisset sufficiens, quia tamen pactum erat inter Christum, & Deum, ut genus humanum non aliter redimeretur, quam per Sacrificium cruentum Crucis; inde consequitur præter incruentum, Sacrificii cruenti necessitas.

Repono ad *4tum.* In veteri Testamento Agnus Paschalis totus offerebatur Deo in honorem ipsius: & totus comedebatur a Judæis ad illorum salutem, in quo nulla est repugnantia juxta illud 1. Paralip. c. 29. ℣. 14. *Tua sunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Sic etiam Eucharistia, & *Sacrificium*, & *Sacramentum* esse potest sub diverso tamen respectu; est *Sacramentum*, quatenus est signum efficax gratiæ, quia sic ordinatur ad salutem nostram: est *Sacrificium*, quatenus est res Deo oblata, quia sic refertur, & ordinatur ad recognitionem supremi ejus dominii.

QUAE-



QUAESTIO V.

Utrum Missæ Sacrificium sit *latreuticum*, & *Eucharisticum*, *propitiatorium*, & *impetratorium*?

ARTICULUS I.

Est *latreuticum*, & *Eucharisticum*, id est, Sacrificium laudis, & gratiarum actionis pro acceptis beneficiis.

PErfectiore enim, & excellentiore quodam modo Missæ Sacrificium proprietates continet Sacrificiorum veteris Legis, quarum quædam in Dei tantum honorem, & laudem offerebantur, ut *holocausta*, quædam in gratiarum actionem, ut *hostiæ pacificæ*, quemadmodum docet S. Thomas 1. 2. quæst. 102. a. 3. quod ne Hæretici quidem negant Lutherus, & Calvinus, ut observat Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa c. 1. Addo verba sacri Concilii Tridentini sess. 22. de Sacrificio Missæ can. 3. per quæ & ea firmantur, quæ in posterioribus articulis dicentur: „ „ Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantum esse laudis (*NB.*) & gratiarum actionis, aut nudam Commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse

„ su-

„ sumenti; neque pro vivis, & defun-
„ ctis, pro peccatis, pœnis, satisfactio-
„ nibus, & aliis necessitatibus offerri de-
„ bere, anathema sit. „

ARTICULUS II.

Missæ Sacrificium est etiam *propitiatorium*, quo nimirum peccata expiantur.

UT innuit Apostolus ad Hebr. c. 5. ℣. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Et post ipsum S. Cyprianus in serm. de Cœna Domini Missæ Sacrificium vocat medicamentum simul, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates. S. Augustinus quæst. 57. in Leviticum ait, in hoc fieri Sacrificio *veram remissionem peccatorum.*

Porro Theologi docent, remissionem peccatorum, quod attinet ad culpam ex hoc proficisci Sacrificio, non tamen eodem modo, quo provenit ex Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, in quibus peccatorum remissio fit per habitualis, seu sanctificantis gratiæ infusionem, sed alio quodam modo; nimirum Deus intuitu Sacrificii Missæ propitiatorii, seu expiatorii peccatorum, largitur donum

num pœnitentiæ, seu peculiaris alicujus gratiæ adjutorium, quo peccator ad contritionem excitatur, & adjuvatur, vel ad absolutionem in Sacramento Pœnitentiæ digne, & utiliter consequendam. Dixi: *quantum ad culpam attinet*; nam quoad remissionem pœnæ, quæ sequitur peccata jam quoad culpam abolita, vera Theologorum sententia est, pœnam immediate per Missæ Sacrificium remitti; Deus enim propter Sacrificii oblationem pœnam ei remittit pro quo offertur, ea tamen mensura, quam Divina ejus misericordia definiverit.

Accipe etiam præclaram Divi Thomæ doctrinam in 4. sent. dist. 12. q. 2. a. 2. „ Ad quartum dicendum, quod Eucharistia non „ solum est Sacramentum, sed etiam „ est Sacrificium. In quantum autem „ est Sacramentum, habet effectum in „ omni vivente, in quo requirit vitam „ præexistere. Sed in quantum est Sacrificium habet effectum etiam pro „ aliis, pro quibus offertur, in quibus „ non præexigit vitam spiritualem in „ actu, sed in potentia tantum: & ideo, „ si eos dispositos inveniat, eis gratiam „ obtinet virtute illius veri Sacrificii, „ a quo omnis gratia in nos influxit, „ & per consequens peccata mortalia in

„ eis delet, non sicut causa proxima, „ sed in quantum gratiam contritionis „ eis impetrat. *Et paulo post in eodem art. 2.* „ Dicendum, quod non totaliter semper „ aufertur pœna per hoc Sacrificium „ illis, qui sunt in Purgatorio, nec au- „ ferebatur in veteri Lege per antiqua „ Sacrificia. „

Ultra sententiam istam illustrat Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa c. 4. ubi ita loquitur: „ Non operatur Sacrificium efficienter, „ & immediate, nec est proprie instru- „ mentum Dei ad justificandum &c. Non „ igitur Sacrificium immediate justificat, „ ut Baptismus, & Absolutio faciunt, „ sed donum pœnitentiæ impetrat, per „ quod homo peccator ad Sacramentum „ accedere velit, & per illud justifice- „ tur. „ Huc etiam facit, quod cum non possit Missæ Sacrificium majori præditum esse virtute, quam habuit Sacrificium Crucis, nec illud Sacrificium *efficienter*, & *immediate*, ut loquuntur Theologi, sed *impetratorie*, & *meritorie* justificaverit, hoc est, a Deo impetraverit, ut peccatores per media convenientia æternam salutem consequantur, idem plane de Missæ Sacrificio censendum est. Quam ob rem Tridentina Synodus sess. 22.

de

de Sacramento Euchariſtiæ c. 2. vim, & efficaciam Sacrificii ita explicat: „ Hujus oblatione placatus Dominus gratiam, & „ donum pœnitentiæ concedens, cri- „ mina, & peccata etiam ingentia di- „ mittit. *Et paulo post de ope, qua per hoc Sa-* „ *crificium juvantur defuncti*: Quare non ſolum „ pro Fidelium vivorum peccatis, pœ- „ nis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſita- „ tibus, ſed & pro defunctis in Chriſto „ nondum ad plenum purgatis rite jux- „ ta Apoſtolorum traditionem offertur.

ARTICULUS III.

Miſſæ Sacrificium eſt tandem etiam *impetratorium* ſpiritualium, & temporalium bonorum.

UT ex perpetuo Fidelium conſenſu, & Ss. Patrum authoritate colligitur: Tertullianus lib. ad Scapulam c. 2. „ Sacrificamus (*ait*) pro ſa- „ lute Imperatoris, ſed Deo noſtro. *Cy-* „ *rillus Jeroſolymitanus Catecheſi 5. dicens*: Obſe- „ cramus Deo pro communi Eccleſia- „ rum pace, pro tranquillitate mundi, „ pro Regibus, pro militibus, pro ſo- „ ciis, pro ægrotis, & afflictis, & in

„ summa pro omnibus, qui egent auxi-
„ lio, hoc Sacrificium offerimus. „ D. Augustinus scribit lib. 22. de civ. Dei c. 8. de quodam nobili viro nomine Exuperio, qui, ut infestam suam domum liberaret ab immundis spiritibus, „ rogavit (*ait Augustinus*) nostros,
„ me absente, Presbyteros, ut aliquis
„ eorum illo pergeret, cujus oratio-
„ nibus cederent: perrexit unus, obtu-
„ lit ibi Sacrificium Corporis Christi,
„ orans, quantum potuit, ut cessaret
„ illa vexatio; Deoque protinus mise-
„ serante cessavit. „

Deinde si in veteri Testamento offerebantur hostiæ votivæ ad beneficia impetranda, ut constat ex 2. lib. Reg. c. ult. ubi David *obtulit pacifica*, ut pestem averteret: & ex 2. lib. Machab. c. 3. ubi Onias obtulit *Hostiam salutarem* pro Heliodori vita: & ex lib. Esdræ c. 6. ubi hostiam Hebræi pro Darii, liberorumque ejus vita sacrificabant, quis affirmare audeat, hanc deesse Sacrificio nostro virtutem, cum præsertim Eucharistia, quæ valet, ut dixi, ad peccata remittenda, multo magis ad tollendas calamitates illas valeat, quæ ex peccatis nostris trahunt originem: „ Si oblatio
„ Eucharistiæ pro peccatis dimittendis
„ valet, certe etiam pro aliis necessita-
„ tibus, quæ ex peccato sunt, valere
„ de-

„ debet. Et si Deus hoc Sacrificio pla„ catus in gratiam cum inimicis suis re„ dit, quanto facilius ob idem Sacrifi„ cium adducetur, ut amicis, & recon„ ciliatis bona temporalia tribuat, si id „ eis utile fuerit. „ Ita Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Missa c. 3.

Movit circa hæc difficultatem Vestroppelius Scriptor tempore Concilii Tridentini vivens, qui in tractatu suo de Missa quæstionem proponit, an Missæ omnes, seu boni, seu mali Sacerdotes celebrent, ejusdem sint efficaciæ? cui facile respondetur, si fructus Sacrificii *ex opere operato* a fructu *ex opere operantis* distinguatur. Triplex etenim est Sacrificii fructus; primus internus *ex opere operato*, qui semper sine imminutione obtinetur, dummodo nullum obstet impedimentum; secundus ex universa oritur Ecclesia, quatenus Sacerdotum ministerio utitur, & hujusmodi fructus, qui est *ex opere operantis*, potest augeri, & minui pro majore, vel minore sanctitate eorum, a quibus, conflatur Ecclesia; tertius itidem *ex opere operantis* est, qui a Sacerdote proficiscitur; adeoque ex ipsius meritis, vel demeritis major, vel minor, vel nullus intuitu suæ personæ esse potest, nihil tamen de fructu *ex opere operato* detrahit.

Petes. Quando sancti Apostoli primam Missam celebrarint?

Respondetur cum Cardinali Bona lib. 1. c. 5. rerum liturgic. Primum Sacrificium in Pentecosten usque fuisse prorogatum, cum lex vetus, nova nondum satis promulgata vim suam ad Pentecosten usque retinuerit, ideoque *non decebat novum offerri Sacrificium Sacerdotio nondum translato.* Huic sententiæ congruit sacer textus Act. cap. 1. ubi Apostoli in cœnaculo coacti ante Paracliti adventum describuntur *perseverantes unanimiter in oratione:* die autem Pentecostes post illapsum Spiritus sancti *erant perseverantes in Communicatione fractionis panis, & oratione.* Act. c. 2. ℣. 42.

QUAESTIO VI.

Num Missæ Sacrificium rite peragatur in honorem Sanctorum?

PRAENOTIO.

Missas acriter prosequuntur Protestantes, quæ Sanctorum nominibus appellantur, & quæ in honorem Sanctorum celebrari dicuntur, sed perperam; si enim denominatio interdum sumitur ab eo, quod occasio est, nemo est, qui non videat Missam bene appellari e. g. S. Petri, si occasio Missæ desumatur ab ejus festivitate, vel a pio animi affectu erga ipsum, cujusmodi plures Missæ videri possunt apud Mabillonium Musei Italici tom. 1. pag. 292. pag. 294. pag. 298. pag. 299. pag. 344. pag. 349. pag. 350. ubi passim occurrunt Missa S. Martini, Missa unius Virginis, Missa

sa S. Mariæ, Missa in S. Mariæ solemnitate, Missa S. Stephani, Missa Jacobi, & Joannis, Missa S. Sigismundi. Videri quoque in citato Mabillonii opere pag. 304. potest *Missa jejunii*, quam sic Veteres appellavere; quia eidem recurrens Quadragesimale jejunium dabat occasionem.

ARTICULUS I.

Missæ Sacrificium quidem soli Deo offertur, non Angelis, non hominibus sive beatificatis, sive canonizatis, nihil tamen vetat, ne in Sanctorum honorem Missæ celebrentur.

I. PArs desumitur ex supra dictis, & ex Canone Missæ, ubi legitur: „ Te igitur „ Clementissime Pater .... supplices „ rogamus, ac petimus, uti accepta „ habeas, & benedicas hæc dona, hæc „ munera, hæc sancta Sacrificia illibata; „ in primis quæ tibi offerimus pro Ec- „ clesia tua sancta. *Deinde quamvis* Eccle- „ sia in honorem, & memoriam Sancto- „ rum nonnullas interdum Missas cele- „ brare consueverit, non tamen illis (*uti* „ *loquitur Concilium Tridentinum sess. 22. c. 3*) „ Sacrificium offerri docet, sed Deo so- „ li, qui illos coronavit; unde nec Sa-

 „ cer-

„ cerdos dicere solet, offero tibi Sacri-
„ ficium Petre, vel Paule; sed Deo de
„ illorum victoriis gratias agens, eorum
„ patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis
„ intercedere dignentur in cœlis, quo-
„ rum memoriam facimus in terris. *Quod*
„ *& ante Tridentinum docuerat S. Augustinus lib.*
„ *20. contra Faustum c. 21.* Populus autem
„ christianus Memorias Martyrum Re-
„ ligiosa selemnitate concelebrat, & ad
„ excitandam imitationem, &, ut, meri-
„ tis eorum consocietur, atque oratio-
„ nibus adjuvetur; ita tamen, ut nulli
„ Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum,
„ quamvis in memorias Martyrum, con-
„ stituamus altaria. Quis enim Anti-
„ stitum in locis sanctorum Corporum
„ assistens altari aliquando dixit: offeri-
„ mus tibi Petre, vel Paule, aut Cy-
„ priane? sed quod offertur, offertur
„ Deo, qui Martyres coronavit, apud
„ Memorias eorum, quos coronavit,
„ ut ex ipsorum locorum admonitione
„ major affectus exurgat ad acuendam
„ charitatem, & in illos, quos imitari
„ possumus, & in illum, quo adjuvan-
„ te possumus. „

II.



II. Pars iterum constat ex Tridentino sess. 22. can. 5. *Si quis dixerit imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.* Missæ ergo in Sanctorum honorem recte celebrari dicuntur, vel quia in illis victorias a Sanctis Christi gratia, & virtute relatas recensemus, & commendamus; vel quia Sanctorum intercessio, & patrocinium exposcitur, & simul declaratur, quantum de eorum meritis, atque interventu apud Christum confidamus; vel in gratiarum actionem, significantes, nos recepisse a Deo Sanctorum intercessione, ea, pro quibus impetrandis exoravimus.

ARTICULUS. II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Hostiæ aliquando dicuntur Sanctorum meritis dicatæ, ut in Secreta, quæ recitatur in Missa Martyris Pontificis, & in Secreta Missæ secundæ pro Virgine, & Martyre: *Hostias tibi Domine, Beati N. Martyris tui, atque Pontificis dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium.* Repono. Verba adducta hoc modo esse construenda: *Domine meritis Beati N. Martyris tui, atque Pontificis benignus assume tibi dicatas, & tribue provenire nobis ad subsidium*, uti adnotavit Joannes Chrysostomus

Abbas Trombellus de cultu Sanctorum tom. 1. p. 2. dissert. 6. c. 33. n. 4.

II. Inquiunt. Luc. c. 22. ℣. 19. Præcipit Christus : *Hoc facite in meam Commemorationem*, non Sanctorum. Repono. Missam aliter fieri in commemorationem Christi, aliter in commemorationem Sanctorum: commemoramus in Missa Passionem Christi, & ejus Mortem, in qua spem nostram reponimus. Sanctos vero commemoramus, ut eorum exemplo excitati, illorum intercessionibus adjuvemur ad percipiendum fructum Mortis, & Passionis Christi.

III. Inquiunt. In Missa sacrificamus, ut gratiam, & gloriam obtineamus per merita Christi: ergo non per merita Sanctorum; adeoque. Repono. Aliter per merita Christi a nobis speratur gratia, & salus: aliter per merita Sanctorum: per illa enim speramus gratiam a Deo nobis immediate donandam; per ista vero solum mediate, quatenus speramus per merita Sanctorum movendum Deum ad applicandum nobis fructum meritorum Christi.

Petes. An nos Franciscani recte ad Missas in *Confiteor* inseramus nomen nostri Fundatoris S. Francisci?

Respondetur. Nos Fratres Minores (quidquid scripserit aliquis in contrarium) posse, & debere addere in *Confiteor* nomen nostri sancti Patriarchæ Francisci dicendo : *Sanctis Apostolis Petro, &* *Pau-*

Paulo, Beato Patri nostro Francisco &c. & ita dicendo: *Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, Beatum Patrem nostrum Franciscum* &c. Cui non obstat Decretum sac. Congreg. diei 20. Martii 1706. loquendo ipso de iis, qui illud non recitant ex speciali privilegio: *Regulares absque speciali privilegio* &c. quo nos gaudemus ex ritu tradito a S. Bonaventura anno 1260. relato in Orbe Seraphico tom. 3. n. 30. a quo recedere non possumus ex sancitis a Julio II. & Clemente X. citat. in rubricis nostri novissimi Franciscani Breviarii n. 129. ibi: „ Quoad cœremonias vero, & alia ad recte, & sancte reddendum Domino sacrificium laudis, quoquo modo necessaria, & opportuna, observanda sunt documenta a S. Bonaventura edita, nec non ordinationes Capitulorum Generalium, Apostolica authoritate confirmatæ: ac proinde Rituale, constitutiones, & doctrinæ in firmamento trium Ordinum contentæ ibidem a sanc. mem. Julio II. & tandem a fel. record. Clemente X. in Brevi - Ex commissi Nobis 28. Aug. 1671. cum aliis recentioribus, approbatæ, & sub nonnullis pœnis pro tunc, & nunc observari mandatæ: ac ideo in Missalibus, & Breviariis Franciscanis in *Confiteor* rite apposi-

tum est post nomina Apostolorum Petri, & Pauli, nomen S. P. nostri Francisci. Et insuper ad id habemus personalem confirmationem Innocentii XIII. qui assistendo nostro Capitulo Generali Romæ celebrato die 15. Maji 1723. non solum id approbavit in publica confessione omnium Voealium, sed & sibimetipsi complacuit repetere dicendo: *Precibus, & meritis Beatæ Mariæ* &c. *Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Beati Patris vestri Francisci* &c. uti apparet ex supra laudato Capitulo Generali edito Romæ anno 1730. Et ad id accedit totius Religionis universalis, & inveterata consuetudo, quæ quasi altera lex parem obligandi obtinet potestatem cap. *Consuetudo* 5. dist. 1. l. *de quibus* 31. ff. *de legibus*. L. *Diuturna consuetudo* 33. & L. *sed & ea* 35. ff. eodem. Consuetudo namque est optima legum interpres l. *si de interpretatione* 37. ff. *de legibus*. cap. *cum Dilectus*. 8. *de consuetudine*. cum similibus. Et hæc sententia expresse traditur sub n. 168. in cœremoniali Mediolani impresso anno 1744. ab eruditissimis Patribus Reformatis illius Provinciæ collecto ex cœremonialibus Romanis, & Franciscanis.



QUAE-

QUAESTIO VII.

Utrum Missæ, quæ *privatæ* dicuntur, licitæ sint, habeantque veram Sacrificii a Christo instituti rationem?

PRAENOTIO.

OBservant controversiarum Scriptores Missam multifariam dici posse *privatam*; vel quia in privato loco, vel quia non in die Festo celebratur; vel quod privatæ cuidam personæ medius Missæ fructus applicatur; vel quod ejusmodi Missæ pauci intersint, vel quod non ad altare majus Ecclesiæ celebretur, nec Parochialis, seu Conventualis sit; vel denique quod solus Sacerdos suscipiat Eucharistiam, nec quisquam alius communicet. Adversus Missas, quæ ideo *privatæ* appellantur, quod in iis solus Sacerdos, nec quisquam alius Sacramentum suscipiat calumnias evomuere suas Lutherus tract. de abroganda Missa privata; Calvinus lib. 4. instit. c. 18. Kemnitius in examine Concilii Tridentini. Nefarium hujusmodi abrogandæ Missæ privatæ consilium ipse Lutherus in eodem tractatu pag. 236. & seq. ab ipso dœmone accepisse se quodamodo fatetur; narrat enim ea de re se venisse in colloquium cum diabolo, ejusque victum esse argumentis, quibus connisus est demonstrare, veram esse idololatriam eam Missam, in qua solus Sacerdos communicat. His præinsinuatis fit. AR-

ARTICULUS I.

Hujusmodi Missæ privatæ licitæ sunt.

I. OStenditur ex Concilio Tridentino sess. 22. c. 6. de Sacrific. Missæ. „ Optaret „ quidem Sacrosancta Synodus, ut in „ singulis Missis Fideles adstantes non „ solum spirituali affectu, sed Sacramen„ tali etiam Eucharistiæ perceptione „ communicarent, quo ad eos Sanctissi„ mi hujus Sacrificii fructus uberior pro„ veniret: nec tamen, si id non semper „ fiat, propterea Missas illas, in quibus „ Sacerdos sacramentaliter communicat, „ ut privatas, & illicitas damnat, sed „ probat, atque adeo commendat; si„ quidem illæ quoque Missæ vere com„ munes censeri debent, partim, quod „ in eis populus spiritualiter communi„ cet, partim vero, quod a publico „ Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, „ sed pro omnibus Fidelibus, qui ad „ corpus Christi pertinent, celebrentur. „ *Et ejusdem sessionis can. 8. definit:* Si quis „ di-

„ dixerit, Missas, in quibus solus Sa-
„ cerdos sacramentaliter communicat, il-
„ licitas esse, adeoque abrogandas, ana-
„ thema sit. „

Optat sancta Synodus Tridentina, ut Missæ adstantes Fideles Eucharistiam percipiant; nec enim negari potest, hanc fuisse veterum Christianorum praxim: „ Sciendum est, quod
„ soli Communicantes Divinis mysteriis
„ interesse consueverant, unde & ante
„ oblationem juxta Canones jubebantur
„ exire catechumeni, & pœnitentes, vi-
„ delicet qui nondum se paraverant ad
„ communicandum. Hoc quoque ipsa
„ Sacramentorum innuit confectio, in
„ qua Sacerdos non pro sola sua oblatio-
„ ne, & communicatione, sed & alio-
„ rum rogat, & maxime in oratione post
„ Communionem pro solis communi-
„ cantibus orare videtur. Nec Commu-
„ nio dici potest, nisi plures de eodem
„ Sacrificio participent. „ Hæc sunt Micrologi verba c. 51. quæ respiciunt ad illa Canonis Missæ „ Ut nobis Corpus, & Sanguis
„ fiat dilectissimi filii tui Domini nostri
„ Jesu Christi &c. Ut quotquot ex hac

„ al-

„ altaris participatione Sacrosanctum filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur. *Et ad eam orationem post* „ *Communionem* : Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus &c. Satiasti familiam tuam muneribus sacris &c. „ De laudabili antiqua consuetudine, qua adstantes Missæ, Sacramentum susciperent, exstant argumenta in apologia secunda Justini Martyris, qui ait Eucharistiam præsentibus distribui, & ad absentes a Diaconis perferri consuevisse; & in can. 10. ex iis, qui dicuntur Apostolici, & can. 28. Concil. Illiberitani, & can. 10. Concil. Antiocheni sub Julio I.

Imo in Germania sæculo nono, qui pluribus Missis aderant, in singulis communicabant, ut refert Walfridus Strabo c. 22. de rebus eccles. „ „ Quia de communicandi veritate quædam præmisimus, hoc addendum videtur, esse quosdam, qui semel in die communicare, etiamsi pluribus interfuerint Missis, pro dignitate Sacramentorum sufficere credunt; esse vero alios, qui sicut in una, sic in omnibus, quibus adfuerint Missis, in die communicare velint. Quorum neu-

„ tros

„ tros culpandos existimo; quia sicut „ Augustinus ait de his, qui quotidie „ communicant, & illis, qui rarius, istos „ reverentia Sanctarum retrahit rerum, „ illos vero amor salubrium invitat Sa- „ cramentorum. Nam & ipse Sacerdos, „ quoties in die Missas facit, communi- „ care non omittit. Quod si non faciat, „ Canonico est feriendus judicio. „ Justum ergo, & sanctum est desiderium sacræ Tridentinæ Synodi, ut, qui Missæ intersunt, Sacramentum omnes percipiant, sed sanctum quoque, & æquum est, quod deinde addit; se nimirum etiam eas Missas probare, & commendare, in quibus solus Sacerdos communicat anathemate illum feriens, qui dixerit eas illicitas esse, & abrogandas.

Oggerunt Hæretici: Nihil concludere Concilii argumentum, nam (aiunt illi) minister verbi, seu prædicator est etiam publicus minister, & tamen concionari non potest, nec concionando prodesse, nisi præsente populo, & verbum Dei excipiente. Pariter qui baptizat, est publicus minister, & tamen baptizare non potest, nisi aliquis adsit baptizandus: igitur etiam licet Sacerdos sit publicus Eucharistiæ minister, Sacrificium tunc dumtaxat erit commune, dum aderunt communicandi, nec poterit celebrare, nisi præsentibus

istis.

istis. Repono. Ineptissimam esse hanc Heterodoxorum instantiam; aliter enim Sacerdos est minister publicus sacrificando, aliter concionando, & Sacramenta administrando; nam sacrificando dirigit actionem suam ad Deum pro populo; concionando vero, & Sacramenta administrando dirigit actionem suam ad populum propter Deum.

II. Natura Sacrificii non exigit, ut aliqui, dum celebratur, intersint, ac Sacramenti fiant participes, cum totum Sacrificium ad Deum referatur, atque fructus illius æque particeps fieri possit sive qui absens est, sive qui præsens: Sacrificium simile est orationi; imo est quædam realis, ac efficacissima oratio. Porro certum est, orationem ei prodesse, pro quo fit, etiamsi ille nesciat, quid agatur.

III. Claret ex S. Joanne Chrysostomo Homil. 3. in c. 1. epist. ad Ephes. ubi ait: „ Frustra „ habetur oblatio quotidiana, cum nemo „ sit, qui participet. Quisquis my„ steriorum consors non est, imprudens, „ & improbus adstat. *Item*: Si quis ad „ convivium vocatus manus quidem la„ verit, & accubuerit, & tamen nihil cibo„ rum gustaverit, nonne infert contume„ liam convivatori, a quo fuerit vocatus? „ an non satius fuerit eum, qui talis est „ prorsus non comparuisse? „ Dolebat nimi-

mirum S. Chrysostomus, qui, cum quotidie celebraret, quod nemo esset, qui communicaret.

Oggerunt Hæretici. Recte ex hoc infertur Chrysostomum reprobare potius tamquam inutile Sacrificium, cui nemo interest, qui communicet. Repono. Si S. Joannes Chrysostomus tale Sacrificium tamquam inutile reprobasset, certe a quotidiano Sacrificio abstinuisset, quod tamen non fecit. Hoc ergo in loco S. Doctor eos reprehendit, qui Missæ intererant, nec tamen communicabant, quod cum S. Tridentina Synodo consentit, quæ optat, ut ii, qui Missæ intersunt, Eucharistiam percipiant. Id vero non agit S. Doctor, ut dicat, Missam non esse quotidie celebrandam, eo, quod quotidie adstantes non communicent: ex quo licet arguere eum neque illicitam, neque invalidam, imo licitam, & validam eam Missam, ut definivit Concilium Tridentinum existimasse, in qua solus Sacerdos communicat. Ait quidem S. Chrysostomus: *Frustra fit oblatio;* verumtamen vox *frustra* non ad Sacrificium, sed ad oblationem refertur: celebratur enim Missa partim, ut Deo Sacrificium offeratur, partim, ut sacro Eucharistico pane populus recreetur; quod si nemo sit, qui communicet, Sacramentalis quidem populi communio suo caret effectu, non caret tamen Sacrificium Missæ, ut egregie respondet Bellarminus tom. 3. Controvers. lib. 6. de Sacrificio Missæ c. 10. *Dico, illa verba, frustra fit oblatio quotidiana, non significare absolute oblationem frustra fie-*

 ri,

ri, sed frustra, quatenus ordinatur ad communionem. Nam cum celebratio Missæ partim ordinetur ad sacrificium Deo offerendum, partim ad populum sacro illo pane reficiendum, cum nulli sint, qui communicent, frustra fit, quatenus ordinatur ad posteriorem finem, sed non fit frustra, quatenus ordinatur ad finem priorem, Itaque Chrysostomus, etiamsi dicat *frustra* fieri, non tamen omittebat quotidie sacrificare, quod certe fecisset: si absolute *frustra* fieri existimasset.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. D. N. Jesus Christus Dominicam instituendo cœnam omnibus, qui aderant, distribuit: *Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum*; idque deinceps fieri mandavit dicens: *Hoc facite in meam Commemorationem.* Luc. 22. ℣. 19. Missæ itaque, in quibus solus Sacerdos communicat, sunt contra Christi institutionem. Respono. Non omne id, quod Christus fecit, ab omnibus in quacunque circumstantia fieri præcepit; alioquin non nisi sub noctem, post Cœnam, præsentibus duodecim, exclusis mulieribus, Cœnæ mysterium esset celebrandum. Sic ergo instituit, ut Sacerdos consecrans semper participet, ac deinde, si qui Fidelium præsentes sint, & petant, exemplo suo illis distribuat. Deinde Christus in Cœna ordinavit Apostolos; unde solum voluit,

ut

ut qui ordinantur cum Ordinante communicent, quod in die ordinationis adhuc servat Ecclesia. Vel dicendum, Christum præcepisse, ut qui Sacrificium (ut ipse) offerunt, de Sacrificio participent.

II. Inquiunt. Apostolus 1. ad Corinth. c. 11. cœnam Dominicam opponit privatæ, ait enim ℣. 20. *Jam non est Dominicam cænam manducare. Unusquisque enim suam Cœnam præsumit ad manducandum.* In quem locum S. Joannes Chrysostomus inquit: *Quod Dominicum est, privatum fecerant. Cœna enim Domini debet esse communis.* Repono. Nec Divum Paulum, nec S. Joannem Chrysostomum hic cœnæ Dominicæ nomine celebrationem, ac sumptionem Eucharistiæ intellexisse, quæ pauperibus æque, ac divitibus per Ministros Ecclesiæ dispensabatur, sed convivium ad imitationem cœnæ Domini post sacra mysteria a Christianis tunc temporis celebrari solitum, quod *Agapen* vocabant, quasi symbolum charitatis: cumque ad hoc divites, amicos paris conditionis despectis pauperibus invitarent, eos reprehendit Paulus, quod Dominicam cœnam non imitarentur, quam Christus cum discipulis pauperibus habuit, sed privatam facerent, exclusis, aut non expectatis pauperibus, cum cœna Domini debeat esse communis. Unde ait Apostolus: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* id est, si cœnas privatas facere

vultis, domos habetis: at in hac, quam ad imitationem cœnæ Domini in Ecclesia facitis, communes cœnas habere debetis etiam pauperes assumendo, qui non habent.

QUAESTIO VIII.

Quid de Missis Gregorianis?

ARTICULUS I.

Missæ istæ a D. Gregorio initium habent.

QUi lib. 4. c. 5. de dialogis demandavit Abbati Pretioso, ut offerri curaret triginta Missas triginta diebus continuis pro Monacho Justo defuncto his verbis: *Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium; stude, ut nullus prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur.* Absoluto Missarum numero Justus Monachus Pretioso apparuit, cui se Purgatorii cruciatibus ereptum eo tempore nunciavit: *Fratres vero* (inquit S. Gregorius loc. cit.) *sollicite computaverunt dies, & ipse dies extiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta.* Hinc ritus celebrandi has triginta Missas pro defunctis cœpit esse in maxima veneratione in Ecclesia Dei, & Fideles solent similes Missas pro suis defunctis curare, tum ob institutionem tam sancti Pontificis, tum ob varias revelationes, quod illæ maxime

me profuerint animabus, pro quibus oblatæ fuerunt.

Interjecto aliquo tempore triginta Missas prorsus ineptas, & rebus haud convenientibus refertas quidam sine ulla facultate temere confecit, easque a S. Gregorio appellavit, quas etiam diligenter expendit Thiersius in suo tract. superstition. tom. 2. lib. 4. c. 4. & sac. rituum Congregatio die 8. Aprilis A. C. 1628. celebrari vetuit.

ARTICULUS II.

Hæ triginta Missæ a S. Gregorio, uti supra, institutæ, & ordinatæ non sunt prohibitæ, sed permissæ.

UT expresse decrevit rituum Congregatio die 28. Octobris A. C. 1628. apud Barbos. de officio Parochi pare 1. c. 11. n. 30. Neque necessarium est, ut omnes hæ triginta Missæ ab uno, & eodem solo Sacerdote celebrentur, quia Divus Gregorius in citatis verbis non dicit: *Offer per temetipsum.* Nec requiritur, ut omnes illæ triginta Missæ sint de Requiem; aliter non possent esse continuæ, cum inter illos triginta dies continuos medient dies Dominicæ, & regulariter etiam alii dies officii duplicis, in quibus nequeunt celebrari Missæ de Requiem, eo vel maxime; quia Divus Gregorius dixit solum Abbati Pretioso: *Offer pro eo Sacrificium*, quod æque fieri potest, sive

in Missa de Requiem, sive in Missa de officio currente, cum solum exigatur applicatio Sacrificii, quod illi animæ æque prodest sive fiat in Missa de Requiem, sive in Missa de officio currente ex declarationibus Alexandri VII. Clementis IX. & Innocentii XI.

Requiritur autem quantum fieri potest, ut istæ triginta Missæ sint continuæ, & non interpolatæ, cum Divus Gregorius institutor illius ritus expresse dicat: *Diebus triginta continuis.* Et dato, quod Sacerdos ad illas celebrandas obligatus ex decentia, & honestate pro aliqua die vellet Missam omittere, sic permittente Ecclesia, tunc posset illas continuare per celebrationem alterius Sacerdotis, quod, ut jam monui, fieri potest.

Non interpolantur tamen per omissionem celebrationis illis diebus, quibus per Ecclesiam vetitum est celebrare, ut in triduo Majoris hebdomadæ ex Decreto sacræ rituum Congregationis, & Clementis XI. die 20. Aprilis A. C. 1707. & ejusdem vivæ vocis oraculo die 8. Augusti A. C. 1713. & in feriis sextis Quadragesimæ juxta ritum Ambrosianum, in quibus obstante tali ritu Missæ non celebrantur, per omissionem enim celebrationis illis vetitis diebus non inducitur discontinuatio contra institutionem Divi Gregorii, cum hæc intelligenda sit de continuatione servato ritu Ecclesiæ. Cavendum tamen est, ne hæc continuatio Missarum per triginta dies fiat aliquo modo superstitioso, ponendo vim in tali numero

præ-

præcise, ut in hac, vel illa conditione, ut advertit, & damnat Sanchez in præcepta Decalogi tom. I. lib. 2. c. 40. & 41. Hieronym. Roderic. in compen. quæst. regular. resolut. 45. n. 8. Barbosa loc. cit. de officio Parochi p. I. c. 11. n. 30.

QUAESTIO IX.

An S. Telesphorus Papa a Gratiano relatus can. *Nocte sancta* de consecrat. dist. I. trium Missarum, quæ in Natali die Domini celebrantur, Author recte statuatur?

PRAENOTIO.


Speciale quoddam vetustæ disciplinæ monumentum, quo Dominicæ Nativitatis Solemnitas plurimum magnificatur, est, ut Sacerdos quilibet ternas Missas celebret, uti exprimitur in Jure can. *Nocte sancta* de consecrat. dist. I. & cap. *Consuluisti* de celebr. Miss. Cæterum docet Pougetus instit. catholic. tom. I. p. 814. ternis hisce Missis tres Christi ortus indicari. Unus in tempore in utero Virginis, repræsentatus in prima Missa, quæ in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis post mediam noctem celebratur. Alter in justorum animabus, in quibus innascitur, & habitat per fidem, repræsentatus in secunda Missa, quæ illucescente aurora celebratur, in qua recolitur etiam memoria ejus nuncii, quod ab Angelo Pastoribus de nato Christo allatum est. Tertius de-

nique in æterno sinu Patris, repræsentatus in tertia Missa, quæ ante meridiem peragitur, ut satis innuunt ejusdem Missæ Epistola, & Evangelium.

ARTICULUS I.

Dubium est, an S. Telesphorus tres Missas in Nativitate Domini celebrandas instituerit.

I. QUia certum non est, sed dubium, ait Cardinalis Lambertinus lib. I. de Festis c. 17. ℣. 58. num textus ille sit Telesphori; nam initium ejus Epistolæ, unde est excerptus, ex Epistola desumptum est Damasi ad Illyricos: *Credimus sanctam fidem vestram in Apostolorum eruditione laudatam.* II. Satis constat, quam multa viri docti objecerint adversus Antesiricianas epistolas Decretales, quo minus genuinæ habeantur. III. Florentinius exercit. 2. in qua de veterum vigiliarum usu, ac de pervigilio Nat. Chris. Domini erudite disputat pag. 203. ita scribit ad rem: *Augetur dubitatio, an epistola S. Telesphori Papæ genuina sit. Jam docti viri non desunt, qui adductam epistolam illius Summi Pontificis germanam esse non facile consentiunt.*



AR-

ARTICULUS II.

Credibilius est morem tres Missas in die Natali Domini celebrandi, vestigium esse antiquissimi ritus, quo olim diebus solemnibus plures ab eodem Sacerdote Missæ agebantur.

SIc Cardinalis Bona ostendit ex vetustissimis monumentis rer. liturgic. lib. 1. c. 18. n. 6. consuetudinem viguisse, ut Kalendis Januarii binæ Missæ celebrarentur, una de Octava Nativitatis, altera de B. Virgine; ternas itidem Missas Feria V. in Cœna Domini probat celebratas esse, unam ad reconciliandos pœnitentes, alteram ad sacrum chrisma conficiendum, & tertiam, quæ ad diei solemnitatem pertinet. Duas item Missas peractas fuisse ostendit tum in pervigilio, tum in festivitate Ascensionis. Præterea Josephus Vicecomes de antiquis Missæ ritibus lib. 3. c. 28. demonstrat ab eodem Sacerdote in diebus Paschatis, in festivitatibus Ss. Petri, & Pauli, Joannis Apostoli, Joannis Baptistæ, Laurentii, Marci, & Victoris plures celebrari Missas consuevisse.

Ex hoc intulerunt nonnulli trium in Natali Christi die celebrandarum Missarum morem vetustæ disciplinæ vestigium esse. Pougetus quærit: *Cur in festo Nativitatis Christi ter Missarum solemnia celebrentur a quolibet Sacerdote?* Et ita respon-

 det:

det : *Hoc vestigium est antiqui ritus, quo diebus solemnibus plures ab eodem Sacerdote Missæ agebantur.* S. Gregorius testatur die Christi Natali ideo sermonem suum in compendium conferre, *quia*, inquit, *hodie ter Missarum solemnia celebraturi sumus.*

Rursus in Ordinibus Romanis notatum reperitur Summum Pontificem in Natali Christi die tres celebrare solitum Missas. Primam in Basilica Liberiana, alteram in S. Anastasiæ Æde, cujus hac die memoria recolitur, tertiam in Vaticana Basilica. Dum quædam ex tribus hisce Missis celebraretur teterrimum illud, ac nefarium a Cencio Romano cive perpetratum est scelus, de quo ita Abbas Urspergensis : *Cencius quidam civis Romanus ex fautoribus Henrici in Nativitate Domini Gregorium Papam in Galli cantu Missam celebrantem de altari graviter vulneratum rapuit, & in turre sua in custodiam misit.* de aliqua itidem ex his Missis loquitur Albertus Argentinensis in Chronico : *In die quoque sancto Nativitatis Domini Rex Carolus communicatus fuit, legitque in Missa galli cantu alta voce habens in manu evaginatum gladium, Evangelium: Exiit edictum a Cæsare Augusto.* Et apud Martene c. 12. n. 10. ea cæremonia describitur, qua Imperator, seu Rex aliquis, qui in Sacello Pontificio, officio adesset, gladium manu tenens, & vibrans quintam officii lectionem canebat. Nunc vero in nocte Nativitatis Domini Summus Pontifex Ducalem pileum, & gladium benedicit, qui

vel

vel præsenti alicui Principi viro, vel absenti dono datur, ut videre est lib. 1. sacrar. cærem. c. 6. De hac cæremonia scripsit tractatum Theophilus Raynaudus tom. 10. Eadem vero consuetudo, qua Romæ tres Missas Summus Pontifex celebrabat, in Gallias, cæterasque Regiones traducta est, cum Romanus ordo Caroli Magni jussu receptus est. Et quamquam primo ea disciplina ad Episcopos dumtaxat pertineret, paulatim ad omnes Sacerdotes propagata est, ut conjicit Grancolas in comment. ad Breviar. Romanum.


Petes. Quando in Occidentalem Ecclesiam pia fuerit inducta consuetudo, ut Natali die Domini mysterium repræsentetur Infantis Jesu in præsepio, & quod vulgo dicitur, ut præsepe conficiatur in Templis, in Religiosis ædibus, atque etiam in domibus privatorum?

Respondetur. Ab Antonio Francisco Gorio in suis observationibus de Christi Domini præsepi n. 17. piæ hujus consuetudinis originem ad sæculum decimum tertium referri, cum S. P. N. Franciscus Seraphicus præsepe ædificavit in silva Græcii, ubi in illa sacratissima nocte nascenti Domino dicata nobilis quidam vir eum vidit Divinum puerulum in ulnis gestantem.

Sic legitur in vita S. P. Francisci scripta a S. Bonaventura c. 10. „ Voluit quandoque in „ solemnitate Nativitatis vivam sibi exhibere for„ mulam pauperculæ illius, quam tenuerat Do-

„ mi-

„ minus in Bethlehem œconomiæ: fecit præpa-
„ rari præsepium, apportari fœnum, bovem, &
„ asinum ad locum adduci. Advocantur Fratres,
„ adveniunt populi, personat silva voces, & ve-
„ nerabilis illa nox luminibus copiosis, & claris,
„ laudibusque sonoris, & consonis, & splendens
„ efficitur, & solemnis. Stabat vir Dei coram
„ præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, &
„ gaudio superfusus. Celebrantur Missarum So-
„ lemnia super præsepe. Levita Christi Franci-
„ sco sacrum Evangelium decantante. Prædicat
„ deinde populo circumstanti de Nativitate Regis
„ pauperis; quem, cum nominare vellet, *Pue-*
„ *rum de Betblehem* præ amoris teneritudine nun-
„ cupabat. Miles autem quidam virtuosus, &
„ verax, qui propter Christi amorem sæculari re-
„ licta militia viro Dei magna fuit familiaritate
„ conjunctus D. Joannes de Græcio se vidisse
„ asseruit puerulum quemdam valde formosum,
„ in illo præsepio dormientem, quem Beatus P.
„ Franciscus ambobus complexans brachiis ex-
„ citare videbatur a somno. „



QUAE-

QUAESTIO X.

An ultimo triduo Hebdomadæ Majoris Missas privatas celebrare liceat?

ASSERTIO.

NEque feria quinta in Cœna Domini, neque sequentibus feria sexta, & Sabbatho possunt Sacerdotes Missas privatas celebrare.

I. Licet in can. *Visum* de consecrat. dist. 1. & in can. *Iterum* de consecr. dist. 1. statuatur, ut Missa quotidie celebretur; generalis tamen hæc regula restringitur in can. *Sabbatho* de consecr. dist. 3. ut ibi advertit Glossa: in hoc quippe canone dicitur: *Ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* II. Missas privatas sacro illo triduo celebrare prohibitum esse apertissime colligitur ex Decreto Clementis XI. promulgato die 15. Martii A. C. 1712. ubi quodcunque solemne, aut privatum Missæ Sacrificium prohibet feria sexta Majoris Hebdomadæ, licet Festum Annunciationis Beatæ Virginis celebrandum in ea contingat, jubetque ea plene servari, quæ pro illo die a Romano Ritnali præscribuntur, post hæc ita subdit: „ Postremo Sanctitas „ sua declarat hac interdictione, quæ „ feriæ sextæ ratione facta est, haud per„ mittere, ut feria quinta, aut Sabba„ tho-

„ tho ejusdem Majoris Hebdomadæ Sa- „ cra privatim instituantur, sed Conven- „ tuale solummodo juxta ritum sanctæ „ Ecclesiæ, & plura Decreta sacrorum „ Rituum Congregationis. „ Die vero 3. Aprilis A. C. 1719. jussu ejusdem Pontificis Cardinalis Parracciauus Urbis Vicarius hoc monitum promulgavit: „ Sanctitas sua juxta ea, „ quæ pluries a S. R. Congregatione „ sancita sunt, præcipit omnibus Sa- „ cerdotibus, ut a Missis celebrandis „ privatim abstineant, non modo feria „ sexta, sed etiam feria quinta, ac Sab- „ batho Majoris Hebdomadæ tum in pri- „ vatis sacellis, tum publicis Regula- „ rium, vel sæcularium Templis, qui- „ buscunque privilegiis prædita sint, „ quæ omnia, & quamlibet contra- „ riam consuetudinem penitus abrogat. „

Petes. Unde manarit ea disciplina, ut feria quinta Majoris Hebdomadæ Clerus Sacrosanctam Eucharistiam in Missa solemni de manu celebrantis Sacerdotis suscipiat?

Respondetur. Ex ordine Romano, ubi sic legitur de Cœna Domini: *Fractis autem oblatis communicent Presbyteri primo, postea Diaconi, & cæteri omnes, & ita perficiatur.* Cæremoniale quoque Epi-

Episcoporum Clementis VIII. Innocentii X. & Benedicti XIII. authoritate probatum ita habet lib. 2. c. 23. *Deinde, antequam se purificet* (de Episcopo est sermo) *communicat primum Diaconum, & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Ecclesia, qui stolam a collo pendentem supra cotam habere debent, & denique omnes de Clero.* Præterea S. Carolus Borromæus in tertio Concil. Provincial. in Act. Eccles. Mediolan. tom. 1. pag. 79. sic statuit : „ Feria quinta in „ Cœna Domini, singuli, qui in Cathe- „ drali, Collegiatave Ecclesia vel dig- „ nitatem, vel Canonicatum obtinent, „ etiam qui Sacerdotalis Ordinis sunt, „ & reliqui item singuli ejusdem Ec- „ clesiæ Clerici Corpus Domini in so- „ lemni Missæ Sacro, quod illo die in „ ea Ecclesia fiet, sumant. „

Hujus autem instituti causa hæc est; quia hac die celebratur Festum sacræ Eucharistiæ, quam postrema Cæna Christus Dominus instituit, quo tempore juxta Concilii Tridentini sententiam sess. 22. de Sacrificio Missæ c. 1. Sacerdotium quoque Apostolis contulit; unde sicut Salvator sibi primum, ac deinde Apostolis sacrosancta mysteria tra-

tradidit, ita consentaneum fuit, ut Sacerdos feria quinta Majoris Hebdomadæ suscepta Divina Eucharistia, ipsam postea universo Clero distribueret, qui Ecclesiæ adscribitur, ubi Sacrum peragitur.



DIS-



DISSERTATIO IV.

De Inventione, & Adoratione S. Crucis, ac cæterorum Dominicæ Passionis instrumentorum.



Calvinianarum partium homines Salmasius, Spanhemius, Basnagius, Dallæus veritatem historiæ de inventione sanctissimæ Crucis instar meræ fabulæ explodendam censent. Stultum præterea Paulicianorum errorem a Natali Alexandro dissert. 7. hist. 8. sæcul. egregie confutatum, dein a Claudio Taurinensi, a Petrobusianis, ac Wicclefistis

excitatum, novissime Lutherani, & Calvinistæ instaurarunt adversus cultum, qui Cruci, cui affixus est Jesus, ejusque Crucis Imaginibus jure tribuitur.

QUAESTIO I.

An vera sit historia referens Crucem Christi ab Helena Jerosolymis fuisse inventam?

ARTICULUS I.

Crux Christi revera a S. Helena Constantini Magni Imperatoris Matre fuit reperta.

I. STat pro hujus rei certitudine Breviarium Romanum emendatum.

II. Est hæc historia firmissimis suffulta fundamentis Ambrosii in concione de obitu Theodosii. Ruffini lib. 1. c. 8. S. Paulini epist. 31. alias 2. Sozomeni lib. 2. c. 1. Nicephori lib. 8. c. 29. Sulpitii Severi lib. 2. Hist. sacræ c. 34. cujus verba refero „ Ejusdem Reginæ (*seu Helenæ*) „ matris Constantini Magni beneficio „ Crux Domini tum reperta, quæ ne- „ que in principio obsistentibus Judæis „ potuerat consecrari, & postea dirutæ

„ ci-

„ civitatis oppreſſa ruderibus, non niſi
„ tam fideliter requirenti meruit oſtendi.
„ Igitur Helena primum de loco paſſio-
„ nis certior facta, admota militari ma-
„ nu, atque omnium Provincialium
„ multitudine in ſtudia Reginæ certan-
„ tium, effodi terram, & contigua quæ-
„ quæ, ac vaſtiſſima ruinarum purgari
„ jubet: mox pretium fidei, & laboris
„ tres pariter Cruces, ſicut olim Domi-
„ no, & latronibus duobus fixæ fuerant,
„ reperiuntur. „

III. S. Cyrillus Patriarcha Jeroſolymitanus, qui illo tempore vixit, quo Helena Conſtantini Mater, Jeroſolymam luſtravit, & inventioni S. Crucis præcipuam operam navavit, in epiſtola ad Imperatorem Conſtantium perſpicue, & absque verborum involucris teſtatur Sanctus ille Pater, ſalutare Crucis lignum tempore Conſtantini Imperatoris fuiſſe Jeroſolymis repertum, ſic enim ſcribit: *Tempore quidem Deo Dilectiſſimi, ac beatæ memoriæ Conſtantini Patris tui, ſalutare Crucis lignum Jeroſolymis repertum eſt, Divina gratia concedente ei, qui recte quærebat pietatem, etiam abſtruſam locorum ſanctorum inventionem.* Fundatur etiam in chronico Euſebii a Pontaco edito: *Helena Conſtantini Mater Divinis monita viſionibus beatiſſimum Crucis lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Jeroſolymam reperit.*

ARTICULUS II.

Historica Relatio Inventionis S. Crucis ex Benedicto XIV. in Festo Inventionis S. Crucis pag. 367.

„ SAcrorum in Palæstina locorum sanctitatem „ omni studio Hadrianus Imperator pollui, „ christianumque nomen contumeliis onerari cu- „ rabat. Sanctum præterea Jesu Christi sepul- „ chrum terra oppleri, Templumque in eo loco „ Veneri dicatum excitari jussit, ut Christiani, „ qui ad eum locum, quo Christus Dominus fue- „ rat conditus, devotione tacti venissent, eo se „ contulisse viderentur, ut inane illius Deæ Nu- „ men adorarent. „

„ Constantinus Imperator christianam fidem „ amplexus magnificentissimum in eo loco Temp- „ lum extruere statuit, cui ædificando Macarium „ Jerosolymitanum Episcopum præfecit, Præsi- „ desque Provinciarum omnia illi, quæ opus es- „ sent, suppeditare jussit. Omne illud opus „ perficiendum suscepit S. Helena Imperatoris ma- „ ter, quæ sacris Christianorum jam initiata cum „ animum suum ad pietatem, charitatemque ex- „ ercendam appulisset, A. C. 326. fere exeunte, „ se se contulit Jerosolymam, & loco, ubi Chri- „ stus cruci est affixus, iisque omnibus, quæ „ ad ejus passionem pertinent probe exploratis,

„ Tem-

„ Templum, Veneriſque ſimulacrum, quo Calvarius occupabatur, locuſque Filii Dei morte, & reditu ad vitam conſecratus fœde polluebatur, juſſit everti; atque inde amota terra, ſanctoque detecto ſepulchro ternas ejusdem formæ, & magnitudinis reperit cruces ſibi invicem adjacentes. „

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Ex epiſtola S. Cyrilli nil probari poſſe, quæ a Riveto Calviniſta exploditur tamquam monumentum ſuppoſititium, eo, quod in ipſa Imperator Conſtantinus acerrimus Divinitatis Chriſti impugnator, ingentibus laudibus evehatur. Repono. Rivetum graviſſime errare, dum Cyrilli epiſtolam ut ſpuriam, & falſam rejicit; quia in ea Conſtantius Auguſtus laudatur, qui Chriſti Divinitatem oppugnabat; Principes enim, etſi fidei hoſtes ſint, ſemper honorificis verbis compellari debent. Sic ſancti Patres Athanaſius, & Hilarius eumdem Imperatorem Conſtantium, eo etiam tempore, quo fidem chriſtianam apertius oppugnabat, maxima humanitate, & reverentia affari ſolebant, ut vel ſic eum ſibi conciliarent, & ad ſuas partes flecterent. Quapropter merito exſufflari debet hæc inanis Riveti conjectura, & S. Cyrillo vindicanda eſt illa epiſtola, ex qua pro inventione S. Crucis invictum ducitur argumentum.

tum. Nec enim credibile est, S. Cyrillum Authorem coævum Imperatori Constantio fucum facere, commentis ei illudere, ac toti Orbi fabulam venditare voluisse.

II. Inquiunt. Eusebius Cæsariensis, qui lib. 3. de vita Constantini c. 28. Helenæ gesta recenset, historiæ hujus nullam facit mentionem: Verba autem ex chronico Eusebii superius allata, recenter ei addita existimant Scaliger, & Bollandistæ ad diem 3. Maji. Repono. Bollandistas cum Scaligero nunquam probare posse verba illa: *Helena Constantini Mater &c.* chronico Eusebii recenti manu fuisse adjecta. Deinde etsi Eusebius revera siluisse de hac re comperiatur, argumentum inde depromptum est mere negativum, cujus nullæ vires. Rursus etsi Eusebius de hoc facto tacuisse supponatur, solvo argumentum verbis ipsorum Bollandistarum ad diem 18. Augusti §. 8. de vita S. Helenæ, ubi n. 26. ita scribunt: „ Dato autem, non concesso, Eusebium „ in hac re fuisse pisce, ut ita dicam, „ mutiorem; an propter silentium unius „ Eusebii tot alii gravissimi Auctores, „ qui adeo diserte eam asserunt, falsitatis arguendi sunt? Quibus omnibus „ addenda est constans, stabilis, ac perpetua Catholicæ Ecclesiæ Traditio. „ Andreas itaque Rivetus heterodoxus

„ Mi-

„ Ministellus commiseratione, seu risu
„ potius, vel contemptu dignus est,
„ quando in Critici sui sacri, ut vocant,
„ specimine adversum inventionem Cru-
„ cis audacter, & temere ista deblaterat.
Præterea affirmat Eminentissimus Cardinalis Prosper Lambertinus in Festo Inventionis S. Crucis pag. 372. ea verba in pluribus manuscriptis Codicibus, & multis veteribus editionibus reperiri. Quid? videre licet apud Bollandistas in vita S. Helenæ ad diem 18. Augusti §. 8. Eusebium hujus rei mentionem injecisse in vita Constantini lib. 3. c. 30. ubi Imperatoris affert Epistolam ad Macarium, qua quidem Epistola probe expensa Continuatores concludunt: *Ut ad Inventionem Crucis revertamur, ob rationes datas videtur nobis probabilius Eusebium hanc indicasse in Epistola Constantini citata.*

III. Inquiunt. Esse incredibile crucem Christi per trecentos annos in terram defossam, ruderibus coopertam non computruisse; imo, quod mirandum magis, binas quoque duorum latronum cruces sub terra incorruptas latuisse. Repono cum Eminentiss. Cardinal. Prospero Lambertino loc. cit. cui non est verosimile trecentorum spatio annorum tres cruces humo tectas delituisse incorruptas, is Divinam Omnipotentiam videtur circumscribere. Deus enim, cum nollet crucem Jesu Christi in Ethnicorum manus incidere, vel cum

Titus delevit Jerosolymam; vel cum Hadrianus Jerosolymitanum agrum populatus est, eam jacere humi passus est, & a corruptione defendit, ut impio demum Idolorum cultu deleto, & christiana religione longe, lateque diffusa, salutare lignum publico populorum cultui proponeretur. Nec quidquam roboris est, quod objicitur, huic rationi locum esse tantummodo, ubi de Christi cruce sermo sit; omnes enim tres illas cruces idcirco Deus voluit incorruptas, ut mirabili illi, quod contigit, miraculo fieret locus, cum ab iis Crux Dominica discreta, & agnita est.

Petes. Quo miraculo Crux Christi a crucibus aliorum duorum latronum fuerit agnita?

Respondetur cum Ruffino, Socrate, Sozomeno, & Theodoreto narrantibus in re tam dubia Macarium Jerosolymitanum Episcopum a S. Helena, quid facto opus esset, in consilium adhibitum, Divino afflatum Numine singulas quasque cruces ad matronæ cujusdam nobilis corpus, quæ in ipso mortis limine versabatur, admoveri jussisse, Deumque deprecatum fuisse, ut, cuinam ex illis tribus crucibus Unigenitus ejus filius esset affixus, significare dignaretur; ægram, ubi ejus corpori tertia crux esset admota, valetudini restitutam; idque indicio fuisse, in eam Christum Dominum fuisse sublatum.

S. Paulinus Nolanus Episcopus in Epistola ad Sulpitium Severum, qua se illi scribit particulam

mit-

mittere ſanctiſſimæ Crucis, refert eam mulierem jam mortuam, ubi primum ejus cadaveri tertia crux fuit applicita, revixiſſe. *Poſtremo* (ſunt Paulini verba) *Dominicam Crucem prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni contactum, morte refuga funus excuſſum, & corpus erectum.* Et conſonat Sulpitius Severus Hiſt. ſacræ lib. 2. c. 34. *Duabus prius fruſtra crucibus admotis, ubi Chriſti patibulo attactum eſt, dictu mirabile! trepidantibus cunctis funus excuſſum, & inter ſpectatores adſtitit.* Id eſt, homo mortuus reſuſcitatus eſt. Inde quidam exiſtimarunt, duo tum contigiſſe miracula: alterum mulieris morbo prope confectæ, quæ convaluerit; alterum mulieris mortuæ, quæ revixerit. Verum cæteri omnes vulgo unum tantum miraculum narrant; rem vero ajunt aliter Paulinum narrare, quod ex rumore populi eam acceperit, qui plerumque, quæ geſta fuerint, multis vel ſublatis, vel additis circumſtantiis auget, vel minuit.

Petes. An Crux D. N. J. Chriſti ſentiat damnum ſuæ præciſionis?

Reſpondetur. Eam potius creſcere, & multiplicari. I. Tanta enim eſt Dei bonitas, ſcribit Boſius lib. 6. de cruce, quod pro fidelis populi ſolatio eam virtutem ſuæ Cruci impertiatur, ut cum omnium hominum deſiderio per particularum ejusdem diſtributionem fiat ſatis, nullo tamen ſui detrimento id eveniat. II. S. Paulinus Epiſt. 11. ad Severum ſic habet: „ Operante Di-

„ vina virtute jugi miraculo Crux in „ materia insensata vim vivam tenens, „ ita ex illo tempore innumeris pene „ quotidie hominum votis lignum suum „ commodat, ut detrimenta non sentiat, „ & quasi intacta permaneat, quotidie „ dividuam sumentibus, & semper to- „ tam venerantibus, sed istam imputri- „ bilem virtutem, & indetribilem soli- „ ditatem de illius profecto carnis san- „ guine bibit, quæ passa mortem, non „ vidit corruptionem. „ III. S. Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 10. videtur tamquam fidelis testis accedere, cum ait: „ Quinque „ panes testantur in quinque millia mul- „ tiplicati; lignum crucis testatur ad „ hodiernum diem apud nos apparens, „ & apud eos, qui secundum fidem ex „ illo capientes, hinc universum orbem „ fere jam repleverunt. „ Unde Baronius tom. 3. anno 326. n. 50. sic concludit „ Hæc „ igitur a S. Cyrillo tertium repetita, „ & a S. Paulino disertis verbis asserta, „ ora obstruunt subsannantium Hæreti- „ corum, atque adeo objectantium, quo-

„ mo-

„ modo fieri possit, ut crux una tot in „ partes toto reperiatur orbe diffusa. „

QUAESTIO II.

An, & quo cultu Crucem Christi venerari debeamus?

ARTICULUS I.

Originalis, & vera Crux, in qua salutis Author pependit adoranda est cultu latriæ respectivo.

I. NEgare non possunt Hæretici, crucem contactu corporis Christi fuisse consecratam, divino ipsius sanguine purpuratam, in ea Diabolum fuisse expugnatum, homines æterno Patri reconciliatos, & consummata omnia veteris legis sacrificia per cruentum Christi sacrificium. Cur ergo Christianis non liceret Crucem humanæ salutis instrumentum cultu latriæ respectivæ adorare? Parentum, & amicorum absentium, aut mortuorum exuvias, vel annulos, tamquam mutui amoris pignora asservare, amanter osculari, & amplexari solemus, ab iis ægre divellimur, & non licebit crucem, in qua Christus Servator noster pependit, & salutem nostram operatus est, quam sacro suo sanguine perfudit, eo, quo par est, honore prosequi, religiose deosculari, tamquam Christi, nostrique erga ipsum amoris tesseram?

om-

omnem ergo pietatis, & religionis sensum Hæreticos exuisse necesse est, dum salvificæ Cruci Christi cultum latriæ respectivæ abjudicant.

II. Nemo non scit, qua veneratione Christiani primis Ecclesiæ temporibus, Crucem, in qua pependit Christus, sint prosecuti. Testantur quippe sancti Patres Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 4. 10. & 13. Chrysostomus in lib. *quod Christus sit Deus.* Et Paulinus in epist. 11. ad Severum Sulpicium, Christianos antiquitus tam pronis ad venerationem animis Crucem Christi coluisse, ut non solum ejus frustula, seu particulas carpendi, sed etiam auro includendi, collo suspendendi, seduloque asservandi curam haberent. Quid, amabo, ad hanc perpetuam, & constantem Ecclesiæ traditionem, atque antiquiorum Christianorum usum Hæretici, quos cum Judæis, & Paganis Cruci Christi insultare non pudet, regerere, aut mussitare possunt? qua fronte audent Catholicos insaniæ, deliræ superstitionis reos proclamare, & tamquam idololatras infamare, eo, quod salvificæ cruci Christi cultum latriæ respectivæ exhibeant, cum certum, exploratumque sit, totius Orbis Christianos in Ecclesiæ primordiis cultum venerandæ Cruci Christi tam impense detulisse, non reclamantibus, sed potius applaudentibus maximis Christiani nominis, & utriusque tam Orientalis, quam Occidentalis Ecclesiæ luminibus? Certe negare non possunt Heterodoxi a tempore Constantini Magni, qui post admirabilem lucidæ Cru-

Crucis in aere viſionem, cujus meminerunt Euſebius lib. 1. de vita Conſtantini c. 38. & Lactantius lib. de morte Perſecutorum c. 44. hoc ſalutis noſtræ ſignum ſuis militaribus vexillis inſeruit, ejusque præſidio inſignem de Maxentio Tyranno triumphum reportavit, negare, inquam, non poſſunt Heterodoxi, a tempore Conſtantini Magni omnes deinceps Imperatores eximiæ cujusdam felicitatis, ſummoque ſibi honoris loco duxiſſe, Crucem venerari, eam in ſuis militaribus ſcutis, armis, galeis, clypeis, nummis, purpura, & diadematibus inſculpere, ut toti orbi præfulgeret, omniumque populorum amoris, ac venerationis eſſet objectum. Tantum igitur abeſt, ut reſpectiva adoratio, quam ſalvificæ Cruci Chriſti Catholici impendunt, anilibus ſuperſtitionibus referenda ſit, ſicut obganniunt male feriati Hæretici, ut potius a Prophetis prænunciata, ab Apoſtolis firmata, a primis Chriſtianis pie obſervata, & per totum, qua late patet, orbem propagata, veritatis chriſtianæ religionis ineluctabile ſit argumentum.

III. Divus Thomas 3. p. q. 25. a. 4. docet Crucem, cui Chriſtus affixus eſt, latriæ cultu adorari, tum, quod ea nobis exprimat Chriſti figuram in Cruce pendentis, tum etiam præſertim, quod ejus ſanguine fuerit perfuſa. Quod autem Crux adoranda ſit ſolum cultu relativo ad Chriſtum, facile patet; quia Excellentia eſt motivum adorationis ſpecificativum, excellentia autem in ipſa cruce relucens, eſt excellentia Chriſti, ad

quem

quem dicit ordinem. Deinde quia Christus adoratur cultu latriæ absoluto: ergo cum Crux adoretur propter Christum, adorari debet cultu latriæ solum respectivo. Adde, idem sentiendum esse de lancea, columna, spinis, clavis &c. quia & ista tetigerunt membra Christi, cui adorationem, quam instrumentis exhibemus, censemur deferre.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Tempore Apostolorum extabat integra crux, nec tamen legitur, quod eam adorarint Apostoli. Repono. Non omnia, quæ egere Apostoli, esse scripta. Deinde falsum omnino est, Apostolos non coluisse sanctam Crucem, quandoquidem S. Andreas magno cum jubilo illam desideravit, & amplexus est, sicut & cæteri Martyres. De Ss. Apostolis legitur Act. c. 5. ℣. 41. *Et. illi quidem* (Apostoli) *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et D. Paulus ad Galat. c. 6. ℣. 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri JESU CHRISTI*; cum igitur in cruce Domini gloriarentur Apostoli, citra dubium esse, eos lignum illud pretiosum, omni, qua par erat, reverentia adorasse.

II. Inquiunt. S. Ambrosius in oratione funebri Theodosii Imperatoris de S. Helena sic loquitur:

tur: *Helena Regem adoravit, non lignum; quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum: sed adoravit illum, qui pependit in ligno.* Repono. S. Ambrosium intendisse a S. Helena non fuisse adoratam S. Crucem more Gentilium, qui errore detenti lignum tamquam Numen habebant, & colebant. Nullatenus tamen innuebat, S. Helenam non coluisse lignum Crucis relative ad Christum. Ipsa oppositionis verba piam Imperatricem sic coluisse Crucem indicant. Hæc veritas etiam desumitur ex eodem S. Ambrosio lib. 3. Epistolarum Epistola 22. Quod & amplius declarat S. Doctor in citata funebri oratione; ubi post verba in Oppositione allata subdit: *Sapiens Helena in caput Regum levavit, ut Crux a Regibus adoraretur.*

ARTICULUS III.

Satisfit aliis Oppositis.

I. INquiunt. Crux attulit Christo dolorem, & ignominiam: ergo eam abominari potius, quam adorare oportet. *2do.* Stultus, & impius judicaretur filius, qui patibulum amaret, & honoraret, in quo Pater ejus suspensus fuisset, quia hoc in contumeliam Patris fuit: ergo cum Christus ignominiosissimam mortem in Cruce pertulerit juxta illud Sap. c. 2. ℣. 20. *Morte turpissima condemnemus eum,* debemus Crucem potius detestari, quam venerari. Repono. ad *1mum.* Crucem Christi Judæis quidem, & Gentilibus fuisse ig-

ignominiam, & scandalum, Christianis autem lætitiam, & gloriam ob diabolum devictum, & humanum genus redemptum, ac signum dilectionis erga nos, propter quos Christus voluntarie dolores, & opprobria sustinuit juxta illud Isaj. c. 53. ℣. 7. *Oblatus est; quia ipse voluit. Ad 2dum.* Est disparitas; nam qui in patibulis suspenduntur, *1mo.* inviti suspenduntur. *2do.* ex culpa sive vera, sive in actis probata. *3tio.* nihil boni ex eorum morte provenit: Christus vero mortem licet ignominiosissimam volens assumpsit: non propter culpam suam, aut veram, aut probatam teste Pilato Judice semel, atque iterum protestante Joan. c. 18. ℣. 38. *Ego nullam invenio in eo causam.* Et c. 19. ℣. 6. *Ego enim non invenio in eo causam.* Demum ex morte toti generi humano salus obvenit, & propter hunc finem ipse eam suscepit; unde sicut si quis ob amorem Patriæ volens, ac sine propria culpa tradens se ipsum, concivium culpam in se susciperet, mortem pro ea expianda eligeret, ex qua omnium salus & libertas obveniret, instrumenta mortis ejus in honore asservarentur; ita, & multo magis Christi Crux, quæ fuit instrumentum nostræ salutis.

II. Inquiunt ea ratione nequaquam evinci Veram Christi Crucem latria respectiva esse adorandam; quia tetigit Corpus Christi; quia alias sequeretur, quod etiam Uterus Beatissimæ Virginis, quæ per novem menses gestavit Christum esset latria respectiva adorandus. Sequeretur item hoc

cul-

cultu adorandam eſſe aquam Jordanis, qua Chriſtus fuit baptizatus: terram, quam pedibus calcavit: aſellum, cui triumphali apparatu Jeruſalem intrans, inſedit: ſimiliter cathedras, lectulos, menſas, & alia id genus innumera, quæ Chriſti Domini tactu nobilitata ſunt: imo & ipſa impuriſſima Judæ Proditoris labia, quibus oſculatus eſt Chriſtum; manum Malchi, qui eum colaphizavit, & manus carnificum, qui tot diris tormentis ipſum in Paſſione laniaverunt, quod nullus Catholicorum admittit.

Repono ad *imum.* Uterum Beatiſſimæ Virginis præ cæteris eſſe honorandum cultu ſcilicet hyperduliæ juxta illam piæ Mulieris acclamationem Luc. c. 11. ℣. 27. *Beatus venter, qui te portavit.* Non tamen adorandus eſt latreutice; quia ſacer ille uterus fuit quid a Chriſto diſtinctum: Crux vero conſideratur ut Chriſtus Ipſe reduplicative ut crucifixus. Sic ergo cum Divina Mater habeat propriam excellentiam utpote creatura rationalis debet honorari cultu ſuæ excellentiæ correſpondente: aliud eſt de Cruce, quæ ſecundum ſe incapax eſt adorationis. Audi ad rem loquentem D. Thomam 3. p. diſt 4. quæſt. 25. art. 5.
„ Cum igitur Beata Virgo ſit pura crea-
„ tura rationalis, non debetur ei ado-
„ ratio latriæ: ſed ſolum veneratio du-
„ liæ, eminentius tamen, quam cæte-
„ ris creaturis, in quantum ipſa eſt Ma-

„ ter Dei. Et ideo dicitur, quod debetur ei, non qualiscunque dulia, sed hyperdulia. Et ibidem ad 3. ait Dicendum, quod Crux non est capax venerationis, prout in se consideratur, ut dictum est: sed Beata Virgo secundum se ipsam est venerationis capax, & ideo non est similis ratio.

Ad 2dum ajo: Illa numero aqua Jordanis, quæ tetigit immediate humanitatem Christi (non autem alia contigua) posset adorari ob ejusmodi attactum, si adhuc existeret. Ad 3tium pridem respondit Athanasius L. Quæst. ad Antioch. quæst. 15. *Non per asinum Christus diabolum devicit, & dæmones, neque in eo salutem operatus est, sed in Cruce.* Scilicet asinus erat jumentum non specialiter electum a Christo ad agendum redemptionis negotium, sicuti Crux. Deinde per se ridiculum esset religiose colere asinum. Denique; quia asinus triumphalis fuit jumentum commune, & rursus communibus usibus post triumphum Christi profanatum; hinc moralis ejus excellentia, quam ex Christi contactu acceperat, & poterat esse ratio respectivæ adorationis, illis usibus communibus fuit penitus abolita. Ad alias allatas instantias de Cathedris, mensis, lectulis &c. eodem modo respondendum est. Ad ultimum de labiis Judæ, manibus Malchi, & Judæorum, respondeo, ea fuisse quidem instrumenta Dominicæ Passionis, sed ani-

animata, & quaſi voluntate impii informata, active concurrentia, & ita moraliter nocua; hinc adoratione indigna; aliud eſt de funibus, clavis, ſpinis, quæ ſe mere paſſive habebant; adeoque üt Innocua. *Actio in Paſſione* Chriſti fuit ſcelerata, uti & inſtrumenta immediata *Actionis*, veluti labia Judæ, manus percutientium &c. Econtra *Paſſio* fuit ſancta, & inſtrumenta immediata *Paſſionis*, uti Crux, ſpinæ, clavi &c. quæ quidem etiam erant inſtrumenta actionis, ſed tantum mediata, & remota.

ARTICULUS IV.

Eodem latriæ cultu quælibet alia crux picta, fuſa, vel ſculpta, vel ex quacunque materia fabricata ad veræ illius Crucis exemplum, quatenus imaginem Chriſti in Cruce extenſi repræſentat, adoranda eſt.

I. ECcleſia in Canticis ait: *O Crux adoranda.* Et alibi: *Tuam Crucem adoramus.* II. Celebris eſt Lactantii (qui floruit tertio labente ſæculo) Verſiculus: *Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.* III. Notat Thomaſſinus de Dier. Feſtor. celebratione lib. 2. c. 14. num. 20. Cœremoniam in Paraſceve de adoranda Cruce a Veteribus appellari *ADORATUM.* Obſervat etiam, eos Epiſcopos, qui in Pariſienſi Synodo ſacrarum Imaginum cultum rejiciebant, adorationem tamen Crucis Feria ſexta Majoris Hebdoma-

dæ approbasse: „ Et ideo sancta Mater „ Ecclesia (*sunt verba Synodi*) toto orbe „ terrarum inter cætera innumera Cru- „ cis Sacramenta decrevit, licitum esse „ universis Catholicis ob amorem Passio- „ nis Christi, ubicumque eam viderint, „ inclinando, si voluerint, venerari: & „ insuper die sancto, quo Passio Domi- „ ni in universo mundo specialiter ce- „ lebratur cum omni devotione Uni- „ versum Ordinem Sacerdotalem, seu „ cunctum populum adorare. „ IV. Septima Synodus Oecumenica Act. 7. definit, *honorem, & adorationem deferendam esse typo venerandæ, & vivificantis Crucis Christi.* V. Ecclesia Recentior quamvis Schismatica in Synodo Jerosolymitana A. C. 1671. contra Calvinistas coacta c. 18. q. 4. suam fidem circa hoc ita exprimit: *Insuper venerandæ, vitalisque Crucis lignum, in quo pro salute mundi Salvator Noster passus est, quin & ejusdem Crucis signum veneramur, & adoramus.* VI. Idem est motus in imaginem, & Prototypon; cum ergo Christum Crucifixum adoremus, Crucem relative ad Ipsum adorare debemus: adoratio enim ejusmodi Crucis ad Jesum Christum refertur.



AR-

ARTICULUS. V.

Solvitur Objectio.

INquiunt. Si omnes cruces eſſent adorandæ; quia Chriſtus in Cruce pependit, adoranda etiam eſſent omnia ſepulchra; quia in ſepulchro Dominus quievit: & omnia præſepia; quia Chriſtus in præſepio fuit reclinatus: omnes columnæ, ſpongiæ, lanceæ, flagella. Repono hanc inſtantiam eſſe ineptiſſimam; non enim ad hoc, ut aliquid ſit imago alterius requiritur, ut ſit expreſſum ad ſimilitudinem illius; quare Frater licet ſit ſimilis Fratri, non dicitur imago Fratris; quia unus non eſt ab alio in naturæ ſimilitudinem. Filius autem, quia non ſolum eſt ſimilis Patri, ſed etiam in ſimilitudinem naturæ ab eo procedit, vere dicitur, & eſt imago Patris. Jam ergo omnes cruces fiunt ad exprimendam illam primam, cui Redemptor affixus eſt, & ad hujus repræſentationem eriguntur, & ita imagines ejus ſunt. At vero Sepulchra, Præſepia, Lanceæ, & ſimilia non fiunt ad exprimenda ea, quæ Paſſionis Chriſti inſtrumenta fuere, ſed ad alios uſus, & ideo nec imagines eorum ſunt. Si tamen erigantur, ut ſimilitudines clavorum, lanceæ, ſpongiæ &c. quibus Chriſtus fuit confixus, vel columnæ, cui fuit alligatus, quæ ſimul cum Cruce pinguntur, ſimul cum ea adorantur quia tunc Chriſtum Crucifixum repræſentant.

Petes. Unde sciatur, quod Crux non habeat alium usum, quam repræsentandi Christum Crucifixum, cum tamen columnam solitarie erectam intuendo sciri non possit, an significet columnam Christi, Trajani, Adriani, vel alterius?

Respondetur. Id nobis notum esse ex Edicto Constantini, qui voluit in sanctæ Crucis honorem, ne quis deinceps publico supplicio plectendus patibulo crucis necaretur, ut testantur Sozomenus Hist. lib. 1. c. 8. & Nicephorus lib. 7. c. 46. Cum autem contumacissimi Judæi quamdam celebrare cœpissent solemnitatem, qua hominem cruci affixum cremabant, dictitarentque id se facere in Amani eorum hostis odium, ne Christiani in odium, & contumeliam Christi Domini factum suspicarentur; Theodosius junior Imperator hanc legem tulit, quæ est in Codice Justinianeo tit. de Judæis; sumpta ex Cod. Theodos. lib. 16. tit. 8. leg. 18.
„ Judæos quadam festivitatis suæ die
„ solemni Aman ad pœnæ quondam re-
„ cordationem incendere, & sanctæ Cru-
„ cis assimilatam speciem in contem-
„ ptum Christianæ fidei sacrilega men-
„ te exurere, Provinciarum Rectores
„ prohibeant, ne jocis suis fidei nostræ
„ signum immisceant: sed ritus suos in-
„ fra contemptum Christianæ religionis
„ retineant, amissuri sine dubio permis-

„ sa

„ sa hactenus, nisi ab illicitis tempe-
„ raverint. „

QUAESTIO III.

Quot clavis Christus fuerit Cruci affixus?

RESpondetur. Tribus solummodo clavis fuisse Christum crucifixum, jam invaluit opinio, quod Pictores tribus clavis tantummodo Christum Cruci affixum hoc tempore pingant. Ast cum ex sacra Scriptura tum Prophetica, tum Evangelica habeatur expresse, nullum ex Christi corpore os fractum fuisse, aut comminutum, nec facile percipi possit, quod non fuisset aliquod os fractum, si tribus solum clavis fuisset Christus crucifixus, utrumque pedem alterum alteri impositum uno solo clavo longiori, & crassiori trajiciendo, probabilius videtur dicendum, quod quatuor, & non tribus solum clavis fuerit Christus Cruci affixus. Sic tenent Gregorius Turonensis de gloria Martyr. lib. 1. c. 6. dicens, quod clavi Dominici quatuor fuerint, scilicet: *Duo sunt affixi in plantis, & duo in palmis.* Summus Pontifex Innocentius III. serm. de uno Martyre: *Fuerunt clavi quatuor, quibus manus crucifixae sunt, & pedes affixi.* Ajala in Opere *Pictor Christianus.* lib. 3. c. 17. n. 9. & seq. ubi cum pluribus aliis id asserit. Bellarminus *De septem Christi verbis* in procemio. Rocca de Partic. Crucis tom. 1. pag. 262. Vete-

res omnes refert imagines Christi quatuor clavis crucifixi. Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus Differt. de corona ferrea expresse dicit, quod opinio de quatuor clavis sit vetustior, & propterea digna, ut eam omnes sequantur. Hanc defacto sequuntur Card. Gottus, Serry, Sandinus, Gretserus, Card. Lambertinus.

Petes. I. An etiam clavi Dominici a S. Helena fuerint reperti?

Respondetur. Ex Divo Ambrosio in oratione de obitu Theodosii Magni scripta A. C. 395. §. 47. tom. 2. Oper. pag. 1211. ubi hæc habet de clavis a S. Helena Jerosolymis inventis: „ Quæsivit clavos, quibus crucifixus est „ Dominus, & invenit. De uno clavo „ frenos fieri præcepit; de altero Diadema intexuit. Unum ad decorem, „ alterum ad devotionem vertit. *Et Paulo post*: Misit itaque filio suo Constantino Diadema gemmis insignitum, quas „ pretiosior ferro innexas Crucis redemptionis Divinæ gemma connecteret. „ Misit & frenum. Utroque usus est „ Constantinus. *Et mox* §. *48*. Recte in „ capite clavus, ut ubi sensus est, ibi „ sit præsidium, in vertice corona, in „ manibus habena: corona de Cruce, ut

„ si-

„ fides luceat: habena quoque de Cru-
„ ce, ut poteftas regat. „

Nota etiam quod Antonius Sandinus cuftos Bibliothecæ Seminarii Patavini A. C. 1734. hiftoriam ediderit *Familiæ Sacræ.* ubi pag. 227. ex juramento emiffo a Summo Pontifice Vigilio infert, claves fuiffe Conftantinopoli affervatos usque ad A. C. 550. tum poft annum hunc a Græcis ad Latinos fuiffe translatos, fortaffe per Gregorium Magnum, quem Conftantinopoli Apocrifiarii munere functum apud Conftantinum Tiberium Auguftum, magnis donatum muneribus, nempe Sacrofanctis Reliquiis Romam veniffe docet Card. Baronius ad A. C. 586.

Petes II. Quomodo id contingat, quod Dominici clavi a Fidelibus variis in locis colantur, fi Salvator quatuor dumtaxat clavis Cruci eft affixus?

Refpondetur. Cum Jufto Fontanino in Differt. *De Corona ferrea* c. 13. ubi notat, licet quatuor tantum clavi Chrifti membra transfoderint, tot tamen clavos venerationem habere in Ecclefia Catholica, aut quia clavus aliquis, quo Martyr quispiam confixus eft, exiftimatus fuit unus ex ipfis Chrifti clavis, cum Martyres fint myftica membra Chrifti, ut etiam fcripfit Cardinalis Baronius in Annal. ad A. C. 326. §. 54. *Nifi forte alicubi accidit, ut clavus aliquis inter facras Reliquias affervatus, quo myftica membra Chri-*

P 5 *fti,*

sti, nempe Martyr quispiam crucifixus est, idem unus ex ipsis Christi clavis fuerit existimatus. Aut quia particulam aliquam verorum clavorum, licet minimam, ad veteres Christianos delatam, ferro compactam, & in novos, & integros clavos cudendam statuerunt, pro certo habentes, virtutem, & efficaciam particulæ veri clavi alii ferro admixtæ in novos clavos migrare. Aut quia novos clavos omnino persimiles veris archetypis sibi fabricandos curarunt, ut ex eorum aspectu spirituale solamen caperent. Aut denique; quia ex tot clavis nonnulli fortasse Crucem ipsam, aut Titulum, nonnulli suppedaneum compegerunt, prout etiam animadvertit Lucas Tudensis, qui claruit A. C. 1236. lib. 2. adversus Albigenses c. 11. tom. 25. pag. 225. Biblioth. Patrum: „ Omnibus „ pie deferimus, licet tantum quatuor „ clavi fixi fuerint in Corpore Redem„ ptoris. Potuerunt enim per partes „ dividi; vel Crucis compages in trans„ verso ligno, & Titulo fuerunt clavis „ ferreis colligatæ, qui omnes consecra„ ti sunt, ipso Dei filio in Cruce pen„ dente, & merito a Fidelibus cunctis „ devotissime adorantur. „

Petes III. Utrum Maria Virgo, Christo inter probra Crucis extremum ducente spiritum, animi, viriumque passa fuerit deliquium?

Re-

Reſpondetur. Cum Graveſono de Myſter. & annis Chr. pag. 90. Beatam Virginem, patiente dilectiſſimo Filio ſuo, acerbiſſimo quidem dolore tactam fuiſſe, vereque transfixam doloris gladio, ſicuti prænunciaverat Simeon ille juſtus in Templo, dum dixit: *Et tuam ipſius animam pertransibit gladius*; eam tamen nihil per mæſtitiam rectæ rationi non conſentaneum, nihil non undecunque decorum admiſiſſe, hinc pulchre Evangeliſta Joannes c. 19. ait: Mariam Matrem Jeſu juxta Crucem ſtetiſſe; quia non ſolum corpore, ſed etiam fidei firmitate, & animi fortitudine impavida juxta Crucem ſtetit erecta, ita, ut virtute conſtantiſſimi pectoris, magnaque in Divinas promiſſiones fiducia, æquam mentem ſervaverit, viresque ſuſtinuerit, quæ alioquin ad tam horrendum ſpectaculum facile defeciſſet: *Stabat ante Crucem Mater, & fugientibus viris, ſtabat intrepida*, inquit S. Ambroſius lib. de inſtitut. Virginis c. 7. Et in oratione de obitu Valentiniani ait idem S. Pater: *Durum quidem funus videtis; ſed ſtabat & ſancta Maria juxta Crucem filii: & ſpectabat Virgo ſui Unigeniti Paſſionem: ſtantem illam lego, flentem non lego.* Ludunt ergo nos Pictores, quorum alii pro innata fingendi libidine, depingunt Beatam Virginem juxta Crucem præ doloris vehementia hærentem attonitam, quaſi in ſaxeam duritiem obriguiſſet. Alii non minus ludrice eam exhibent inter brachia Magdalenæ exanimem collapſam, operaque adjutam piarum mulierum. In-

ſan-

saniunt vero nonnulli Auctores, quos non pudet asserere B. Virginem moriente Filio unguibus sibi lacerasse genas, pugnis contudisse pectus, dissipasse comam, omnia inconditis vociferationibus complesse, Judæis, Judæ, & Militibus fuisse imprecatam, per vicos, & plateas, insanarum mulierum more oberrasse intemperiis obnoxiam, & tantum non in furias actam. Quæ omnia, cum ludicra sint, & indecora, penitus ablegari debent a B. Virgine, quæ, dum vixit, nihil antiquius habuit, quam ut se totam Divino permitteret arbitrio, & in rebus arduis, non secus ac in secundis semper sibi constanti vitæ ratione Divinæ voluntati obsequeretur.

Adjungo pulchra verba Episcopi Castoriensis in tractatu de cultu Sanctorum præsertim B. Virginis „ Et quo magis suspicias sublimem „ Mariæ animam in tantis doloribus, nul„ la in illa imbecillitas, nulli corporis „ motus indecori, nulla ejulantium la„ menta. Tristem videbas, dejectam non „ videbas. Dolebant materni affectus, „ sed decora gravitate. Lugebant ma„ terna viscera, sed integra mentis se„ renitate. Feriebantur Virginei sen„ sus vulneribus Filii, sed imperturba„ to spiritu, quo amabat, & adorabat „ Divinam justitiam simul, & miseri-

„ cor-

„ cordiam, quæ altiſſimo conſilio deſti-
„ naverant Chriſti dolores ad hominum
„ redemptionem.

QUAESTIO IV.

De aliis quibusdam inſignioribus Reliquiis ad Dominicam Paſſionem ſpectantibus.

ARTICULUS I.

Titulus Sanctæ Crucis.

TEſtimonio S. Ambroſii de obitu Theodoſii, & Rufini Hiſt. Eccles. c. 7. a Beata Helena repertus eſt alio, quam Crux fuerat inventa, loco. Poſtea Romam a S. fœmina aſportatus, collocatusque fuit in Baſilica S. Crucis in Jeruſalem, eodem & ſæculo quarto a Conſtantino ædificata. Eam ſæpius antea reſtitutam, ſub Innocentio VIII. A. C. 1492. cum reficeret Petrus Gundiſalvus Cardinalis de Mendoza, memoratum titulum invenit intra parietem; quo ante mille annos Placidius Valentinianus Imperator conjecerat. Huc ſe contulit idem Innocentius una cum ſacro Cardinalium Collegio ad gratias Deo agendas pro celebri victoria, quam eodem fere, quo Titulus repertus eſt, die, Ferdinandus Catholicus Rex Hiſpaniarum adverſus Mauros, civitate Granaten-

ſi

si expugnata, reportavit. Videatur Alexandri VI. qui Innocentio successit, Bulla edita A. C. 1496. in qua narrat anno paulo ante memorato postrema Januarii Dominica, per eam, cujus jam memini, occasionem, Titulum Crucis esse repertum.

Petes. Unde sciri possit verum illum esse Titulum Crucis?

Respondetur. I. Ex inscriptionibus, quæ, ne illius rei memoria interiret, in Basilica positæ sunt. II. Ex consensu gravissimorum de septem Ecclesiis Romæ Scriptorum. III. Ex historia Lælii Petronii, qui ea vixit ætate, apud Bosium de Cruce lib. 1. c. 2. narrat nempe Petronius, cum sacra Basilica S. Crucis in Jerusalem Romæ reficeretur, supra plumbeam capsam laminam marmoream esse repertam, in qua incisa erant hæc verba: HIC EST TITULUS VERÆ CRUCIS; in eam vero capsam, cujus duorum palmorum erat longitudo, asserculus sesquipalmum longus conjectus erat, in quo incisa, & cruore tincta erant hæc verba: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM: cui tamen postremæ voci JUDÆORUM deerant aliquot litteræ: *sed illud* JUDÆORUM *non erat perfectum: quia illud* RUM *non nisi usque ad* R *inclusive remanserat, & illud* UM *ceciderat, quia erat tabula ab ea parte corrosa, & vetustate deficit.* Infessura in Manuscriptis Diariis Petronii historiam confirmat, & cæterii Authores

Syn-

Synchroni omnes conſentiunt, ut videre licet apud Raynaldum ad A. C. 1492. n. 14. Spondanum ad eumdem annum &c.

Pro ampliore eruditione ſubjungo conſuetudinem viguiſſe apud Romanos, ut vel reorum collo titulum indicem ſupplicii appenderent, prout legitur apud Suetonium in Cajo c. 32. vel præferri juberent, uti legitur apud Euſebium Hiſt. Eccles. lib. 5. c. 1. qui Attalum Martyrem narrat circumductum in Amphitheatro, *præcedente ipſum tabella, in qua latino ſermone inſcriptum erat: Hic eſt Attalus Chriſtianus.* Vel denique id fiebat præeunte ſatellite, & clamante, ut eſt apud Ambroſium ſerm. 90. qui narrat juſſu Judicis nudatam eſſe ſanctam Agnetem, nudamque in lupanar abductam, præeunte ſatellite, qui magno clamore dicebat: *Agnetem ſacrilegam Virginem, Diis blaſphemiam inferentem, ſcortum lupanaribus datam.* Ex quo veroſimile eſt eamdem ſervatam fuiſſe conſuetudinem, cum Chriſtus ad crucifigendum ad Calvarium educeretur. Quomodocunque autem hoc evenerit, certum eſt apud Evangeliſtas Luc. c. 23. ℣. 38. Joan. c. 19. ℣. 19. tribus linguis Titulum Crucis fuiſſe ſcriptum, *Latina* propter majeſtatem Imperii, *Hebraica* ratione loci, *Græca* propter Helleniſtarum multitudinem, qui, teſte Lamy Harm. Evangel. lib. 5. c. 34. n. 20. ad Paſcha celebrandum Jeroſolymam convenerant.

AR-

ARTICULUS II.

Ferrum Sacræ Lanceæ, quæ Christi Latus aperuit

ASservatur Romæ in Basilica Vaticana, quamvis nonnulli illud apud Gallos, vel apud Germanos esse contendant. Porro ostendunt Bollandistæ ad diem 15. Martii §. 21. pag. 379. hanc Lanceam a S. Helena Jerosolymis inventam fuisse; inde sub finem sæculi sexti teste Auctore contemporaneo *in Chronico Alexandrino* pag. 882. Constantinopolim translata, & in Templo S. Sophiæ collocata fuit: postea ad aliam Ecclesiam ejusdem Civitatis, hoc est, ad Ecclesiam S. Joannis de Petra deducta est, cujus tamen pars cum spongiæ, & arundinis Passionis Dominicæ parte in Palatio Imperiali asservabatur, ut probat Du-Cange.

Labente sæculo decimo tertio ærarium Imperatorum Gallorum, qui tunc Constantinopoli dominabantur, adeo fuerat exhaustum, ut Balduinus II. Gallus Constantinopoli imperans sacras Reliquias, coronam spineam, arundinem, spongiam, lanceam Venetis recepta pecunia oppignorare fuerit coactus, quas eodem Balduino in sacra illa pignora jus cedente S. Ludovicus Francorum Rex soluto pretio redemptas in Gallias transtulit, & in Sacello sui Palatii Parisiensi collocavit. Audiamus de hoc Jacobum Philippum Bergomensem in Supplemento Chronici lib. 13. ad A. C. 1246. ubi ait: „ Balduinus, cum ægre se ab „ ho-

„ hoſtibus tueretur, ærarii inopiâ com-
„ pulſus, Venetis proprium filium ob
„ æs mutuo acceptum pignori dedit,
„ partemque Lanceæ, ſpongiamque Chri-
„ ſti eadem ſub conditione tradidit. Quas
„ poſtea Ludovicus Francorum Rex,
„ cum ipſe Balduinus redimere non poſ-
„ ſet, ab ipſis Venetis, Balduino per-
„ mittente, redemit, & in Franciam per-
„ duxit. „

Subacta a Mahomete Conſtantinopoli, Bajazettes ejus filius reliquam lanceæ partem, quæ Conſtantinopoli remanſerat, Innocentio VIII. dono dedit, cum qua poſtea collata figura cuſpidis, quæ in Sacello Regio Pariſienſi colitur, inventa eſt omnino conveniens.

Cæterum coronam ſpineam D. N. J. Chriſti Pariſiis aſſervari, patet; quia magnificum Sacellum, mirabile, & vere Regium opus a S. Ludovico Rege ædificatum, & eidem ſacræ Coronæ dicatum ab Odone Sedis Apoſtolicæ Legato, tradunt Du Brevill in theatro Antiquitat. Pariſiens. lib. 1. pag. 104. & 105. Ferrandus diſquit. Reliq. lib. 1. c. 1. n. 43. Verſic. *In ejusdem.* & Guyet de Feſt. Prop. Sanctor. lib. 1. c. 6. quæſt. 12. Verſic. *Quod ſpectat.*

Quoad materiam ſpineæ Coronæ lis nec per ocularem inſpectionem terminari potuit, eam enim

Q ſe

se se vidisse attestantur Durandus Rational. Div. Off. lib. 6. c. 77. §. 17. & Martinus del Rio. Lect. 9. de Passion. in Parisiensi Regio Sacello. Primus ait e junco marino esse intextam; secundus affirmat, nil eam cum juncis marinis communem habere; ideoque dicendum cum Bineo, & aliis nihil certi in hoc haberi, nisi, quod coronam de spinis, cum plexuissent milites imposuerint capiti Jesu. De forma vero illius amplius dubitari non potest, cum nonnulli oculati testes affirment instar esse pilei, quo cranium, & superior pars capitis tegitur: non autem ad modum fasciæ, quæ tempora, & frontem cingat.

ARTICULUS III.

Sudarium, quod faciei Domini Nostri Jesu Christi sanguine, & sudore aspersæ admotum, ejusdem vultus Dominici Effigiem in se retinuit, & adhuc retinet,

IN eadem Basilica Vaticana in magna habetur veneratione, ut pluribus probant Honoratus a S. Maria Carmelita Discalceatus in Animadvers. ad regul. & usum Criticæ tom. 2. lib. 4. differt. 8. Sandinus in hist. Familiæ sacræ pag. 279. & seqq. Fertur Veronicam, piam, & religiosam fœminam, quæ Sanctitatis titulo a plerisque decoratur, pium illud opus erga Redemptorem præstitisse; eamque Jerosolymis Romam a Tiberio Imperato-

re

re graviſſimo morbo laborante accerſitam, ſudarium Chriſti ſecum detuliſſe, ad cujus contactum mirabiliter Imperator convaluit. Hiſtoria hæc pluribus argumentis, & monumentis comprobatur a Bollandiſtis ad diem 4. Februarii.

Nonnulli tamen de hoc facto hiſtorico dubitant, non quidem, quod attinet ad Sudarium, ſed quod ſpectat ad piam illam fœminam Veronicam, cum tota Antiquitas Veronicæ nomen ignoraverit, & primi, qui hiſtoriam vulgarunt ſæculo duodecimo piam ipſam mulierem non Veronicam, ſed Venicem, vel Veronicem, aut Berenicem appellant, neque in Martyrologio Romano correcto, & ampliato per Cardinalem Baronium reperiatur, etſi in Martyrologio Galeſinii inveniatur.

Cum vero Nicolaus IV. in ſuis Litteris Apoſtolicis datis idibus Aprilis A. C. 1290. hoc Sudarium Veronicam appellaverit: *In ea namque Baſilica ſui pretioſiſſimi vultus Imaginem, quam Veronicam Fidelium vox communis appellat, in ſingularis amoris inſigne tribuit venerari.* Idemque egerint complures alii Scriptores, & Romani Pontifices Clemens videlicet VI. VII. & VIII. Gregorius XIII. apud Bzovium in Annal. ad A. C. 1216. n. 16. Idcirco Tillemont. *in not. ad vitam Jeſu Chriſti* not. 33. cum aliis veroſimile eſſe putat, ut Vera Icon, Litteris pauliſper tranſpoſitis, dicta ſit Veronica.

Utcumque hæc sint, certum est, Sudarium ipsum insignissimam esse Reliquiam, & multis abhinc sæculis in Basilica Vaticana, ut jam memini, coli consuevisse. Refert Gretserus Imaginem hanc etiam Giennæ in Hispaniis asservari, & religiose coli, quod, ut tueatur, Sudarium fuisse triplicatum existimat, & unicuique parti Imaginem vultus Christi impressam, earumque unam Romæ, alteram in Hispania, & tertiam Jerosolymæ conservari; sed Benedictus XIV. verius putat dicendum, Exemplaria ab Autographo Romano fuisse desumpta, & posterioribus temporibus pro ipso prototypo haberi cœpta esse.

ARTICULUS. IV.

Sacra Sindon, qua Sanctissimum Christi Corpus post mortem Judaico more fuit involutum

CONservatur in Civitate Taurinensi, & eam ipsam esse, qua Christus Dominus involutus fuit, testati sunt Summi Pontifices Paulus II. Sixtus IV. Julius II. & Clemens VII. Et quidem Sixtus IV. A. C. 1480. decrevit Sacelli honore decorandam; & in quodam tractatu, quem composuit de *Sanguine Christi* affirmat, in ea ipsius Christi Verum Sanguinem, & Imaginem conspici. Julius II. apud Raynaldum ad A. C. 1506. n. 44. confirmans sui Decessoris sententiam, *Sixtus* (inquit)

quit) *Papa IV. Prædeceſſor noſter voluit Capellam ſanctam appellari . . . . maxime ob præclariſſimam Sindonem, in qua ipſe Dominus Noſter Jeſus Chriſtus in monumento poſitus involutus fuit &c. Quod ſi ſanctam Crucem, in qua ipſe Dominus Noſter Jeſus Chriſtus pependit . . . . adoramus, & veneramur; dignum profecto videtur, & debitum ipſam Sindonem, in qua Reliquiæ Humanitatis Chriſti, quam Divinitas ſibi copulaverat, videlicet ipſius veri Sanguinis, ut præfertur, manifeſte conſpiciuntur, venerari, & adorari debere* Et Clemens VII. apud eumdem Raynaldum ad A. C. 1533. n. 62. mandat Ludovico S. Cæſarii Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato de Latere, ut diligenter curet, ſacram Sindonem ab incendio ſervatam *loco congruenti, & honeſto recondi, & cum debita veneratione teneri, & cuſtodiri.*

Hiſtoriam ejusdem translationis e Civitate Jeroſolymitana ad Civitatem Taurinenſem fuſe enarrant Philibertus Pingonius in libro *de Sindone Evangelica.* Et Franciſcus Victon in hiſtoria particulari ſuper hoc argumento typis impreſſa poſt ejus tractatum *de Canonizatione.*

ARTICULUS V.

Inconſutilis Chriſti Tunica

A Beata Virgine (ut pie creditur) texta, & Infanti Jeſu data etiamnum aſſervari dicitur

Augustæ Trevirorum, eamque ab Helena Constantini Matre dono datam ferunt Agricio Episcopo, qui illam in sua condidit Cathedrali. Salmeron autem tom. 10. Commentariorum in Nov. Testament. tract. 38. custodiri eam refert Argentolii, Oppido non multum a Lutetia Parisiorum dissito. Ita Benedictus XIV. de Feria sexta in Parasceve num. 91.

ARTICULUS VI.

Columna Marmorea, cui Christus alligatus flagellis cæsus fuerat

SExto adhuc sæculo summa Christianis veneratione Jerosolymis colebatur, quam ipsi ligulis etiam textilibus cingebant, easque pellendis morbis quibusdam adhibebant Gregorio Turonensi teste lib. 1. de gloria Martyrum c. 7. *Ad hanc vero columnam multi fide pleni accedentes corrigias textiles faciunt, eamque circumdant : quas rursum pro benedictione recipiunt diversis infirmitatibus profuturas.* De ea loquitur S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ : *Ostendebatur illi Columna Ecclesiæ porticum sustinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Consonat Beda in c. 23. Luc. *Ille* (inquit) *qui solvere compeditos solet plena Deo membra verberibus subdidit. Quæ videlicet columna in Ecclesia Montis Sion posita, Dominici cruoris usque hodie cernentibus vestigia certa demonstrat.* Hæc vero Columna A. C. 1213. Romam translata est

eſt ſedente Honorio III. a Joanne Cardinali Columna Apoſtolico ad Orientales Legato, & poſita in Eccleſia S. Praxedis ad Exquilias, ubi etiamnum Fidelium proſtat venerationi, id quod abunde oſtendit P. Honoratus a S. Maria in ſuis Obſervationibus ad Criticæ regulas lib. 5. Diſſert. 5. a. 3.

Obſerva Reos olim fuiſſe flagellatos vel in Prætorio, antequam ad ſupplicium deducerentur, vel per viam, dum ad patibulum rapiebantur. Cum vero reus in Prætorio cædebatur, alligabatur ad columnam, ut videre eſt apud J. Lipſium de cruce lib. 2. c. 4. Unde cum Redemptor Noſter in Prætorio fuerit cæſus, vetuſtiſſima eſt traditio ad Columnam fuiſſe alligatum. Quare Prudentius in Diptycho 41. tom. 5. Biblioth. Patrum. pag. 1057. ita ſcripſit:

Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atque Columnæ
Adnexus tergum dedit, ut ſervile, flagellis.

QUAESTIO V.

QUID DE SCALIS S. MEMORANDUM?

Scalæ ſanctæ, quas Salvator Noſter, dum morti appropinguaret, veſtigiis pretioſo ejus Sanguine reſperſis calcavit.

A S. Helena juxta antiquam traditionem, quidquid nonnulli blaterent, Jeroſolymis Romam translatæ ſunt, teſte Megiſto Abbate, qui A. C. 844.

844. vivebat, cujus narratio in Bibliotheca Vaticana asservatur.

Sunt autem gradus scalarum viginti octo, qui teste citato Megisto ab Imperatore Constantino collocati fuere in porticu Palatii juxta scalam, quæ ducebat ad Patriarchium; cumque temporum injuria non essent amplius in scalarum formam dispositi Sergius Papa II. A. C. 844. ædificio constructo eos ante Basilicam Constantinianam magnifice reponi curavit. Id quod certum, & indubitatum redditur ex Bulla a Paschali Papa II. edita A. C. 1099. & in authentica forma in Archivio Lateranensi asservata, ubi clare, & dilucide dixit: Sergium Papam II. suum Antecessorem constituisse sacra limina, seu venerabiles gradus sanctarum Scalarum ante Ecclesiam Lateranensem: „ Cum itaque sacra limina, seu venera„ biles gradus, quos Jerosolymis Jesus „ Christus Dominus Noster, suis gres„ sibus, & sanguine consecravit, dudum „ Laterani latentes in sui Pontificatus „ primordiis ante fores Ecclesiæ Latera„ nensis Sponsæ nostræ in scalam vulgo „ Pilati dictam adaptaverit, arcusque „ ibidem ab eodem erectos devotis pi„ cturis exornaverit &c.

Dein sub Pontificatu Cœlestini III. mutatus est situs Scalarum sanctarum, eæque ante sacrum Pa-

Patriarchium juxta Porticum Lateranenſem collocatæ; idque ideo, ut Feriis ſextis, & Hebdomada Majori Fideles commodiorem ingreſſum ad Baſilicam Conſtantinianam haberent, quam dictis diebus ob multitudinem hominum ad Scalas ſanctas accedentium, quæ, uti memoratum eſt, ante Baſilicam poſitæ erant, ingredi non poterant. Hoc narrat Nicolaus Proceſſi Eccleſiæ Lateranenſis Beneficiarius circa A. C. 1362. in additione ad relationem Abbatis Megiſti : „ Tantam legimus fuiſſe copiam virorum, & mulierum ad iſtos gradus ſcalæ Pilati venerationem genulantium Fidelium, ut ingreſſus ad Baſilicam Lateranenſem adeo difficilis eſſet, maxime Feriis ſextis, & Hebdomada Majori, ut Cœleſtinus III. filius Petri Bubonis de Domo Urſina ante ſacrum Patriarchium Lateranenſe ipſam ſcalam Pilati transferret, ibidem fuſis etiam valvis æneis.

Inter Cœleſtinum III. & Sixtum V. Summos Pontifices urbis excidia, direptiones, & aliæ acciderunt calamitates; & ita quidem, ut Scalarum Sanctarum ſtatus provida translatione, & nova magnifica collocatione indigeret. Quapropter Sixtus V. nobile illud, quod hodiedum extat conſtruxit ædificium, & ſanctarum Scalarum gradus di-

disposuit ante Capellam toto orbe celeberrimam, quæ dicitur *Sancta Sanctorum*, uti legitur in Bulla 105. ejusdem Sixti in Bullario Romano. Scalis sanctis in loco, ubi nunc sunt per Sixtum constitutis, laudatus Pontifex construxit alias quatuor, binas ad dexteram, & alias binas ad sinistram, tum ne quis per easdem Scalas sanctas, nisi orandi tantum causa, & genibus flexis transiret, tum ne Christifideles ex omnibus mundi partibus concurrentes in ascensu, & descensu se se invicem impedirent. Cæterum longævi temporis cursus, & frequentissimi per Scalas sanctas ascensus nedum effecerunt, ut Sanctissimi Dominici cruoris vestigia, quæ tempore Sixti extabant, ut ex ejus Bulla desumitur: „ Non modo nudis sacrorum „ pedum plantis, sed eo ipso, quem pro „ nobis effundebat, inæstimabili sangui- „ ne aspersit, simulque gloriosis Beato- „ rum pedum, & cruoris ex sanctis vul- „ neribus copiose manantis vestigiis, „ quæ adhuc extant, impressas, ac nota- „ tas reliquit, „ amplius non extent, sed etiam, ut octavus, nonus, & decimus ex Scalarum gradibus sit omnino detritus, & fere consumptus: in aliis autem ex impressione genuum, & calceamentorum contactu tales foveæ apertæ sint, ut admodum difficile sit, illis genua imponere.

Cum

Cum vero poſtea Scalarum ſanctarum Præpoſitura Marco de Geliis commiſſa fuiſſet, isque Clementi XI. ſupplex fuiſſet, ut imminentem graduum ruinam averteret; Clemens Eminentiſſimo Cardinali Proſpero Lambertino fidei Promotoris munere fungenti mandavit, ut rem mature perpenderet, & animi ſui ſenſum ſcripto aperiret, paruit Papæ mandato Lambertinus, cumque negotio necdum diſcuſſo Clemens ex hac vita deceſſiſſet, tempore ejus Succeſſoris Innocentii XIII. abſolutum eſt in ſacra Congregatione Apoſtolicæ Viſitationis A. C. 1723. ubi ſtatutum eſt, ut remanentibus ſicuti erant, gradibus, ſinguli eorum ligneo clauderentur operculo rimulis quibusdam perforato, ut aſcendentes & videre, & oſculari ſacra limina poſſent; attamen ita compoſito, & aptato, ut ſtatis diebus, & ad libitum Summi Pontificis auferri poſſet. Reque hoc modo confecta, ſervata eſt ab interitu Scala ſancta, quam Antiquiores Pontifices tanta veneratione coluerunt Sergius videlicet I. Stephanus III. Hadrianus I. Leo III. Sergius II. Leo IV. Cœleſtinus III. Gregorius IX. Honorius III. ut nudis pedibus, & lacrymabundi eam aſcenderint, veluti habetur in citatis operibus Megiſti Abbatis, & Nicolai Proceſſi.

DIS-



DISSERTATIO V.

De Mediatione Chrifti, & Invocatione Sanctorum.



Nihil eft, quod intentatum reliquerit Adverfarius nofter diabolus, ut nos a confecutione vitæ æternæ præpediret; nam quidquid nos ad illam beatam vitam capeffendam juvare poteft, a nobis auferre conatur; hinc, quia novit fagax inimicus nos ut plurimum Sanctorum precibus adjuvari, ideo quosdam mifit, qui in fpiritu erroris loquentes mendacium dicerent, Sanctos non effe ab hominibus invocandos, fed eorum invocationem Chrifti mediadia-

diationi esse injuriosam, & patrocinium supervacaneum, ut vel sic Mortales hic viventes, Sanctorum, qui in cœlis cum Christo regnant, defraudarent auxiliis.

QUAESTIO I.

Utrum Christus Mediator sit Deum inter, & Homines? Et secundum quam naturam Divinam, vel Humanam?

PRAENOTIO.

ILle mediator esse dicitur; qui medius est inter partes dissidentes, ut eas componat. Potest autem pluribus modis mediatoris officium explere. *1mo.* ut Internuncius, ac Interpres utriusque partis. *2do.* ut arbiter ad componendam litem electus. *3tio.* ut intercessor, & advocatus. *4to.* ut sponsor, qui parti læsæ, quæ offendit, plene solvat, ac satisfaciat. Nunc ponitur

ARTICULUS I.

Christus est verus Mediator inter Deum, & hominem.

I. QUia venit, ut Internuncius sancitas a Deo leges hominibus annuncians; unde Joan. c. 1. ℣. 18. dicitur: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hoc sensu vocatur etiam Malach. c. 3. ℣. 1. *Angelus Testamenti.* Isaj.

c. 9.

c. 9. ℣. 5. *Consiliarius.* Et ad Hebr. c. 8. ℣. 6. *Melioris Testamenti Mediator;* ad differentiam Moysis; qui Veteris Testamenti fuerat Mediator secundum illud ad Galat. c. 3. ℣. 19. *Cui data est lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris.*

II. Quia in procuranda nostra cum Deo reconciliatione justitiam gratia, & misericordia mire temperavit, pœnas nobis debitas in se transferendo, justitiæ Divinæ condigne satisfecit, ita, ut Deus ex misericordia, debitum, quod contraximus, nobis relaxaverit, quod est Arbitri munus.

III. Quia nobis per suam orationem profuit, & etiamnum prodest apud Patrem; unde in Evangeliis sæpe legitur pro nobis Patrem orasse. Et habetur ad Rom. c. 8. ℣. 34. *Jesus Christus, qui mortuus est, imo, qui & resurrexit, qui est ad dextram, Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Item 1. Joan. c. 2. ℣. 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.*

IV. Quia loco nostri Divinæ justitiæ satisfecit, ut nos ab æterna morte peccati redimeret juxta illud 1. ad Timoth. c. 2. ℣. 4. *Unus Deus, & Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Hac posteriore ratione solus Christus est Mèdiator: tribus vero prioribus modis etiam Moyses Mediatorem se dicebat inter Deum, & populum Deut. c. 5. ℣. 5. *Ego sequester, & medius fui inter Domi-*

minum, & vos, in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus.

V. Inter Deum, & hominem erat divisio, & inimicitia Isa. c. 59. ℣. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis*: hanc sustulit Christus ad Ephes. c. 2. ℣. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum*; unde S. Chrysostomus Homil. 24. ad populum Antiochen. *Deo nos fuimus inimici, & Unigenitus filius nos Deo reconciliavit.* Igitur Christus verus est Mediator Deum inter & hominem.

ARTICULUS II.

Christus non fuit Mediator noster apud Deum secundum *Divinitatem*, sed secundum *Humanitatem* connotantem suppositum Divinum.

I. QUia 1. ad Timoth. c. 2. ℣. 4. dicitur: *Mediator Dei, & hominum; HOMO Christus Jesus*, non *DEUS*. Et S. Augustinus lib. 10. confess. c. 42. *In quantum enim HOMO, in tantum Mediator; in quantum VERBUM non medius; quia æqualis Deo.* Et tract. 62. in Joan. *Mediator Dei, & hominum, non in quantum DEUS, sed in quantum est HOMO.*

II. Quia Mediator debet esse distinctus ab eo, ad quem dirigitur mediatio, cum non possit ali-

quis

quis esse Mediator apud seipsum, nec possit seipsum sibi reconciliare: Christus autem non distinguitur a Deo, ad quem dirigitur mediatio secundum Divinitatem, sed secundum humanitatem.

III. Quia secundum illam naturam fuit Christus Mediator, secundum quam fuit Redemptor; talis autem erat secundum naturam humanam. Ad Rom. c. 5. ℣. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.*

Dixi supra: *secundum Humanitatem connotantem suppositum Divinum;* tum quia Humanitas non dicitur Mediatrix, sed Homo Mediator. Tum quia nunquam Christus condigne Mediatoris Officium fuisset executus, nisi mediatio ejus ex circumstantia suppositi Divini fuisset nobilitata, & quasi divinizata.

ARTICULUS III.

Christus est Unicus Mediator Perfectus, & Principalis. At præter eum dantur etiam alii Mediatores Inferiores, & Secundarii.

I. PArs depromitur ex 1. ad Timoth. c. 2. ℣. 5. *UNUS, & Mediator* &c. ubi ly *UNUS* denotat aliquid Christo proprium; adeoque perfectionem, & eminentiam Mediatoris super alios. *2do.* Quia testatur Doctor Angelicus q. 26. a. 1. *Solus Christus est perfectus Dei, & hominum Mediator.* *3tio.* Quia solus ille est Mediator principa-

paliter, perfecte, & eminenter, qui non eget apud Deum alio Mediatore; sed talis fuit solus Christus, qui nec Dei inimicitiam incurrit, nec incurrere potuit utpote peccati incapax; unde ad Hebr. c. 7. ℣. 26. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* 4to. Quia solus Christus condignam posuit pro obtinenda reconciliatione satisfactionem. Idcirco S. Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmen. c. 8. reprehendit Parmenianum statuentem Episcopum Mediatorem esse inter Deum, & populum inquiens: *Quis hoc ferat bonorum, atque fidelium Christianorum? Omnes enim Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus; hic unus, verusque Mediator est.*

II. Pars desumitur ex Epistola D. Pauli ad Galat. c. 3. ℣. 19. in qua vocatur Moyses *Mediator*, ubi lex dicitur *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, id est, Moysis. Item Job. c. 33. ℣. 23. & 24. *Si fuerit pro eo Angelus loquens . . . ut annunciet hominis æquitatem, miserebitur ejus.* Est etiam ratio; quia omnes illi possunt dici Mediatores nostri apud Deum, qui vel orando, vel jejunando, vel sacrificando, vel aliud pium opus exercendo, promovere possunt nostram apud Deum reconciliationem; id vero præter Christum præstare alii possunt tamquam Christi ministri, possunt namque ad hunc effectum orare Beati, jejunare Viatores, sacrificare Sacerdotes; unde Di-

R vus

vus Thomas: *Sacerdotes novi Testamenti possunt dici Mediatores Dei, & Hominum, in quantum sunt Ministri Veri Mediatoris.* Et si Rex Terrenus non tantum filium admittat Mediatorem pro reis reconciliandis, sed etiam amicos, quidni idem potest facere Rex cœlestis?

QUAESTIO II.

An Christus tamquam Mediator oraverit?

ARTICULUS I.

Christus oravit olim pro seipso.

I. JOan. c. 12. ℣. 27. *Pater, salvifica me ex hac hora.* Item c. 17. ℣. 1. *Pater venit hora, clarifica filium tuum.* Marci c. 14. ℣. 35. *Procidit super terram: & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora.*

II. Christus aliis virtutum actibus Deum colebat, quidni & oratione? cum nulla sit indecentia, sed maxima convenientia, imo non raro necessitas, ut inferior, qualis erat Christus ut homo, ad superiorem recurrat, præsertim, cum Christus secundum Humanitatem in omnibus a Deo dependeret, & illo indigeret.

Notandum tamen Christum non potuisse orare secundum naturam Divinam, seu ut erat Deus; quia

quia oratio est actus indigentis alterius auxilio, quo non potest egere ille, qui nullius eget, & quo egent omnia; unde Divus Thomas quæst. 21. a. 1. *Si in Christo esset una tantum Voluntas, scilicet Divina, nullo modo competeret sibi orare; quia voluntas Divina per seipsam est effectiva eorum, quæ vult juxta illud Psal. 134. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit.* Hinc ad Rom. c. 8. dicitur Spiritus sanctus postulare pro nobis, non quia ipse postulat, sed quia gratia sua facit nos postulare.

ARTICULUS II.

Christus per mortalis vitæ decursum sæpius oravit pro nobis.

I. JOan. c. 17. ℣. 15. *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* ubi orabat pro Discipulis. Et infra ℣. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* ubi rogabat pro illis, qui Apostolorum ministerio sunt credituri. Et Luc. c. 23. ℣. 34. orabat pro suis Interfectoribus: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.*

II. Christus nobis aliquando desiderabat quædam, quæ non poterat per Humanitatem exequi physice, qualis inter alia erat gratia sanctificans, cujus licet secundum Humanitatem esset causa moralis, & meritoria, non tamen physica, ne quidem instrumentalis; adeoque eam a Patre debuit

petere; quia *gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Psal. 83. ℣. 12.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Christus habuit ab instanti conceptionis mentem elevatam in Deum: ergo non potuit orare; est enim oratio, *elevatio mentis in Deum.* II. Matth. c. 38. ℣. 18. asseritur Christo datam esse omnem potestatem: igitur cum omnia habuerit in sua potestate, non poterat aliquid petere, & ita nec orare. III. Si Christus vere orasset, omnia obtinuisset, hoc quippe postulabat dignitas orantis; at non omnia obtinuit; quia petiit a se transferri passionis calicem, qui non fuit translatus. IV. Christus sciebat ab initio conceptionis per scientiam beatam omnia, quæ vellet ipsi Deus concedere: ergo frustra orasset.

Repono ad I. Oratio *formaliter* est *decentium petitio, præsuppositive* autem elevatio mentis in Deum. Quid ergo prohibere potuit, ne Christus a tempore conceptionis mentem habens elevatam in Deum, decentia ab eo petiisset, & ita orasset? Ad II. Christo ut Deo data, id est, communicata fuit omnis potestas, non Christo ut homini, non enim ut homo potuit gratiam sanctificantem producere. Vel certe, si passum illum non intelligas de plenitudine potestatis secundum Divinitatem, sed secundum humanitatem, debes

illum

illum sumere accommode, nempe pro plenitudine potestatis moralis, in quantum poterat obtinere omnia, quæ vellet efficaciter petere. Ad III. Omnia obtinuisset, quæ petiisset secundum voluntatem efficacem, & sequentem ductum rationis, non ea, quæ petiisset secundum voluntatem inefficacem, & sequentem ductum naturæ. Duplex distinguenda est in Christo voluntas, una per modum *rationis*, & altera per modum *naturæ*. Prima semper in Christo fuit impleta: quia cum omnia cognoscens, etiam cognosceret, quid vellet Deus sibi dare, nihil petebat, nisi Divinæ Voluntati conforme, & ideo secundum Voluntatem illam semper exaudiebatur. Secunda cum tantum respiciat objectum prout congruit naturæ, & abstrahit a Dei voluntate, non semper fuit in Christo impleta. Exemplum allatum non convincit: sed quid mirum, cum voluntas illa non sit manifestantis absolute desiderium suum, sed præcise ostendentis inclinationem naturæ, & ideo potius est velleitas, quam volitio. Ad IV. Christus sciebat omnia, quæ vellet Deus ipsi concedere, sed sciebat etiam modum, quo vellet ei concedere. Unde sicut sciebat, quod Deus non reconciliaretur nobis, nisi mediante ejus morte, ita sciebat plurima non esse nobis concedenda nisi mediante ejus oratione, Deo ab æterno sic præordinante.

ARTICULUS IV.

Christus orat pro nobis in Cœlis non tantum oratione interpretativa, sed etiam oratione formali.

I. PArs patet; quia non est dubitandum, quod Christus in Cœlo exhibeat Patri humanitatem suam cum stigmatibus, quæ pro humani generis redemptione sustinuit, & quod Deus ipsorum intuitu nobis gratias plurimas largiatur: & certe si olim sanguis Abel clamabat in cœlum vindictam petiturus; quidni sanguis Christi clamat ad Patrem veniam nobis impetraturus. Unde D. Thomas in c. 8. ad Rom. Lect. 3. *Interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assumptam, & mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentando.* Quam doctrinam hauserat ex Gregorio M. lib. 1. Moral. c. 24. *Sine intermissione pro nobis holocaustum Redemptor immolat; quia sine cessatione Patri suo pro nobis Incarnationem demonstrat.*

II. Pars desumitur ex epist. 1. Joan. c. 2. ℣. 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum.* Præcipuum autem Advocati munus est pro cliente orare, intercedere. Hinc Apostolus ad Rom. c. 8. ℣. 34. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et ne interpellationem illam pro oratione impropria, & interpretativa sumeres, spondet ipsemet Redemptor Joan. c. 14. ℣. 16. *Ego rogabo Patrem,* assumptus in Cœlum, *& alium*

Pa-

Paraclitum dabit vobis. Præterea non video, cur Scriptura ad improprium sensum detorqueretur, cum ex formali Christi oratione plurimum ejusdem erga nos charitas extollatur.

Neque desunt Patrum testimonia. Justinus lib. quæstionum ad Orthodoxos quæst. 135. *Carnis imbecillitatibus superior resurrectione effectus, ut confessionis nostræ Pontifex pro nobis loquitur, & rogat.* Chrysostomus Homil. 13. in epist. ad. Hebr. *Nostri curam non deposuit, sed & pro nobis intercedit.* Augustinus in Psal. 85. *Orat pro nobis ut caput nostrum, oratur a nobis ut Deus.* ubi eodem modo sumitur *orat*, & *oratur:* cum ergo *oratur* proprie sumatur, ita quoque proprie sumitur *orat.* Deinde Scriptura asserens Christum orasse in terris, sumitur ab Adversariis Theologis in sensu proprio: ergo sic etiam sumi debet oratio, qua Christum orare in Cœlis refert Scriptura, cum inde nulla sequatur indecentia, superfluitas, aut implicantia, ut ex oppositorum solutione apparebit.

ARTICULUS. V.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Nostræ salutis negotium jam est consummatum: ergo frustra pro nobis oraret Christus. II. Si Christus oraret pro nobis in Cœlo, mereretur: cum ejus oratio esset digna præmio, hoc autem non fit, cum tempus merendi

pro ipso, sicut pro nobis terminetur in morte. III. Si Christus pro nobit oraret in Cœlo, possemus dicere: *Ora pro nobis Christe*, quod in Ecclesia est inusitatum.

Repono. Ad I. Consummatum est salutis nostræ negotium. Quantum ad sufficientiam meriti, minime vero quantum ad applicationem. Quemadmodum autem voluit Deus, ut mediantibus Sacramentis nobis applicarentur Christi merita, ita & potuit velle, ut nobis eadem applicarentur mediantibus Christi precibus in Cœlo fundendis. Voluisse autem de facto produnt allata Scripturæ testimonia. Præterea non sunt superfluæ orationes, quas Beata Virgo, & cæteri Sancti fundunt pro nostra salute, cur essent inutiles preces Christi? Non est superflua (non obstante salutis nostræ consummatione) oratio Christi *interpretativa*, ut concedunt Adversarii, cur superflua esset *formalis*? Ad II. Sicut Sancti pro nobis in Cœlo orantes non merentur proprie, sed solum nobis favores impetrant, ita nec Christus meretur. Ad III. Ajo, quod in orationibus privatis liceret dicere: *Ora pro nobis Christe*, si enim Christus ut homo orat, quid vetabit ab eodem ut homine petere, ut oret? Cum liceat petere, ut faciat, quod facit; unde legitur de S. Cypriano, quod rogaverit Christum moriturus: *Ego a te peto, ut tu a Patre petas.* Ne vero id in publicis precibus fiat obstat Ecclesiæ consuetudo id prohibentis, ne credatur Christus purus homo, sicut credebant Ariani:

ni: Nec licet ex Christi oratione inferre eum simpliciter, & absolute, Deo Patre inferiorem esse, utpote qui habita dumtaxat humanæ naturæ ratione & oravit, & sub hoc tantum respectu fuit inferior; Idem quippe Christus, qui supplex Patrem deprecatur, declarat, *se unum esse cum Patre. Omnia, quæ Patris sunt, esse sua. Sibi datam esse omnem potestatem in Cœlo, & in terra.*

QUAESTIO III.

Utrum invocatio Sanctorum opposita sit Christi mediationi?

ARTICULUS I.

Doctrina de Uno Mediatore Christo non tollit Sanctorum invocationem.

I. QUia non invocamus Sanctos, ut gratiam largiantur, vel remissionem peccatorum conferant, vel alia beneficia impendant, sed ut suis precibus apud Deum agant, quatenus ipse Bonorum omnium Author, & Largitor a nobis postulata, & expedita largiri dignetur.

II. Quia non illos interpellamus ut Mediatores *redemptionis*, Unus siquidem & solus *redemptionis* Mediator Christus est: sed ut Mediatores *intercessionis*, non quidem *primarios*, & *principales* (hanc enim dignitatem solus Christus sibi vendicat) sed

ut *Intercessores secundarios*, & *minus principales*, quorum preces omnem vim, & efficaciam ex Christi meritis obtineant: igitur cum Christi gloriæ, & ministri dignitati nihil detrahat Sanctorum virorum interpellatio, nec etiam derogare censenda est invocatio eorum, qui licet vita corporea sint functi, nihilominus vivunt apud Deum, penes quem est fons vitæ.

III. Quia etsi fateamur unum nobis Mediatorem propositum Christum Dominum, qui scilicet unus nos per sanguinem Patri cœlesti reconciliavit, & qui æterna redemptione inventa semel in sancta ingressus pro nobis interpellare non cessat: ex eo tamen nullo modo sequi potest, quo minus ad Sanctorum gratiam confugere liceat. Nam si propterea subsidiis Sanctorum uti non liceret, quod unum Patronum habeamus Christum Jesum, nunquam id commisisset Apostolus, ut se Deo tanto studio Fratrum viventium precibus commendari vellet ad Rom. c. 15. ℣. 30. *Obsecro ergo vos Fratres per Dominum Nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Neque enim minus vivorum preces, quam eorum, qui in Cœlis sunt, Sanctorum deprecatio, Christi Mediatoris gloriam, & dignitatem imminuerent.



AR-

ARTICULUS II.

Solvitur Objectio.

INquiunt. Deus, & Christus volunt, ut nostram fiduciam omnem ponamus in se, non in hominibus. Ad Hebr. c. 4. ℣. 16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* Jerem. c. 17. ℣. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

Repono. Novatores ponunt fiduciam in hominibus e. g. subditi in suo Principe, liberi in parentibus, amici in amicis, clientes in Patronis. Novatores invocando Fideles in hac vita existentes ponunt fiduciam aliquam in hominibus. Cur nos Catholici non poneremus fiduciam aliquam in Sanctis hac vita functis? Nihil prior fiducia Christi præjudicat mediationi; cur præjudicaret posterior.

Quamquam ergo in Deo tamquam Authore omnium gratiarum, & Auxiliatore supremo: in Christo tamquam in Mediatore Principali omnis nostra cordis fiducia ponenda sit, nihil tamen vetat, quo minus in hominibus solum tamquam Intercessoribus, & Mediatoribus secundariis, ac non ultimato fiduciam nostram ponamus. Textus quidem probant in Deo, & Christo ponendam esse fiduciam, eosque immediate posse rogari: non tamen dicunt, quod in iis solis reponenda fiducia, & per alios rogari non possint tamquam Intercesso-

res

res sive vivos adhuc, sive mortuos. Textus ultimus facile intelligitur, si legantur verba immediate sequentia : *Et ponit carnem brachium suum, & a Deo recedit cor ejus*, quando scilicet homo confidit solum, & ultimato in homine carnali, ac penitus relinquit Deum, ac si homo satis esset potens ex se, & sine Deo ad juvandum.

QUAESTIO IV.

Utrum Angeli, & Sancti Homines post mortem preces, & vota cordis Viventium cognoscant, & quomodo id contingat?

ARTICULUS I.

Angeli, & Sancti Dei in Beatitudine jam constituti intelligunt res nostras, orationes, & petitiones ad eos directas.

I. ANgeli in cœlo gaudium habere dicuntur *super uno peccatore pœnitentiam agente* Luc. c. 15. ℣. 10. nemo autem prudenter gaudet, nisi cognoscat causam gaudendi. Tob. c. 12. ℣. 12. Raphael Angelus offerebat Deo orationes Tobiæ : *Quando orabas cum lacrymis* (dicebat Raphael ad Tobiam) . . . . *ego obtuli orationem tuam Domino*: ergo cum Tobias funderet preces, id Raphael non ignoravit. Elias 2. Paralip. c. 21. ℣. 12. post obitum suum corripuit Joram Regem datis ad eum Litteris : igitur Jorami acta Eliam non latebant.

Joan.

Joan. c. 8. ℣. 56. *Abraham exultavit, ut videret diem* Christi, hoc est Incarnationem: *vidit. & gavisus est*: ergo ipsi conformiter ad suum desiderium Incarnatio a Deo fuit revelata. Idem Abraham narratur divitis Epulonis in Inferis positi gemitus audivisse, novisse bona, quæ ille in vita perceperat, & mala quæ pertulerat Lazarus, allegasse denique Moysen, & Prophetas, eorumque scripta, qui post Abrahami mortem apud Judæos floruerunt.

II. Spectat ad Beatitudinem saltem accidentalem Sanctorum, gaudium, & dignitatem, cognoscere preces hominum etiam internas ad se directas, utique enim gloriosum, & oblectabile est Sanctis habere supplices; quia invocantur tamquam amici Dei, in quo est maxima gloria, dignitas, & gaudium. Deinde *Charitas, quæ nunquam excidit* (nec in Cœlo) exigit juvare miseros: sed quomodo juvabunt, nisi cognoscant necessitates suorum supplicum, & preces clientum? Item si homines in vita hac existentes ex revelatione Divina possunt cognoscere secreta cordium, uti Samuel Saulis lib. 1. Reg. c. 9. & res absentes, ut Elisæus sui famuli absentis lib. 4. Reg. c. 5. multo magis poterunt Sancti in cœlo ex revelatione Divina; quia id exigit status beatitudinis, & perfectæ amicitiæ cum Deo. Demum damnati norunt ea, quæ geruntur in mundo, & ad eorum pœnam pertinent, ut constat exemplo divitis Epulonis, qui noverat, Fratres ad sui imitationem perdite

vi-

vivere: ergo multo magis sciunt Sancti, quæ ad eorum felicitatem spectant.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Lib. 3. Reg. c. 8. ℣. 39. Solus Deus dicitur scrutator cordium: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* *2do.* Job. c. 14. ℣. 21. de mortuo homine dicitur: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* *3tio.* Sapiens Ecclesiast. c. 9. ℣. 5. de omnibus vita functis sic loquitur: *Viventes sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius.* *4to.* Isa. c. 63. ℣. 16. scriptum est: *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos; & Israel ignoravit nos.* Glossa ait, quod mortui etiam Sancti nesciant, quid agant vivi etiam eorum filii: & sumitur ab Augustino lib. de cura pro mortuis. Si tanti Patriarchæ, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignoraverunt, quomodo mortui vivorum res adcurabunt? quomodo Sancti orationes nostras cognoscent?

Repono ad *1mum.* Solum Deum propria vi, & independenter nosse cor omnium hominum: hoc enim est discrimen inter Deum, & Sanctos, quod corda per se scrutetur Deus, & quidem omnium hominum, etiamsi illi velint, quam maxime ea esse abscondita; Sanctis autem hominum corda pateant aliquorum dumtaxat, & hoc quidem

dem singulari Dei beneficio; idque dum necessitas hominum viventium hoc exigit, & Beatorum gloria per istud promovetur, ac eorum ad nos charitas commendatur. Ad *2dum*, & *3tium* ajo, Scripturæ verba esse intelligenda de insito naturæ lumine, quod sane, si solum spectetur, non magis mortui rerum nostrarum notitiam habent, quam nos, quid agant mortui, rescimus. Ad *4tum.* dico, quod etsi tunc temporis Abraham, & Jacob non cognoverint, quæ apud Israelitas agerentur: non sequitur, quod Sancti nunc in Cœlis degentes nesciant, quæ apud nos contingant; siquidem illi Patriarchæ tunc tum cæteris justis erant in limbo, ubi clara Dei visione non illustrabantur. Addo item Isajam citatis verbis hoc solum insinuare, quod illi Patriarchæ non cognoverint Israelitas scientia, & notitia approbationis, eo, quod pro legitimis filiis ipsos non habuerint, quia Judæi per peccata a suorum Patriarcharum virtute deviantes, degeneres erant, & indigni, qui Prophetarum virtute filii nominarentur. S. Augustinus intelligendus est de cognitione naturali animarum separatarum, quæ quidem cognitio in Sanctis viris non est obtenebrata, sicut est in peccatoribus: non autem loquitur de cognitione, quæ est in Verbo, quam constat Abraham eo tempore, quo hæc dicta sunt per Isajam, non habuisse; cum ante Christi Passionem nullus ad visionem Dei pervenerit.

II. Inquiunt. *1mo.* Quanto aliquis in charitate perfectior est, tanto magis proximo in pericu-

lis

lis subvenit; sed Sancti in carne viventes proximis, & maxime sibi conjunctis in periculis consulunt, & manifeste auxiliantur in necessitatibus: cum ergo post mortem sint multo majoris charitatis, si facta nostra cognoscerent, multo amplius suis Charis, & conjunctis consulerent, & auxiliarentur in necessitatibus, quod tamen sæpe non fit; unde verosimile est, quod actus nostros, & orationes non cognoscant. *2do.* Sancti non videntur posse attendere ad tot preces, quæ ubique terrarum ad eos simul diriguntur. *3tio.* Sicut Sancti post mortem vident Verbum, ita & Angeli, de quibus Matth. c. 18. ℣. 10. *Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei;* sed Angeli Verbum videntes non propter hoc omnia cognoscunt, cum a nescientia Inferiores purgentur a Superioribus, ut ex Dionysio in c. 6. Eccles. Hierarch. patet: ergo nec Sancti videntes Verbum, in eo orationes nostras cognoscunt, & alia, quæ circa nos aguntur.

Repono ad *1mum.* Animas Sanctorum habere voluntatem plenarie conformem Divinæ Voluntati; & ideo, quamvis affectum charitatis ad proximum retineant, non tamen aliter eis auxilium ferunt, quam secundum Divinam justitiam vident esse dispositum. Credendum tamen est, quod plurimum proximum juvent pro eo apud Deum intercedendo. Ad *2dum.* ajo, posse spectata Divina illustratione, quæ fit per lumen gloriæ ad claram, & intuitivam visionem Dei eorum intelle-

ctum

ctum promoventis, ac sublimantis. Quemadmodum enim non obstante illa naturali humanæ mentis debilitate in tantum roborari potest intellectiva facultas, ut ad intuitivum Dei conspectum assurgat, poterit longe majori facilitate percipere omnia prorsus humana, quæ ad statum eorum spectant. Ad *3tium.* Quamvis videntes Verbum non sit necessarium in Verbo omnia videre; vident tamen ea, quæ ad perfectionem suæ beatitudinis pertinent.

ARTICULUS III.

Modus, quo Sancti preces nostras cognoscant

Controversus est apud Doctores Catholicos, nec fuerat sanctis Patribus satis cognitus. Duæ tamen sententiæ cæteris probabiliores sunt, quarum una asserit, quod Beati in Cœlo videndo Divinam Essentiam, in ea, quasi in quodam vivo speculo videant omnes creaturas actu existentes, exceptis secretis cordium; nisi hæc ad eorum felicitatem, dignitatem, & charitatem pertineant, quæ opinio fuisse videtur etiam S. Gregorii, qui lib. 2. Dialog. c. 35. apud Canis. de Primo Præcepto Decalogi §. 8. dicit: *Quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt.* Altera sententia docet, quod cognoscant ex speciali revelatione Dei, in quam inclinat S. Augustinus lib. de cura pro mortuis c. 16. postquam retulerat alios

S duos

duos modos, quibus possent Sancti cognoscere preces nostras, licet non sint nobis localiter præsentes.

QUAESTIO V.

Utrum Sancti in Cœlis pro Viventibus orent?

ASSERTIO.

Sancti in Cœlis existentes, uti & Angeli Boni orant pro nobis.

I. PAtet lib. 2. Machab. c. ult. ℣. 12. refertur visum fuisse Oniam pridem mortuum *manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum.* Et ℣. 14. cum apparuisset alius vir, nempe Jeremias, narratur Oniam dixisse: *Hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta Civitate, Jeremias Propheta Dei.* Zachariæ c. 1. ℣. 12. recensetur oratio Angeli pro Judæis: *Domine exercituum usquequo tu non misereberis Jerusalem, & Urbium Juda, quibus iratus es.* Epist. 2. Pet. c. 1. ubi postquam ℣. 14. edixit Petrus se per revelationem certum esse brevi moriturum: *Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.* Subdit ℣. 15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Id est, ero & post mortem per meas ora-

orationes sollicitus, ut ea, quæ vos vivens docueram, memoria teneatis. Apocal. c. 5. ℣. 8. describuntur viginti quatuor seniores, per quos Sancti Veteris, & Novi Testamenti intelliguntur, in Cœlo procidisse coram Agno *habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas adoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Quibus indicatur, quod sicut Angeli Apocal. c. 8. ℣. 3. & 4. ita & animæ beatæ in cœlo offerant Deo orationes viventium, eos suis intercessionibus, & patrociniis adjuvando. Tandem Apocal. c. 6. animæ Sanctorum Martyrum magno clamore petunt vindictam de Interfectoribus suis ℣. 10. *Et clamabant voce magna, dicentes: usquequo Domine (Sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Ergo multo magis misericordiam petunt fratribus, & amicis suis. Nec dicant Novatores, voces illas referri ad tempus, quo erant in terra. Non dicant. Id enim falsum esse constat; quia Martyres in terris non petebant a Deo vindictam de persecutoribus, sed veniam potius iis implorabant. Voces igitur illæ sunt Martyrum in Cœlis petentium vindictam ex amore justitiæ, & gloriæ Dei.

II. Ex communione Ecclesiæ Triumphantis cum Militante. Nam ad Hebr. c. 12. ℣. 22. & 23. Apostolus dicit *nos accessisse ad Ecclesiam Primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis.* Ad Galat. c. 4. ℣. 26. ait *illam, quæ sursum est, Jerusalem, esse matrem nostram.* Et ad Ephes. c. 1. ℣, 22. as-

ferit, quod Deus Christum dederit caput super omnem Ecclesiam. Ex quo sic

Argumentor: Si Sancti in Cœlis regnantes sunt concives nostri: si Ecclesia Triumphans, in qua sunt illi, & Militans, in qua militamus nos sunt unum corpus, cujus caput est Christus: ergo inter Sanctos, & nos debet esse communio, qualis inter membra ejusdem corporis sub uno capite; sed ista communio exigit, ut membra sint pro invicem sollicita, & ut membrum fortius juvet infirmius, hanc enim esse naturam membrorum sub uno capite docet Paulus ad Rom. c. 12. & 1. ad Corinth. c. 12. Sancti itaque in Cœlis, qui sunt membra charitate, & meritis fortiora nos juvant, qui membra sumus debiliora, & infirmiora.

Inquiunt Novatores cum Calvino lib. 3. Inst. c. 20. §. 24. *Mortuos a nostro contubernio, dum subduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac ne illis quidem nobiscum.* Repono. Nobis cum mortuis Sanctis nullum esse commercium, nec illis nobiscum in iis, quæ spectant ad vitam civilem: At quod nec in iis, quæ pertinent ad vitam spiritualem ullum sit inter eos, & nos commercium, quomodo sustineri potest, si sumus cum illis unus populus, unum corpus, una Ecclesia.



QUAE-

QUAESTIO VI.

Num licitum ſit Sanctos cum Chriſto regnantes invocare?

PRAENOTIO.

I. INvocare alterum non eſt aliud, quam ab illo cum aliqua fiducia auxilium, vel patrocinium petere; adeoque religioſa Sanctorum invocatio, de qua loquor, cultui Sanctorum duo ſuperaddit, nimirum fiduciam aliquam cordis, & preces noſtras ad illos immediate directas, ut nos juvent orationibus, & meritis ſuis apud Deum.

II. Solus Deus poteſt invocari tamquam Author omnis gratiæ, & gloriæ, qui ex ſe, & propria virtute, poteſtate, & authoritate nobis conferre poteſt omnem gratiam, auxilium naturale, & ſupernaturale, mortem felicem, & beatitudinem æternam: Sancti vero invocantur ſolum tamquam *Interceſſores*, Patroni, & Advocati apud Chriſtum, & Deum, ut nobiscum, & pro nobis eumdem orent; ſic enim recte ſperamus nos citius exaudiendos a Deo, ſi dilecti ejus amici pro nobis ſuas preces interponant; hinc eſt, cur ad Sanctos dicamus: *Orate pro nobis:* ad Deum vero, & Chriſtum: *Miſerere nobis.*

III. Nos Catholici non docemus, quod Sancti, quos pie, religioſe, & devote invocamus

mente, vel voce, nobis mereantur illa beneficia, quæ per ipsos, & ab ipsis petimus, & quod Deus nobis ea conferat propter merita Sanctorum; sed docemus, quod nobis dentur propter merita solius Christi, qui solus non pro se tantum, sed & pro aliis stricte, & de condigno mereri potuit, ac meritus est omnia dona gratiæ, & gloriæ. Nihilominus tamen prosunt nobis Sanctos invocantibus etiam merita Ipsorum, non quod illi nobis aliquid proprie sint meriti, sed quod pro se meriti sint altiorem gradum gloriæ, & amicitiæ cum Deo: quo enim majora alicujus Sancti sunt merita, eo amicitior, & charior est Deo, consequenter & potentior in sua intercessione, ac ditior donis in alios dispensandis: fere sicut fit inter homines; quo enim aliquis Aulicus propter merita sua charior, & gratior Principi, eo plus prodesse potest aliis intercedendo, quamvis talis Aulicus has gratias aliis non sit promeritus de condigno, ut Princeps eas teneatur supplici elargiri. Unde fit, ut Sancti sint quasi Mediatores apud Mediatorem Christum, per cujus merita & ipsi rogant nobiscum Deum, & Advocati apud Advocatum Principalem Christum, cujus merita sunt infinita in ordine ad omne præmium etiam aliis obtinendum, quod, & pro quibus ille petit: *Nemo enim* (dixit ipse) *venit ad Patrem, nisi per me.* Et iterum: *petite in nomine meo.* Hinc Ecclesia immediate per Christum, mediate per Sanctos scilicet intercedentes a Deo rogat dona tam naturalia v. g. dicendo: *Concede nobis Deus intercessione*

huj-

hujus Sancti hoc beneficium per Christum Dominum nostrum. Quando vero rogat per merita Sanctorum, aliud non intendit, quam Deo quasi proponere merita illa, per quæ Sancti facti sunt Deo valde dilecti amici, cujus amicitiæ intuitu potentiores evadunt preces Sanctorum pro nobis.

ARTICULUS I.

Sanctos in Cœlis existentes licitum est invocare.

I. JAcob Patriarcha, dum filiis suis benediceret, inquiebat: Gen. c. 48. ℣. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Isaac.* Moyses orando Deum, sic locutus est Exod. c. 32. ℣. 13. *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum.* Salomon Deum exorabat, ut reminisceretur misericordiarum David 2. Paralip. c. 6. ℣. 42. *Memento misericordiarum David servi tui.* Tres pueri a Nabuchodonosor condemnati, ut inter ignes vitam amitterent in fornace, misericordiam Dei implorabant propter merita Sanctorum. Daniel. c. 3. ℣. 35. *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum.* II. Quia Sanctorum invocatio non oritur ex fidei (ut Novatores oggerunt) imbecillitate, id quod Centurionis exemplo com-

probatur. Fuerat fides ejus singulari præconio a Domino commendata Matth. c. 8. ℣. 10. *Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Volebat nihilominus Sanctos internuncios, & Patronos adhibere, ut ægrotanti puero salutem impetraret: *Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum, ut veniret, & salvaret servum ejus.* III. Quia Sanctorum invocatio non proficiscitur ex quadam auxilii Divini diffidentia, hoc quippe Impiorum dicterium illud S. Augustini facile revincit, multa Deum non concedere, nisi Mediatoris, & Deprecatoris opera, & officium accesserit: quod illustribus Abimelech, & Job amicorum factis confirmatur, quorum peccata non nisi Abraham, & Job precibus condonavit. *Orante autem Abraham sanavit Deus Abimelech.* Gen. 2. ℣. 17. *Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Job. c. 42. ℣. 8. IV. Quia Sanctorum invocatio Christo nullam infert, injuriam, ut supra probavi.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. In antiquo Testamento immediate supplicabatur Deo, nec licitum erat communiter, & publice invocare Sanctos dicendo: *Sancte Abraham ora pro nobis. Sancte Moyses ora pro nobis.*

bis. Repono. Quod in veteri Testamento ordinarie, & publice non fuerint directe invocati Sancti defuncti, duplex est ratio, una; quia nondum erant in Cœlo, nec Deum videbant, adeoque via ordinaria, & sine speciali revelatione non poterant cognoscere preces ad se fusas, quæ revelatio ipsis tunc, utpote nondum Beatis non debebatur vi status sui. Altera; quia ille populus erat valde pronus ad idololatriam, & videbat passim apud Gentiles invocari varios Deos, si igitur passim fuisset in usu invocatio Sanctorum, facile eos non ut Dei servos, & amicos, sed etiam ut Deos invocare cœpissent. Utraque autem hæc ratio cessavit in novo Testamento.

Cæterum licet Fideles in antiqua lege immediate supplicassent Deo, allegabant tamen quandoque merita Sanctorum, ut preces suas redderent efficaciores. Sic Moyses, ut in proba retuli, oravit Exod. c. 32. ℣. 13. *Recordare* (Domine) *Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum.* Daniel c. 3. ℣. 35. *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Israel sanctum tuum.* Quin & Deus ipse satis innuit, quod intuitu servorum suorum, & amicorum, qui ex hac vita jam migraverant, invocantibus se propitius sit, dum lib. 4. Reg. c. 19. ℣. 34. invocatus a Rege Ezechia dixit : *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.*

II. Inquiunt. Invocatio Sanctorum explicitis, & claris terminis in Scriptura non habetur. Repono. Novatores non negant Deum esse Trinum in Personis, in Christo esse duas quidem naturas, unam tamen Personam, Spiritum sanctum procedere a Patre, & Filio, parvulos ante usum rationis esse baptizandos, licet hæc in Scripturis sacris clare non sint expressa. Cur in libris antiqui Testamenti non fiat clara mentio invocationis Sanctorum, duplex congruentalis ratio paulo ante fuit assignata. Cur autem libri novi Testamenti nihil de ea explicite meminerint, ratio esse potest, tum ne Gentiles conversi crederent se rursus adduci ad colendos terrigenas, & ne veteri suo more inciperent Sanctos colere ut Deos. Tum quia nullus illo tempore, quo plerique libri sancti conscripti sunt, eximiæ, & notæ sanctitatis vir obierat; vivebant enim adhuc Apostoli, & Evangelistæ cum B. Maria Virgine. Et sane si isti Scriptores scripsissent de cultu, & invocatione Sanctorum demortuorum: suspicionem arrogantiæ potuissent incurrere, quasi quærerent gloriam suam etiam post mortem. Deus ipsemet statim post obitum eorum satis docuit tum per miracula, & varia beneficia hominibus hos Sanctos colentibus concessa, tum per traditionem Sanctos hujusmodi recte, & licite invocari.



AR-

ARTICULUS III.

Obviatur aliis Oppositis.

I. INquiunt. Deus ipse per se scit necessitates nostras, nec indiget monitoribus scilicet Sanctis, qui quasi Deo aures vellicent, vel commoneant; hinc Christus reprehendit Matrem suam, non quod pro hospitibus intercesserit, sed quod importune monuerit Christum, quasi ipse nescivisset vini defectum. Repono. Nos non adhibere Sanctos, ut moneant Deum, quasi Deus aliquid nesciret, vel oblivisci posset, sed tamquam Patronos, ut eorum, quos valde diligit, intercedentium intuitu nos benignius exaudiat, fere sicut Moyses orans proposuit Deo dilectos amicos Exod. 32. ℣. 13. *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum.* Quod additur de Beata Virgine, negatur illam importune monuisse Christum, aut ex ignorantia Omniscientiæ Christi, & ob hoc fuisse reprehensam; sed potius hanc Virginis intercessionem Christo placuisse, patet ex effectu; quia fecit, quod illa modeste insinuando petiit, simul tamen indicat per hæc verba: *Mulier quid mihi, & tibi?* quod ipsi ratione *maternitatis* non competat jus petendi miracula; quia non sunt actiones humanitatis; quam solam habuit a Matre, sed Divinitatis, atque in iis patrandis, uti & in aliis rebus Divinis non attendi debeat affectus naturalis erga Parentes, sed gloria Dei; & utilitas pro-

proximi; atque hinc appellavit non *Matrem*, sed *Mulierem* quasi exteram sine ulla tamen reprehensione, ut apud Cornel. a Lapide interpretantur Beda, & S. Augustinus Nos vero immediate accedentes ad Deum non tam facile, & secure consequimur Divina beneficia tum propter indignitatem nostram, tum propter Dei decretum, quædam dare nolentis, nisi intercedentibus Sanctis, ut partim ab experientia, partim ex Patrum doctrina colligitur.

II. Inquiunt. Sanctorum invocatio videtur sapere Ethnicam superstitionem, dum aliqui Sancti invocantur pro Viatoribus; alii pro Captivis; alii contra pestem; alii contra dolores dentium, &c. alii pro bobus; alii pro ovibus &c. quasi tamquam Dii præsiderent his creaturis, sicut Dii Gentilium. Repono. Nos ejusmodi Sanctos, quos pro certis personis, certis in necessitatibus, morbis &c. invocamus, religiose quidem invocare, non tamen latreutice, ut faciebant Gentiles, sed cultu minore scilicet Duliæ, vel Hyperduliæ. Cur autem certos Sanctos in certis casibus imploremus præ aliis, inde fit; quia vel floruerunt specialiter in aliqua virtute, vel plura in certo membro, vel certo cruciatuum genere, pro Deo passi sunt: Vel quia experientia didicimus certos Sanctos in quibusdam necessitatibus sæpius a Deo opem impetrasse, quam alios, uti S. Sebastianum, & Rochum in morbis pestiferis, & S. Antonium in rebus perditis.

III.

III. Inquiunt. Aliqui, qui a nobis Catholicis invocantur, nec existunt in rerum natura, ut Georgius, Christophorus, Catharina, cum eorum vitæ legendæ scateant fabulis; & aliorum Sanctorum legendæ sint prorsus ridiculæ. Repono. Hæretica est protervia dubitare, an sint in rerum natura, quos Universalis Ecclesia colit. Vitæ aliquorum Sanctorum historiam fabulis quibusdam fuisse nonnunquam corruptam, & quædam acta esse apocrypha, non inficior: sed inde non sequitur, ejusmodi homines vel nunquam omnino extitisse, vel non esse Sanctos. Ecclesia non definit veritatem historiæ, sed sanctitatem hominum. Inter legendas faciendum est discrimen; aliquæ ab Ecclesia sunt approbatæ, vel toleratæ: aliæ sunt rejectæ, & non approbatæ: hæ nullius sunt authoritatis, bene tamen illæ.

QUAESTIO VII.

An Sanctorum invocatio sit utilis, & præcepta?

ARTICULUS I.

Sanctorum invocatio est nobis utilis.

I. QUia Deus ipse se acceptas habere Sanctorum orationes, piumque, & utile esse Sanctorum merita commemorare pro gratiis obtinen-

nendis, professus est lib. 4. Reg. c. 19. ℣. 34. *Protegamque Urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.* Rursus Jerem. c. 15. ℣. 1. ait : *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Et lib. 2. Machab. Onias, & Jeremias jam defuncti exhibentur, & proponuntur uti Deum exorantes pro populo: cumque Judæi, quando putarunt, a Christo in Cruce Eliam invocari: *Eliam vocat iste.* Matth. c. 27. ℣. 47. eum nec blasphemiæ, nec violationis legis insimulaverint; manifesta hæc est conjectura, pium, & utile apud eos fuisse Sanctos invocare.

II. Sanctus Joannes petit a Deo pacem, & ab Angelis: quod idem est, ac dicere, Deo porrigit preces, ut pacem tribuat; & Angelis, ut eam impetrent, uti legitur Apocal. c. 1. ℣. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Viginti item quatuor seniores, qui venerabundi, & prostrati sistebant coram Agno, quid aliud agebant, quam Fidelium orationes Deo repræsentabant? *habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Apocal. c. 5. ℣. 8. Et rursus c. 8. ℣. 4. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli.* Cumque Petrus Apostolorum Princeps se post obitum suum promiserit operam navaturum, ut documentorum a se traditorum reminiscerentur, ut ex Epist. 2. c. 1. ℣.

15.

15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Fieri absque dubio id non poterat, nisi per suam apud Deum intercessionem, in quo certe eximia credentium utilitas fundabatur.

III. Irenæus, qui circa A. C. 178. floruit, lib. 5. contra hæreses c. 19. n. 1. hæc habet: *Et si ea* (loquitur de Eva) *inobedierat Deo; sed hæc* (id est, Virgo Maria) *suasa est obedire Deo, ut Virginis Evæ Virgo Mater fieret Advocata.* Maria ergo apud Deum Advocatam vocat Irenæus, & sic ejus intercessionem apud Deum utilem agnoscit. Origenes circa A. C. 203. lib. 8. contra Celsum n. 34. pag. 767. ostendit, Sanctos Deum exorare pro hominibus, & placatum reddere: *Nam hi ceu cognatos, & amicos videntes eos, qui ipsorum in Deum pietatem æmulantur, ac Deum invocant, riteque illum precantur; eorum saluti collaborant, illis apparent, putantque sui esse officii illis obsequium præstare, & quasi ex compacto venire ad beneficia, salutemque eis conciliandam, qui Deum orant; cui & ipsi preces offerunt.* Alia loca, quæ utilitati Sanctorum invocationis aperte favent, ex eodem Origene affert Huetius in Origenian. lib. 2. q. 5. num. 36.

S. Cyprianus A. C. 248. in Epist. 57. ad Cornelium col. 206. existimat, per Sanctorum apud Deum regnantium orationes homines hic degentes adjuvari, & sic utilem esse apud Deum eorum inter-

ter-

tercessionem : „ Memores nostri invicem „ simus, concordes, atque unanimes „ utrobique pro nobis semper oremus, „ pressuras, & angustias mutua charita- „ te relevemus. Et, si quis isthinc no- „ strum prior Divinæ dignationis cele- „ ritate præcesserit, perseveret apud Do- „ minum nostra dilectio; pro fratribus, „ & sororibus nostris apud misericor- „ diam Patris non cesset oratio. „ Et in libro de habitu Virginum in fine sic ipsas alloquitur : *Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter : tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis Virginitas honorari.*

Idem confirmatur ex Actis S. Theodoti Ancyrani circa A. C. 303. apud Theodoricum Ruinart. pag. 307. num. 31. ubi Martyr sic loquitur: *Glorificate Dominum Nostrum Jesum Christum, qui fecit, ut perficerem cursum meum, & inimicum superarem; deinceps enim in Cœlis cum fiducia pro vobis Deum deprecabor.* Insuper celebre est illud, de quo testatur historia Martyrii S. Potamienæ apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccles. c. 5. juxta Theodorici Ruinart expositionem. Ineunte sæculo tertio prædictum contigit Martyrium, & postquam Eusebius retulit, eam a vulgo vexatam percussionibus, & obscœnis verbis, a Basilide vero humaniter acceptam fuisse, subdit : *Illa vero* (hoc

est

est, Potamiena) *benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit; se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, & collata in se beneficia brevi remuneraturam esse.* Porro Basilidis invictam conversionem, & confessionem, propter quas capite cæsus est, narrans inquit: „ Cumque quidam in Domino „ fratres eum audiissent, & causam subitæ illius, atque insperatæ conversionis interrogarent, dixisse fertur, „ Potamienam tertio post Martyrium „ die, noctu sibi assistentem coronam capiti suo imposuisse, dixisseque, se „ ipsius causa Dominum orasse, atque „ id, quod petierat, impetrasse, nec „ diu postea ipsum ad superos migraturum. „

Si lubet Authoritates aliorum Patrum, & signanter sæculi quarti videre, inspiciatur Basilius hom. 20. de quadraginta Martyribus. Gregorius Nazianzenus in orat. 18. pro S. Cypriano, & orat. 21. pro S. Athanasio. Hilarius in Psal. 129. Nissenus in fine orationis in quadraginta Martyres, & in oratione de S. Theodoro Martyre, Ambrosius in lib. de Viduis tom. 4. in Epist. 54. ad sororem Marcellinam. Hieronymus Epist. 1. Epist. 25. ad Paulam de obitu Blesillæ, & fuse in libro contra Vigilantium. Chrysostomus in orat. de S.

Ignatio Martyre; in homil. de Ss. Berenico &c. & in homil. 76. de Ss. Juventino, & Maximo Martyribus.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Sancti in Cœlo jam acceperunt omne prœmium pro suis operibus bonis scilicet æternam gloriam: ergo nihil superest, quod aliis impetrent, vel elargiantur, & ita invocatio eorum videtur frustranea. II. Sancti in Cœlis sibi ipsis nihil possunt mereri: ergo multo minus nobis. Adeoque. Repono ad I. Sanctos jam accepisse omne prœmium essentiale, quod consistit in visione, & fruitione Dei, non tamen adhuc acceperunt totum prœmium accidentale, ad quod spectat etiam invocari ab hominibus, exaudiri preces a Deo, gloria corporis suo tempore. Ad II. Licet amplius nihil mereri possint pro se, & multo minus pro nobis: meriti tamen sunt in vita pro se, & sic aliquomodo pro nobis, quatenus nempe per merita sua facti sunt Deo valde chari, & consequenter valde potentes in suis intercessionibus pro nobis. Unde pulchre S. Bernard. Abb. serm. 2. de S. Victore. „ Gaudete in Domino, „ dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis be„ neficia indulsit hominem mundo, cujus multi „ salvarentur exemplo. Iterum dico, gaudete, „ quod factus de medio appropiavit Deo, ut mul-

„ to


„ to plures ejus intercessione salventur: in terris
„ visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus
„ est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam,
„ illic invitat ad gloriam. Factus est mediator
„ ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus
„ mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum
„ in nos transferre desiderat, & supplicantis af-
„ fectum, & supplicationis fructum. „

ARTICULUS III.

Nullum extat præceptum nec Divinum, nec Ecclesiasticum, quod omnes, & singulos Fideles ad Sanctorum invocationem obligaret.

EJusmodi enim præceptum neque in Scriptura sacra, neque in traditione, neque in Decretis Ecclesiæ reperitur. Et Concilium Tridentinum de invocatione Sanctorum id solum definivit, nempe eam esse bonam, & utilem. Excipe tamen Beatam Virginem Mariam, cujus salutationem Angelicam cum ejusdem invocatione conjunctam addiscere tenentur Fideles omnes Universali consuetudine vim legis habente.






DISSERTATIO VI.

De Cultu, & Veneratione Beatissimæ Virginis MARIÆ, Angelorum, & Cæterorum Sanctorum.



IN modo colendi Beatam Virginem alii errarunt per excessum, alii per defectum. Excesserunt honorando Divinam Matrem Collyridiani, qui teste Epiphanio hæres 79. quibusdam mulieribus auctricibus stata quadam anni die collyridem, seu placentam panis Virgini Mariæ offerebant in sacrificium, eam ut Deam colentes, cum

cum ſacrificium ſoli Deo offerri poſſit. Defecerunt autem in honore Deiparæ exhibendo alii Hæretici dicti Antidico- Mariani, ſeu Antimariani, qui teſte eodem Epiphanio hæres. 77. & 78. & Auguſtino hæres. 56. eam omni honore, etiam perpetuæ Virginitatis prærogativa ſpoliabant. His ex parte ſubſcribunt Moderni Sectarii, qui licet perpetuam virginitatem ei non audeant eripere, de honore tamen ei debito exiliter ſentiunt, & Eccleſiam carpunt Catholicam, quod cultum excedentem, ac ſoli Deo proprium Beatæ Virgini tribuat. Rurſum Novatores, qui negato Purgatorio animas Fidelium defunctorum viventium privant ſuffragiis, Angelos quoque, hominesque Sanctos jam in Cœlo glorioſos, & cum Chriſto triumphantes debito ſuo cultu per ſummam ſpoliant impietatem. Quamquam autem beatæ illæ ſanctorum Angelorum, atque hominum mentes humana defenſione, atque præſidio pro ſe non egeant, cum in altiſſimis, & tutiſſimis arcibus, collocatæ de univerſis hoſtibus novos quotidie triumphos agant, ac, ut S. loquitur Cyprianus, prorſus de ſua felicitate ſecuræ, ſolum de noſtra ſint incolumitate ſollicitæ: perutile tamen eſt, ac, ut verius dicam, neceſſarium id agere, ut earumdem gloria, & veneratio ab omni idololatriæ caligine, quam illi aſpergere, atque offundere conantur Hæretici, purgata omnino, & libera emineat, atque reſplendeat.



QUAESTIO I.

Qualis cultus Beatæ Mariæ Virgini debeatur?

ARTICULUS I.

Maria Virgo honoranda est cultu non quidem Latriæ sed hyperduliæ.

I. PArs patet; quia nulli creaturæ, quæ per se capax est cultus, competit adoratio latriæ soli Deo debita; ideo enim humanitati Christi adoratio latriæ conceditur, quia non propria adoratione ea adoratur, sed ea, qua adoramus Verbum, in quo ipsa subsistit. Sed Beata Virgo est creatura, & cum sit creatura rationalis subsistens, est per se capax cultus: adeoque. Audi S. Epiphanium, qui lib. 3. adversus Collyridianos hæresi 59. sive 79. n. 4. de ipsa Beatissima Virgine subdit: „ Sanctum erat Mariæ corpus, „ fateor, non tamen Deus illa fuit. Eadem „ dem & Virgo extitit, minime tamen „ nobis ad adorandum proposita, sed „ Deum adorans ipsum, qui e sua carne „ genitus e cœlo, ac paterno sinu descen- „ derat. *Et n. 7.* Verbum e Virgine „ susceptum corpus induens, non ideo „ tamen, ut hæc adorari debeat, aut, „ ut

„ ut eam Divinam ad naturam, condi-
„ tionemque transferat, neque, ut sa-
„ crificium illius in nomen offeratur &c.
„ honoretur sane Maria; Pater vero,
„ Filius, & Spiritus sanctus adorentur.
„ Mariam adorare nemo velit. Non
„ enim mulieri, ac ne viro quidem, sed
„ uni Deo mysterium illud, cultusque
„ tribuitur; adeo, ut nec Angeli ipsi
„ tanto honori pares esse videantur.

II. Pars pariter constat; quia Beata Virgo etsi creatura sit, est tamen excellentissimis donis supra omnem aliam creaturam decorata, est gratia plena, est ab originalis, & actualis peccati labe immunis, est Sacrarium Spiritus sancti, est Verbi Divini habitaculum, est Mater Dei, & Deo propinquissima, inde est, quod S. Athanasius oratione 3. contra Arianos eam appellet *Reginam omnium, honoratiorem Cherubim, sanctiorem Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus Supernis excellentibus gloriosiorem, spem Patrum, & gloriam Prophetarum.* Et ita major ei debetur veneratio, ac cæteris Sanctis, & Angelis, id est, hyperduliæ.

III. Et D. Thomas in c. 8. ad Rom. lect. 5. docet Deiparam uberiori gratia fuisse præditam, quam quæ cæteris Sanctis obtigerit: Unicuique (Deus) dat gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur. Sicut homini Christo data est excellen-

tissima gratia; quia ad hoc est electus, ut ejus natura in unitatem Personæ Divinæ assumeretur, & post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ B. Maria, quæ ad hoc est electa, ut esset Mater Christi. Idem S. Doctor 3. p. quæst. 25. art. 5. docet Deiparam non solum eo, quo cæteri Sancti, sed præstantiori quodam cultu colendam, qui dicitur hyperduliæ, quo neque Sanctos, neque Angelos veneramur.

ARTICULUS II.

Solvitur Objectio contra primum Assertionis membrum.

INquiunt. Idem honor est exhibendus Matri Regis, qui exhibetur Regi, & ideo dicitur lib. 3. Reg. c. 2. ℣. 19. *Positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Item honor Matris refertur ad filium: si ergo filius latria adoratur, similiter & Mater. Repono. cum S. Thoma 3. p. quæst. 25. a. 5. ad 1. *Quod Matri Regis non debetur æqualis honor, honori, qui debetur Regi: debetur tamen ei quidam honor consimilis ratione cujusdam excellentiæ.* Et hoc significat authoritas adducta ex Scriptura.

Addo, quod Mater Regis Terreni sit capax ejus honoris, qui datur Regi, si Rex voluerit Matrem eo honorare, ut de Salomone dicitur loc. cit. At vero Maria Mater Dei, cum sit pura creatura, non est capax latriæ, qui est honor debi-

tus

tus Filio ejus, qui est Deus. Imo Maria adorat Deum latria: ejusdem autem non est latriam exhibere, & recipere; sicut ejusdem non est creari, & creare; unde Doctor Angelicus in 3. dist. 22. q. 3. a. 3. quæstiuncula 3. ad 3. inquit: *Quamvis Beata Virgo sit super Angelos exaltata, non est tamen exaltata usque ad æqualitatem Dei, vel unionem in Persona. Et ideo non dicitur sedere ad dexteram, sed adstare a dextris, in quantum honor Filii aliquo modo participative, non plenarie redundat in Ipsam, in quantum dicitur Mater Dei, sed non Deus.* Ad aliud respondeo cum eodem S. Thoma 3. p. q. 25. a. 5. ad 2. Et in 3. dist. 9. q. 1. a. 2. quæstiuncul. 3. ad 1. *Quod honor Matris refertur ad Filium, non sicut ad subjectum, scilicet, ut sit unus motus in Matrem, & in Filium, sicut est in Imaginibus; sed refertur in Filium, sicut in finem; quia propter Filium Mater honoratur.*

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones contra secundum membrum Assertionis.

I. INquiunt Cultum, quo veneramur Mariam, esse excessivum, & producunt locum apud Petrum Damiani serm. 1. de Nativitate S. Mariæ: „ Fecit tibi magna, qui potens est; & „ data est tibi omnis potestas in cœlo, „ & in terra, & nihil tibi impossibile,

„ cui possibile est, desperatos in spem „ beatitudinis relevare. Quomodo enim „ illa potestas potentiæ tuæ poterit ob- „ viare, quæ de carne tua carnis susce- „ pit originem? accedis enim ad illud „ Aureum reconciliationis Altare non „ solum rogans, sed etiam imperans; „ Domina, non ancilla. „ Repono. Nihil vetare, ne paululum excedatur in modo, si quis Mariam voluerit magnificare, nam etiam Josue c. 10. ℣. 14. legitur per exaggerationem scriptum: *Obediente Domino voci hominis.* Vide Petrum Canisium de Maria Deipara lib. 5. c. 10. Deinde Joannes Episcopus Castoriensis in tract. de Sanctorum, & præcipue Beatissimæ Virginis Mariæ cultu tract. 3. §. 65. hanc verborum S. Petri Damiani interpretationem proponit, ut verba illa Damiani: *Accedis enim ad illud Aureum humanæ reconciliationis Altare*, de humana natura Filii intelligenda sint: illa autem: *Non solum rogans, sed etiam imperans, Domina, non Ancilla*, non ita sint accipienda, quasi dicat, Mariam Filio dominari, aut impetrare, sed cæteris imperare creaturis.

II. Inquiunt Calvinistæ, quod nos colendo Mariam ab ea petamus, ut jubeat, Filium nobis dare, quæ postulamus: *Roga Patrem, jube Natum,* quod videtur absurdum. Repono. Hanc calumniam Orthodoxis impactam repelli a Bellarmino tom. 2. Controver. lib. 1. de Sanctor. Beatit.

c. 16.

c. 16. dicente : *At quis nostrum hoc dicit? cur non probat* (Calvinus) *ullo exemplo*? Sed Rivetus Heterodoxus Author cum reperisset specificatam precandi formulam Cornelio de Snechis, Jacobo de Voragine, Pelbarto, Costero, & Quirino de Salazar probari, ita Bellarmino insultare est ausus: *An potuit jure Bellarminus exclamare :* At quis nostrum hoc dicit? *En Bellarmine! præter alios, duo ex Sodalitio tuo non ignobiles.* Verum Bellarmini causam defendendam suscepit idem Joannes Episcopus Castoriensis eodem tract. 3. §. 63. & 66. Vera enim Bellarminum dixisse contendit, nam & illorum Authorum quidam adeo obscuri sunt nominis, *ut quod ab illis solummodo scriptum, a nullis scriptum dici possit, & merito ignoraverit Bellarminus legendis celebriorum Authorum scriptis occupatus.* Et ex iisdem nonnulli, præsertim Costerus, & Salazar scripserunt post Bellarminum; *quia cum hoc scriberet Bellarminus, necdum scripserat Quirinus de Salazar, & forte necdum scripserat Costerus, quod illum Rivetus dicit scripsisse.*

III. Inquiunt. Dum Catholici Mariam veneramur, vocamus eam *Redemptricem*, *Mediatricem*, utimur hac quandoque precandi formula: *Avertatur a me ira Dei per te*, quæ omnia Chtisto unico Redemptori, Mediatori, per quem unicum ira Dei aversa est a nobis, injuriosa sunt. Repono. Nos quidem vocamus interdum Mariam *Redemptricem*, *Mediatricem* per quam a nobis avertitur ira Dei, diverso tamen sensu, ac Christum Filium ejus

ejus; nam Christum vocamus, & credimus *Redemptorem*, ac *Mediatorem* immediate; quia sua authoritate, & suis meritis nos Deo reconciliavit in sanguine suo. Mariam vero dicimus *Redemptricem*, *Mediatricem*, *Advocatam* solum; quia genuit Redemptorem, & quia non pure suis meritis, sed per merita Christi a Deo Patre pro nobis obtinet, & intercedit, quod Christo Mediatori non præjudicat, sed eum potius extollit, quod nempe nihil sine ipso, nec nisi per Ipsum quispiam a Deo quidpiam obtinere possit.

Petes. Qui sint modi rite, recteque precandi Deiparam?

Respondetur. Hos modos præcipue esse sequentes. Primus modus est illa oratio sumpta ex Divo Augustino: *Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem.* Secundus modus est oratio secreta in Missa de Vigilia Assumptionis: *Munera nostra, Domine, apud tuam Clementiam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.* Tertius modus est celebre Canticum *Salve Regina*, ubi dicitur: *Eja ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; & Jesum Benedictum Fructum Ventris tui nobis post hoc exilium ostende.*

Pe-

Petes. Quis piam hanc Oratiunculam composuerit?

Respondetur. Eam precatiunculam a quibusdam tribui Petro Archiepiscopo Compostellano, qui vixit sæculo decimo, juxta ea, quæ leguntur apud Mabillonium tom. 4. Annal. Benedict. ad A. C. 986. pag. 38. *Petrus Episcopus Compostellanus cognomento de Moson, qui ante Episcopatum Monasterii S. Petri ante Altaria in eadem Urbe Abbas extiterat. Hic piam Antiphonam de B. Virgine, nempe Salve Regina, composuisse dicitur.* Quod etiam antea tradiderat Durandus in Rationali lib. 4. c. 22.

Alii vero Authorem hujus Antiphonæ putant esse B. Hermannum Contractum Monachum Benedictinum, qui sæculo undecimo, etsi litterarum expers, intercedente B. Virgine, adeo floruit doctrina, ut ætate sua neminem habuerit parem. Igitur Canticum *Salve, Regina* cum composuisset, & jam in Ecclesiis caneretur, forte S. Bernardus tum temporis Apostolicus in Germania Legatus a Spirensibus Clericis illud audivit, atque ea statim verba addidit: *O Clemens, o Pia, o Dulcis Virgo Maria.* ut habetur in Chronico Spirensi Guillelmi Einsengeri lib. 12. ad A. C. 1147.

Petes. Quis auxerit salutationem Angelicam? Cur quotidie ad pulsum campanæ in aurora nempe, meridie, & vespere recitetur?

Respondetur ad I. In Angelica salutatione additionem illam *Sancta Maria* &c. in nulla precum for-

formula ante A. C. 158. fuisse repertam testatur Grancolas in Breviarium Romanum c. 25. sed tunc temporis usurpari cœpisse: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen.* Fratres Minores addidisse postea verba illa: *Nunc, & in hora mortis nostræ*; ut legitur in eorum Breviario edito A. C. 1515. sic eruditissimus D. Joseph Catalanus in Pontifical. Roman. tom. 2. tit. 15. §. 2. n. 2.

Respondetur ad II. Cum Ecclesia eam horam perspectam non habeat, qua Divina Conceptio in Virginali utero sit effecta, singulisque diebus tantum Mysterium a Fidelibus recoli cupiat, tribus diversis diei temporibus, aurora illucescente, meridie, & cum advesperascit, campanis signum dari jubet, quo Fideles ad hoc mysterium celebrandum excitentur.

QUAESTIO II.

Quantæ efficaciæ sit intercessio Beatissimæ Virginis Mariæ?

ASSERTIO.

Patrocinium Gloriosissimæ Virginis, majoris, & validioris est virtutis, quam omnium Sanctorum.

REm hanc Theologice tractat Suarez *in 3. p. D. Thomæ tom. 2. quæst. 37. a. 4. disp. 23. sect. 3.* ubi

3. ubi hæc leguntur notatu dignissima: „ Quin
„ potius si vera sunt, quæ de charitate,
„ & gratia B. Virginis in superioribus
„ docuimus, existimo a B. Virgine in
„ hac potestate, & efficacia non solum
„ Sanctos singulos, sed omnem etiam
„ cœlestem Curiam superari. Itaque si
„ cogitatione fingamus B. Virginem ali-
„ quid postulare, totamque Curiam cœ-
„ lestem illi resistere (sicut apud Da-
„ nielem unus Angelus alteri resistebat)
„ potentior esset, majorisque efficaciæ,
„ & valoris apud Deum Virginis, quam
„ reliquorum Sanctorum omnium Ora-
„ tio. Et ita quidem sentiunt sancti Pa-
„ tres . . . . estque dignitati Matris
„ consentaneum, & perfectissimæ gratiæ,
„ charitatis B. Virginis quodammodo
„ debitum; & ideo Ecclesia & frequen-
„ tius, & altiori quodam modo orat ad
„ Virginem, quam ad reliquos Sanctos.

Idem Theologus sequenti sect. 3. probat, B. Mariam esse Mediatricem apud Mediatorem, per quam tamquam per collum a capite omnia in corpus defluunt: ex quo infert, nos apud unum Sanctum non uti alterius Sancti intercessione; Sancti enim omnes ejusdem sunt ordinis; sed alios

ta-

tamen Sanctos adhibere intercessores apud B. Virginem, tamquam Reginam, & Dominam, salutationem Angelicam ipsis recitantes, ut eam pro nobis B. Virgini repræsentent; præterea ad hujus, vel illius Sancti peculiarem intercessionem nos confugere pro obtinendo hoc, vel illo beneficio; B. Virginis tamen pro rebus omnibus sine ullo discrimine opem implorare.

Petes. An, & qua ratione exteriorum Marianorum symbolorum, puta sacri Scapularis, Rosarii, Cingulorum, Imaginum &c. devotio conferat ad salutem?

Respondetur. Joannes Episcopus Castoriensis tract. I. *de cultu Sanctorum*, & B. Virginis §. 55. ostendit, nullam Scapulari, aut Rosario, aut Cingulis, aut Imaginibus fieri injuriam, *si quis dicat, hæc nihil profutura* (meritum intelligens de condigno) *si desit charitas, si Christum non felicius corde, quam hæc symbola carne gestemus:* & §. 56. Omnia hæc symbola multum juvare dicit, si ea gestans, B. Virginis studeat innocentissimos mores imitari: his symbolis, & signis B. Virgini colendæ determinatis ostendit §. 57. nimis multos abuti. Ac §. 58. & seq. demonstrat, malum eorum usum in eo esse, quod quidam ab illis æternæ salutis securitatem nimis fidenter sibi polliceantur. Inde Rivetus Hæreticus eam adversus Catholicos confinxit calumniam: *Notandum est, cum omnibus sceleribus consistere posse in Papatu devotionem circa Deiparam.* Quem refellit idem Castoriensis Episcopus tract. 3. §. 55. No-

Nominet Rivetus vel unum ex Catholicis Scriptoribus, qui dicat, æternam salutem sola exteriorum symbolorum devotione posse comparari, & devotionem erga Deiparam cum peccatis posse consistere. Audiat autem Rivetus, quod ego ex Calvinistarum doctrina deduco. In Calvinistarum synodis definitur, qui semel Baptismo regenerati sunt, & gratiam sanctificantem acceperunt, eos neque regenerationis fructum ullo unquam tempore amittere posse, neque fidem, quæ salvos facit, neque charitatem, neque securitatem illam, in qua de retinenda Dei gratia certi sunt. Jam si gratia, & justitia non amplius amittuntur, inde consequitur, posse homines teterrima scelera perpetrare, quin & filii Dei, & de æterna salute securi esse desinant.

Dum tamen Prædicatores Verbi Dei Marianum extollunt cultum, viderint, ne symbolis Marianis eam de publico suggestu attribuant efficaciam, quæ cum sacræ Theologiæ principiis conciliari non potest, habeantque præ oculis mentem citati Episcopi Castoriensis, ne dicta ipsorum simpliciter, absolute, plus æquo exaggerative prolata intermissa verborum explicatione in pravum sensum detorqueantur. Habeant præ oculis id, quod mox subjicietur.

Petes. Quo sensu B. Virgo dicatur *Refugium Peccatorum*?

Respondetur. Bailletus, seu quis alius Author Tractatus *de Devotione, & Cultu erga Deiparam*;

U Lu-

Lutetiæ Parisiorum editi A. C. 1696. c. 9. censet hoc esse de peccatoribus intelligendum, quibus est animus emendandi suos mores, quique de redeundo in Dei gratiam sedulo cogitant. Ne quis tamen forsitan putet, per hoc doceri cultum erga Beatam Virginem fore deserendum peccatori, nihilque ejus preces profuturas, aliosque pios actus, si de sua conversione non cogitet, advertendum id ex propositionibus Joannis Episcopi Castoriensis superius allegatis minime sequi: peccatoris enim oratio impetratoria est ex mera Dei misericordia, modo *pro se petat necessaria ad salutem pie, & perseveranter*, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 83. a. 6. Fieri enim potest, ut infinita Dei misericordia peccatoris oratio exaudiatur, etiam sine proposito emendandæ vitæ; dummodo non tam obstinato sit animo, ut omne pœnitentiæ consilium perpetuo abjecerit, piaque devotione, & firma fide in oratione perseveret, a Deo petens auxilia, quæ sibi necessaria sunt ad consecutionem salutis æternæ. Videatur Suarez de Relig. tom. 2. lib. 1. c. 25.



QUAE-

QUAESTIO III.

An, & quomodo sanctos Angelos colere liceat?

ARTICULUS I.

Sancti Angeli recte honorantur religioso duliæ cultu.

I. SAcra Scriptura perhibet sanctos Angelos in Veteri Testamento pluries fuisse ab hominibus Sanctis aliquo cultu honoratos, eumque ab iis fuisse admissum, quod non fuisset factum, si eos colere illicitum esset. Ita num. c. 22. ℣. 31. legitur: *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via evaginato gladio, & adoravit ipsum pronus in terram.* Josue c. 5. ℣. 13. 14. & 15. hæc habet: *Cumque esset Josue in agro Urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: noster es, an adversariorum? qui respondit: nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait &c.*

II. Sancti viri, qui Deum unum colebant, Reges tamen, ut in Divinis est Litteris, adorabant, id est, supplices venerabantur, quod si Reges, per quos Deus mundum gubernat, tanto honore afficiuntur, Angelicis spiritibus, quos Deus Mi-

nistros suos esse voluit, & quorum opera non modo ad Ecclesiæ suæ, sed etiam ad reliquarum rerum gubernationem utitur, quorumque ope maximis tum animæ, tum corporis periculis quotidie liberamur, etsi a nobis non conspiciantur, tanto majorem honorem debemus, quanto beatæ illæ mentes dignitate Regibus ipsis antecellunt, at hos veneramur politice, & civiliter: ergo Angelos religioso duliæ cultu.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Apocal. c. 19. ℣. 10. Angelus Joannem adorare se volentem prohibuit dicens: *Vide, ne feceris, conservus tuus sum, & Fratrum tuorum . . . . Deum adora.* Similem repulsam ab Angelo passus est S. Joannes in eadem Apocalypsi c. 22. ℣. 9. Repono. S. Augustinus lib. 20. contra Faustum ait, Angelum prohibuisse, se pro Deo adorari, sic enim apparuerat, ut pro Deo adorari posset. Deinde Angelus non ideo prohibuit Joanni, ne se honoraret, quasi illa honoratio esset idololatria, alias nec in Veteri Testamento hanc honorationem Angeli admisissent, sed quia indecens existimavit, ut homo, cujus natura ad unionem cum Deo fuerat elevata, & propterea fuerit Angelis homo æqualis effectus ante Angelum adoraturus procumberet, *neque enim* (ait S. Gregorius lib. 27. c. 8.) *jam debebat in mem-*

membris subjecta despici, quæ in ipso membrorum capite meruit prælata venerari. Concordat S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1. ubi hanc eandem prædictæ prohibitionis adferens rationem ait, *tunc ad ostendendam dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelis æquetur; unde ibi subditur: conservus tuus sum, & Fratrum tuorum; tum etiam ad excludendam idololatriæ occasionem; unde subditur: Deum adora.* Potest enim dici, quod Angelus a Sancto Joanne honorari noluerit ex reverentia erga illum, quia fuit Apostolus, Evangelista, Prædicator Verbi Dei, Custos Virginis, dilectus Christi Discipulus, & brevi futurus Martyr. Universim autem, dum legimus Angelos recusasse, ne se homines venerarentur, eo id fecisse ipsos intelligendum est, quod sibi eum honorem deferri nollent, qui soli Deo deberetur: *Deum adora.*

II. Inquiunt. Apostolus ad Colosſs. c. 2. ℣. 18. monet: *Nemo vos seducat . . . . in religione Angelorum.* Igitur Angeli religiose colendi non sunt. Repono. Divum Paulum loco allegato avocare Colossenses a secta eorum, qui de Christo nimis exiliter sentientes, præferebant ei Angelos, eosque honorabant, vel tamquam Mundi Creatores, vel tamquam Mediatores, ac Conciliatores solos, quorum opera, & interventu nos relicto Christo Deo reconciliari oporteret; unde addit Paulus ℣. 19. *Non tenens caput*; quia ille, qui ita colit Angelos, Christo tamquam Capiti non adhæret. Vide S. Chrysostomum Homil. 7. in hunc locum.

III. Inquiunt. Canon Synodi Laodicenæ sic habet: „ Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ Congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicumque autem inventus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema sit, quoniam derelinquens D. N. J. Christum, accessit ad Idola. „ Repono. In hoc Canone fit mentio Christi derelicti, & idololatriæ, quod nos Catholicos non tangit. Neque agit citata Synodus contra nos, qui nec invocamus Angelos tamquam Deos, nec illos interponimus, nisi, ut per Christum precibus suis a Deo beneficia nobis impetrent: Aliud est neglecto Rege invocare Ministrum ut gratiæ Authorem, aliud invocare Ministrum, ut per filium Regis, a Rege gratiam impetret. Non ergo a Patribus Laodicœnis prohibetur quilibet Angelorum cultus, sed is tantum, qui supra modum est creaturæ, & qui cum Christi contumelia conjungitur. Hic nempe notantur *Simoniani*, *Menandriani*, & alii id genus, qui Platonis dogmate imbuti, Angelis solis & mundi creationem tribuebant, & salutis nostræ opus committebant, eos tamquam Minores Deos Gentilium ritu venerantes relicto Christo, cujus testes sunt ii, qui eorum dogmata exposuerunt Irenæus, Tertullianus, Epiphanius. Theodoretus aperte docet de

Græc.

Græc. affect. serm. 3. de Angelis pag. 522. tom. 4. quod nos venerando Ss. Angelos, eos non faciamus Deos: *Hos tamen Deos non appellamus, nec Divinum illis cultum tribuimus, nec in Deum verum, & istos Divinam adorationem partimur, sed, hos quidem pluris esse, quam homines putamus, at conservos tamen opinamur.*

QUAESTIO IV.

Utrum Sanctis cum Christo regnantibus in Cœlo aliquis religiosus cultus debeatur?

PRAENOTIO.

PRo Sancto neminem licet venerari sine licentia Papæ, etiamsi in vita fecisset miracula, ut habetur in cap. *Audivimus 1.* de Reliquiis, & veneratione Sanctorum ibi: *Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis pro Sancto absque authoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.* Sanctus igitur proprie, & stricte captus, & veneratione dignus, est omnis, & solus ille, qui rite canonizatus, id est, per Pontificem *Albo*, seu numero, & catalogo aliorum Sanctorum publice, solemniter, ac canonice adscriptus tamquam Sanctus declaratus, & definitus est, addito statuto, ut ab omnibus pro tali habeatur, & colatur. Item Beatus proprie, & stricte captus, est omnis, & solus ille, qui ex

speciali concessione Summi Pontificis ab aliqua Provincia, Religione, vel loco tamquam in Cœlis existens cultu aliquo publico v. g. recitatione Divini Officii, celebratione Missæ. expositione publica ejusdem Reliquiarum ad normam concessionis Pontificiæ coli, & honorari potest.

ARTICULUS I.

Sancti ab Ecclesia canonizati honorandi sunt aliquo cultu religioso.

I. QUia Sancti habent propriam, ac supernaturalem excellentiam gratiæ sanctificantis, luminis gloriæ, visionis, & fruitionis beatificæ, per quæ redduntur digni amicitia Dei, & a fortiori, honore, reverentia, & submissione nostra.

II. Quia homines sancti adhuc viventes permiserunt aliquo cultu se honorari, sic lib. 3. Reg. c. 18. ℣. 7. cum Abdias Eliæ occurrisset, & eum cognovisset, *cecidit super faciem suam*; quod utique civilis observantiæ non fuit tantum testimonium, sed religiosæ venerationis, qua eximiam viri Deo acceptissimi sanctimoniam prosequebatur; Abdias quippe inter Aulæ Proceres conspicuus civili dignitate Eliam antecedebat. Item lib. 4. Reg. c. 2. cum filii Prophetarum, qui erant in Jericho, cognovissent, spiritum Eliæ super Elisæum requievisse, venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram: & c. 4. narratur

tur Sunamitidem, postquam filium suum ab Elisæo suscitatum recepit, corruisse ad pedes ejus, & adoravisse super terram.

Ex quo sic: Si honorari possunt sancti homines adhuc viventes: ergo etiam Martyres, cæterique Sancti, qui præstantiori excellentia gratiæ, & gloriæ inamissibiliter cum Deo in cœlis perfruuntur; quem honorem eis promisit, Christus Joan. c. 12. ℣. 26. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Et Matth. c. 19. ℣. 28. *Cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Quæso, quis recusabit honorare eos, quos scit sessuros cum supremo Judice quasi Cojudices? hinc David Psal. 138. ℣. 17. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.*

III. In Concilio Nicœno secundo Actione tertia tom. 4. collect. Hard. col. 150. sic statutum est: „ Apostolicas autem Ecclesiæ traditio„ nes, per quas honorare, & adorare „ Sanctos, & salutare docemur, susci„ pimus, & amplectimur, venerantes „ eos ut famulos, & amicos, atque fi„ lios Dei. Honor enim, qui circa de„ votos conservorum agitur, probatio„ nem habet bonæ voluntatis erga com„ munem exhibitæ Dominum. Illi enim

„ cellaria Dei, & habitacula munda, san-
„ cti Spiritus purissima specula facti sunt.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Honor ille, quo leguntur honorati Angeli, & sancti Viri, fuit mere civilis, & politicus. Repono. Josue veneratus fuit Angelum; quia dixit se esse Principem exercitus Domini, Abdias Eliam; quia eum considerabat virum Dei gratia plenum, Filii Prophetarum, & Vidua Elisæum; quia Spiritus Dei ab Elia in ipsum transierat, & quia Dei virtute suscitaverat filium ejus: ergo erat cultus, & honor sacer, ac religiosus, quo in illis venerabantur Deum, & Dei virtutem, quæ ipsos repleverat, non autem excellentiam aliquam mere naturalem, humanam, & civilem.

II. Inquiunt. Cultus, qui exhibetur Sanctis ob eorum sanctitatem non elicitur ab habitu supernaturali religionis: ergo non est religiosus, sed mere politicus. Repono. Cultum, qui Sanctis penditur non esse actum religionis stricte sumptæ; cum religio sic spectata, sit virtus moralis inclinans hominem ad reddendum cultum Deo debitum propter supremam ejus excellentiam, est tamen cultus ille religiosus, quatenus penditur Sanctis ob supernaturalia, & non mere naturalia dona.

AR-

ARTICULUS III.

Sanctis competit cultus Duliæ absolutæ.

I. QUia veneratio proportionatur excellentiæ, in qua fundatur, & est in eodem ordine: excellentia autem Sanctorum, cum sit finita, & creata, est infinite inferior excellentia Divina, & cum sit supernaturalis, est major veneratione politica, quæ est naturalis: ergo Sancti ob suam excellentiam supernaturalem creatam colendi sunt cultu Duliæ; nam hyperdulia competit soli Deiparæ.

II. Cum autem cultus absolutus sit ille, qui fundatur in excellentia propria, & intrinseca personæ, quæ colitur, & excellentia Sanctorum sit ipsis propria, & intrinseca, cum consistat in gratia sanctificante, & gloria, quæ ipsis inhærent, illosque in excellenti gradu perfectionis, & sanctitatis constituunt: consequitur ejusmodi duliæ cultum, quo Sanctos veneramur, esse absolutum.

ARTICULUS. IV.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Latria, & Dulia idem significant: ergo cum Sanctis non competat cultus latriæ, nec duliæ competere potest. Repono. Latriam, &

& Duliam idem significare ex vi nominis, & secundum etymologiam, non vero ex usu nunc in Ecclesia recepto; nam ex usu Ecclesiæ latria accipitur pro cultu summæ servitutis, quæ soli Deo debetur ob summam, & infinitam ejus excellentiam: dulia vero pro cultu aliquo inferioris servitutis, quo nos Sanctis submittimus ob supernaturalem eorum excellentiam creatam fundatam in gratia habituali, lumine gloriæ, fruitione Dei, aliisque donis supernaturalibus a Deo acceptis.

II. Inquiunt. Nos non sumus servi, sed conservi Sanctorum: ergo cum Dulia dicat cultum per modum alicujus servitutis, hac Sanctos colere non possumus. Unde Augustinus quæst. 94. in Exodum dicit: *Dulia debetur Deo tamquam Domino, latria vero non nisi Deo tamquam Deo.* Repono. Nos esse conservos Sanctorum relate ad Deum supremum Dominum, cujus Sancti, & nos, imo omnis creatura ut Primo Principio, & Ultimo Fini famulatur: At comparati ad invicem nos viventes in terris dici possumus aliquo modo servi Angelorum, & Beatorum in Cœlis, quatenus illi nos movent, & juvant ad bene operandum exemplo suo, & intercessione apud Deum; ideo eorum servi dicimur veneratione, & obsequio. Idcirco S. Paulinus carm. 1. de S. Felice sic eum precatur:

O Pater! o Domine! indignis licet, annue servis.

S. Augustinus est pro me; nam ex eo, quod dicat, latriam dari Deo, ut Deus est, duliam

Ve-

vero eidem, ut Dominus eſt, colligitur latriam non poſſe concedi creaturæ: at duliam poſſe communicari creaturæ; quia multi ſunt vere, & proprie Domini. Quamquam interim fatear duliam, qua colitur Deus eſſe duliam per excellentiam, cum qua ſolum analogice convenit dulia, qua coluntur Sancti.

III. Inquiunt. Deuter. c. 6. ℣. 13. habetur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies*, quo Chriſtus contra diabolum uſus eſt Matth. c. 4. ℣. 10. *Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Dein 1. ad Timoth. c. 1. ℣. 17. dicitur: *Soli Deo honor, & gloria.* Iterum ad Galat. c. 4. ℣. 8. *Iis, qui natura non ſunt Dii, ſerviebatis.* Repono. Iſta, & ſimilia loqui de adoratione, & ſervitute ſuprema, quæ ſoli Deo debetur, & nulli extra Deum exhibenda eſt, non vero de veneratione, & ſervitute quacunque. Nec etiam per hoc, quod dicatur ſoli Deo ſerviendum eſſe, excludenda eſt quæcunque ſervitus alteri a Deo, ſed ſolum præcipitur, ne ea ſervitus, quæ præſtari debet Deo, ulli alteri, qui non ſit Deus, præſtetur. Nam hoc præcepto non obſtante dicit Iſaac Jacobo Gen. c. 27. ℣. 29. *Serviant tibi populi, & adorent te Tribus: eſto Dominus Fratrum tuorum.* Ex quo ſic: Solus Deus dicitur Dominus, & tamen alii præter Deum ſunt Domini: Soli Deo honor, & tamen alii præter Deum ſunt honorandi: igitur, præfatis verbis non prohibetur, quin alteri a Deo abſo-

solute serviatur, aut honor exhibeatur, sed solum, ne ea servitute, qua servitur Deo, alteri serviatur, & ne honore Deo debito, alter honoretur.

Ad retundendas calumnias Novatorum, qui vociferantur, Catholicos Sanctis, ac B. Virgini honorem impendere Divinum, audiatur Augustinus lib. 20. c. 21. respondens Fausto Manichæo calumnianti Catholicos Gentium Idola in Martyres vertisse; *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis: quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata: at vero illo cultu, qui græce dicitur latria, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.*

Neque venerando Sanctos Martyres facimus eos Deos. Præclare iterum de hoc S. Augustinus lib. 22. de civ. Dei c. 10. *Nobis Martyres non sunt Dii, quia unum, eumdemque Deum & nostrum scimus, & Martyrum.* S. Cyrillus Alexandrinus contra Julianum lib. 6. tom. 6. pag. 203. inquit: *Sanctos porro Martyres neque Deos esse dicimus, neque Divino cultu scilicet illos adorare solemus, sed affectus, & honoris; quin potius summis honoribus illos ornamus, puta, quod pro veritate strenue certaverint, sinceritatemque fidei eo usque servarint, ut animam ipsam contempserint, repudiatisque mortis terroribus periculum omne vicerint &c. Nos autem non dicimus, sanctos Martyres fuisse Deos, sed illos omni veneratione prosequi solemus, eorumque loculos honoramus,*

tam

tam claræ virtutis remunerationem veluti quamdam, ac præmium ipsis immarcescibilem memoriam reponentes. Theodoretus de Græc. affect. serm. 8. de Martyribus pag. 597. differens hæc habet : *Quid vos igitur, qui tot numero mortuos homines Deos appellastis, nobis succensetis, qui non Deos facimus, sed honoramus Martyres, tamquam Dei testes, servosque amantissimos.* pag. autem 599. *At nos, o viri, nec hostias Martyribus, nec libamina deferimus; sed, ut Sanctos, Deique amantes honoramus.* Qui ad Martyrium hortabantur, hortabantur ad illud subeundum, non ut Martyr fieret Deus, sed amicus Dei: *Quis ergo non omnibus viribus elabòret ad tantam charitatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat, ut post tormenta, & supplicia terrena præmia divina percipiat* ? Verba sunt S. Cypriani de exhortatione Martyrii pag. 526.

ARTICULUS V.

Solvuntur aliæ Objectiones.

I. INquiunt. Sancti eatenus coluntur, quatenus sunt quædam Templa Dei, in quibus Deus specialiter habitat. II. Deus honoratur in Sanctis, quoties ipsi honorantur propter suam sanctitatem. III. Sancti coluntur tantum propter Deum: ergo Sancti coluntur cultu relativo, non absoluto. Repono ad I. Sanctos esse etiam dignos dulia absoluta, cum sint colendi propter excellentiam sibi propriam, & intrinsecam, quam a Deo acceperunt.

runt. Ad II. Deus dicitur honorari in Sanctis, tum quia Sancti specialem habent conjunctionem cum Deo, & sic illorum honoratio est quædam Dei honoratio, sicut honoratio filii adoptivi Regis, est quædam honoratio Regis. Tum; quia excellentia Sanctorum, propter quam honorantur, & quæ in gratia habituali consistit, est singularis quædam, & excellens naturæ Divinæ participatio, specialemque habet relationem ad Deum. Tum; quia cultus Sanctis exhibitus propter eorum excellentiam intrinsecam refertur ultimate ad Deum tamquam ad Authorem illorum excellentiæ, & ad finem ultimum. Ad III. Sancti coluntur propter excellentiam suam, quæ specialem habet ad Deum habitudinem, cum consistat in eximia quadam naturæ Divinæ participatione: attamen excellentia illa est ipsis intrinseca, & sic coluntur propter excellentiam sibi propriam, & intrinsecam a Deo acceptam, ac proinde coluntur cultu Duliæ absolutæ, *honorantur Sancti propter eorum justitiam, & sanctitatem*, ait Adrianus I. in Epist. ad Imperatorem.

QUAESTIO V.

Utrum pie, ac religiose instituta sint Festa in honorem Deiparæ, Aliorumque Sanctorum?

PRAENOTIO.

DE diebus cultui Dei Optimi Maximi sacrandis extat præceptum in Veteri Testamento Exod.

Exod. cap. 20. ℣. 11. ubi juſſum erat: *Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices .... ſex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificavit eum.* Apoſtoli vero diem Dominicum Sabbathi loco ſuffecerunt, quia eo die Salvator noſter ad immortalem vitam reſurrexit. Hinc in Apocalypſi Sancti Joannis c. 1. ℣. 10. habetur: *Fui in ſpiritu in Dominica die.*

ASSERTIO.

Sancte inſtitutæ ſunt Feſtivitates ad honorandam B. Virginem, & Sanctos in Cœlis triumphantes.

I. QUia in Veteri lege præter Sabbathi celebritatem, alii quoque dies Feſti deſignati fuerunt, ut præclara Dei opera religione, ac memoria Judæi proſequerentur, & fortia geſta præſtantium mulierum celebrarent Judith, Eſther, Machabæorum, & aliorum, qui inter ipſos Judæos immortalem ſibi gloriam, & laudem comparaverant: ergo etiam congruum erat, ut in nova lege per Apoſtolos ſolemnes aliqui dies inſtituerentur, in quibus honores ſacri præcipuis religionis Myſteriis, & invictis Fidelibus decernerentur.

II. Quia Feſtorum inſtitutio, eſt determinatio quorumdam dierum, quibus peculiariter honoran-

tur Sancti, dum res præclare ab ipsis gestas, eorumque eximias virtutes in mentem revocamus, quæ nobis ad imitationem proponuntur, dum illorum patrocinium imploramus, Deoque gratias agimus, quod ipsos in partem æternæ gloriæ vocaverit, quæ omnia pia, sacra, & recta sunt, in Dei gloriam, & honorem redundantia, cujus Sancti Amici sunt. Nec inde periculum ullum imminet introducendæ Idololatriæ, cum hæc Festorum institutio, Deo sit in memoriam Sanctorum dicata, ex qua solus Duliæ cultus derivatur.

III. Quia pro hujus observantiæ antiquitate pugnant sæculo primo Clemens lib. 8. Consttit. c. 39. jubens servari Festa Apostolorum, ac Martyrum. Sæculo secundo Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium lib. 4. Hist. c. 15. his verbis: *Quo in loco etiam nunc præstante Domino, solemnes agimus, celebresque conventus, maxime quidem in die passionis ejus, sed & eorum memoriam, qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi, ad Prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur.* Sæculo tertio Origenes Homil. 3. in diversos Evangelii locos, ait Festum Innocentium puerorum recte in Ecclesia celebrari, propterea, quod Martyrum illi fuerint Primitiæ.



QUAE-

QUAESTIO VI.

Num proprie Deiparæ, ac Sanctis cum cum Deo regnantibus vota nuncupari possint, aut improprie tantum?

ASSERTIO.

Possunt aliquo modo vota Deiparæ, & Sanctis pie nuncupari;

I. QUia similia vota non sunt inductiva cultus latriæ Sanctis exhibendi, sed sunt puræ declarationes gratitudinis nostræ erga eos ob auxilia, & intercessiones eorum. Est enim voti significatio generalis, habeturque in eo cultus latriæ quoties Deo fit, quo privilegio caret, quando Sanctis nuncupatur, eo fere modo, quo orationes nostræ, quibus a Deo petimus beneficia, sunt latriæ actus, licet petitiones nostræ pro Sanctorum intercessione non sint latriæ actus, nec religionis, ut hæc est virtus specialis hominem erga Dei cultum disponens, sed ut est nomen generale. II. Quia ejusmodi vota pluries Sanctis nuncupata novimus. *Eusebius lib. 13. Præparat. Evangeli. c. 7.* ait: „ *Nos veræ pietatis milites ut Dei amicos honorantes ad monumenta illorum accedimus, votaque illis facimus tamquam Viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.* *Theodoretus lib. 8vo. ad Græcos*, postquam varia

 a Mar-

a Martyribus peti dixerat, subjungit: *pie, fideliterque precatos, ea maxime consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei persolvunt, nam alii quidem oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra ex argento, aurove confecta. Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Francorum c. 37.* refert, Ministros Clodovæi Regis ejus nomine fecisse votum S. Martino, sic enim ait: *Domino gratias agentes, & vota Beato Confessori promittentes læti nunciaverunt Regi &c.* Tum quia Faustus, ut videre est apud *Augustinum lib. 20.* contra Faustum *c. 3.* ait: *Idola vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis.* Ex quo apparet usitatissimum fuisse in primitiva Ecclesia, ut Sanctis vota nuncuparentur.

Dixi: *aliquo modo*, id est, *improprie*; quia promissio essentialiter constituens votum *proprie* dictum debet esse facta ipsi Deo, cum votum *proprie* sit actus religionis, seu latriæ soli Deo debitus; unde cum quis aliquid vovet B. Mariæ Virgini, aut Sanctis, intelligitur vovere Deo in honorem B. Mariæ Virginis, ac Sanctorum; sicuti enim cum Templa, seu Altaria B. Mariæ Virgini, aut Sanctis dedicantur, dicuntur dedicari Deo in honorem, & memoriam B. Mariæ Virginis, aut Sanctorum, ut explicat *S. Augustinus lib. 20.* contra Faustum *c. 21.* ita etiam cum vota nuncupantur Beatæ Mariæ Virgini, aut Sanctis, dicuntur nuncupari Deo in honorem B. Mariæ Virginis, aut Sanctorum, ut *docet S. Thomas 2. 2. q. 88. a.*

5. ad

5. ad 3. Ipſum quippe Deum coli, & honorari in Sanctis, fatentur Catholici omnes.

Alii vero aliter rem hanc explicant dicentes, quod votum in ſimilibus caſibus intelligatur fieri principaliter, ac primario ipſi Deo, Beatæ autem Mariæ Virgini; aut Sanctis ſolum ſecundario, ut teſtibus, Advocatis, & Interceſſoribus apud Deum, ſicque dicunt ſolemnem vovendi formulam Religioſorum: *Voveo, & promitto Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, B. N. & omnibus Sanctis.* habere hunc ſenſum: *Voveo Deo coram ſancta Maria Virgine, Beato N. & omnibus Sanctis, tamquam Teſtibus, Advocatis, Interceſſoribus.* Ita *Suarez lib.* 1. *c. 16. n. 17.*

QUAESTIO VII.

An Peregrinationes, quæ devotionis cauſa inſtituuntur ad Eccleſias, ad Imagines miraculis, & beneficiis claras, ſint laudabiles, & Deo gratæ?

PRAENOTIO.

TRitum eſt illud: *Peregrinus aut nunquam, aut tarde ſanctificatur*; de quo in celebri libro de imitatione Chriſti lib. 1. c. 23. *Qui multum peregrinantur, raro ſanctificantur.* Quia rarius omnia interveniunt, quæ peregrinationem juſtificant, habenda ſiquidem eſt reflexio cauſæ peregrinationis, obtentæ peregrinandi licentiæ, geſtorum, &

laborum in peregrinatione exantlatorum ad mentem Scacchi de not. & sign. sanctit. sect. 6. c. 7. Calvinus, & Magdeburgenses, Claudius item Taurinensis sacras Peregrinationes execrati sunt; at earum pietatem, & religiositatem latissime propugnarunt Thomas Waldensis tom. 3. tit. 15. Cardinalis Bellarminus de cultu Sanctorum lib. 3. c. 8. Gretserus in quatuor libris de Peregrinationibus, ubi multa scitu utilia reperiuntur; Theophilus Raynandus tom. 15. in opere, cui titulus: *Heteroclita spiritualia* pag. 213. & seq. cum quibus ponitur.

ASSERTIO.

Sacræ Peregrinationes sunt piæ, & laudabiles.

I. QUia *Absolom lib. 2. Reg. c. 15. ℣. 7.* ait David Patri suo: *Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* Et in Evangelio *Luc. c. 2.* Legimus Beatissimam Virginem, & Sanctum Joseph juxta consuetudinem, & legem Mosaicam singulis annis ad Templum Jerosolymitanum accessisse, ad quod etiam accedebant Gentiles, ut in eo Hebræorum Deum colerent; quemadmodum colligitur ex Evangelio *S. Joannis c. 12.* inter quos fuit ille Eunuchus Candacis, de quo in Actis *Apostolorum c. 8.* II. Quia a primis Ecclesiæ sæculis in more positum fuit, ut Fideles proficiscerentur ad sepulchra Martyrum,

& ad loca præcipuorum fidei nostræ mysteriorum operatione consecrata. Apud *Eusebium Hist. Eccles. lib. 6. c. 11.* hæc habentur : *Hac igitur visione tamquam divino admonitus oraculo Alexander cum ex Cappadocia, in qua primum Episcopus fuerat ordinatus, Jerosolymam profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia.* Item *in lib. 3. de vita Constantini c. 42.* refert idem Eusebius de S. Helena : „ Nam, cum illa debitum piæ „ affectionis munus Deo omnium Regi „ persolvere decrevisset, & pro filio suo, „ tanto scilicet Imperatore, ac pro filiis ejus Cæsaribus Deo charissimis „ nepotibus suis gratias cum supplica„ tionibus agendas sibi esse statuisset, „ quam affecta jam ætate, tamen ju„ venili animo properavit mulier sin„ gulari prudentia, ut terram veneratio„ ne dignam perlustraret, & Orientis „ Provincias, Urbesque, ac populos „ cum Regali quadam sollicitudine, ac „ providentia inviseret. Postquam ve„ ro Servatoris nostri vestigia debito „ cultu venerata est, prout olim Pro„ pheticus sermo prædixerat: Adorabi„ mus (inquit) in loco, ubi steterunt „ pedes ejus, continuo pietatis suæ fru„ ctum posteris etiam dereliquit. „

 S. Jo-

S. Joannes Chrysostomus in epist. 2. ad Corinth. c. 12. Homil. 16. hæc ait de peregrinatione ad sepulchra Martyrum : „ Hæc quippe sepul-
„ chra aliis Imperatorum sepulchris mul-
„ to splendidiora, & venerabiliora facta
„ sunt. In illis enim mira solitudo, in
„ his ingens hominum frequentia &c.
„ Atque hic quidem Imperator subdi-
„ tos suos Præfecto ita subjecit, ut ei li-
„ berum sit alios solvere, alios vinculis
„ astringere. At Sanctorum ossa non mi-
„ seram hanc, abjectamque potestatem
„ habent, verum illa multo majorem,
„ dœmones enim sistunt, & excruciant,
„ acerbissimis illis vinculis eos, qui
„ astricti sunt, solvunt &c. ideo nemo
„ est, qui peregrinationem unquam
„ inire sustineat, ut Imperatorum Au-
„ las videat: contra multi plerumque
„ Imperatores peregre profecti sunt, ut
„ hoc spectaculo fruerentur. „

Advertendum, quod in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, & signanter in Concilio quarto p. 1. *De Religiosis Peregrinationibus*, multa indicentur de modo, quo sacræ peregrinationes expleri debeant Suspectæ autem sunt mulierum peregrinationes, ni-

si vel

ſi vel illuſtri loco natæ, vel ob copioſum comitatum æque foris ſecuræ ſint, ac ſi domi hærerent: vel niſi ex ſpeciali Dei impulſu prudenter probato peregrinationes ſuſcipiant; quemadmodum pluribus proſequitur *Theophilus Rainandus loc. cit. pag. 217. Amatus Pouget in Inſtitut. Catholic. tom. 2. pag. 955.* plura exponit de peregrinationum utilitate, ſi ſancte inſtituantur, & de earum periculis, ſi quis eas incaute aggrediatur: &, ſi fas eſt ſacris miſcere profana, celebris eſt Epiſtola *28. Senecæ ad Lucilium*, ubi oſtendit, animum, non cœlum mutandum eſſe, & quamvis terræ, & urbes recedant, vitia tamen ſequi peregrinum, & errantem, ad quemcunque locum ipſe pervenerit.

Solvitur Objectio.

INquiunt. Deus eſt ubique, verique adoratores ſerviunt ei in veritate, & Penetralia cordis præcipue ipſe reſpicit. Repono. Hoc negari non poteſt, quod miracula potius in uno loco, quam in alio operetur Deus, cum ſit hoc de arcanis judiciorum ejus, ut Chriſtum feciſſe legimus *Luc. c. 4.* qui in Capharnaum, non autem in Patria miracula patravit, & de umbra Petri habetur, eam privilegiatam fuiſſe in ſanandis quibuscunque morbis, & hoc Jeroſolymis tantum, ut refert *S. Auguſtinus Epiſt. 137.* ad Clerum, & populum Hipponenſem *tom. 2.*

QUAESTIO VIII.

Utrum pie, ac religiose erigantur Oratoria, Basilicæ, Memoriæ Deiparæ, Martyribus, & Sanctis reliquis ?

ASSERTIO.

Ecclesiæ, Basilicæ, Oratoria non solum Deo, sed etiam Sanctis, id est, Deo in memoriam, & honorem Sanctorum sancte, & pie ædificantur, & dedicantur.

I. QUia David præparavit thesauros immensos, ut magnificentissimum Templum ædificaretur; uti habetur lib. 1. Paralip. c. 22. ℣. 14. *Ecce ego paupertate mea præparavi impensas domus Domini; auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum; æris vero, & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine; ligna, & lapides præparavi ad universa impendia.* Sanctissimum Davidem, quantum fas erat, imitari studuit piissimus Imperator Constantinus, qui Basilicam Principis Apostolorum egregia forma, & magnitudine a fundamentis extruxit. S. Henricus, qui Bambergensem fundavit Ecclesiam, quemadmodum habetur in Bulla Canonizationis, cum qua consonant, quæ ex ejus actis apud Surium leguntur eruta ex manuscriptis codicibus, & edita per Jacobum Gretserum: cumque Christianissimus

Rex

Rex Poloniam, Bohemiam, & Moraviam tributarias fecisset; ob reverentiam S. Laurentii Martyris, conculcationem, & destructionem Mersebur-gensis Ecclesiæ cœpit pio intuitu misericordiæ, & pietatis respicere, & ad nihilum redactam in ædificiis, & ministerialibus, in sæcularibus possessionibus, in Ecclesiasticis Ornamentis, in pristinum gradum, sicut Deo, & S. Laurentio voverat, studuit restaurare; nec prius ab operibus misericordiæ destitit, quoadusque ad antiquum statum dignitatis, & pristinum honorem religionis ex integro produceretur. S. Stephanus I. Rex Hungarorum, ut est in eius vita apud eumdem Surium primus Ecclesias in Hungaria erexit, ubi in civitate, quæ *Alba* dicitur insignem condidit Beatissimæ Virginis Basilicam.

II. Quia si Arcæ fœderis conservandæ lib. 1. Paralip. c. 28. ℣. 2. *Cogitavi, vt ædificarem domum, in qua requiesceret Arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri*, licitum fuit Ecclesiam erigere, pari æquitate ædificari poterit Ecclesia ad Reliquias Sanctorum recondendas: & in locis, in quibus Beata Virgo, aut illi miracula patrarunt, aut apparuerunt, ut ingredientes eiusmodi Ecclesias, ac Imagines horum Sanctorum conspicientes, vel nomen Patroni Ecclesiæ considerantes, hujus, aut horum facti memores, hunc, vel illos ceu Patronum, vel Patronos venerentur, ac colant, ad virtutum, quibus ille, vel illi floruerunt, excitentur imitationem, & ad referendas

das Deo gratias pro gloria Sanctis illis concessa stimulentur.

III. Quia S. Cyrillus catechesi 16. meminit Ecclesiæ Apostolorum erectæ Jerosolymis, in loco, ubi Spiritus sanctus descenderat. Anastasius in Epist. ad solitariam vitam agentes meminit Templi S. Quirini. Joannes Chrysostomus Homil. 28. ad populum ait; *Ad veras Regias Ecclesias dico, & Oratorias Ædes, & Catholicorum Templa.* Ambrosius lib. 1. Epist. 5. ad Episcopum Felicem Comensem: *Ortus est sermo, de Basilica, quam condidit, Apostolorum nomine dedicanda.* Hieronymus lib. contra Vigilantium: *Ingredere Basilicas Martyrum, & aliquando purgaberis.* Tandem S. Augustinus lib. 8. de civ. Dei c. 26. ait: *Sed hoc videtur dolere, quod Memoriæ Martyrum nostrorum Templis eorum* (id est, Gentilium) *delubrisque succederent.*

Advertendum ergo Templa Idolorum conversa esse in Basilicas Martyrum, & aliorum Sanctorum. Romæ quippe templum omnium Deorum in Templum omnium Martyrum, & Templum Castoris, & Pollucis in Templum Ss. Cosmæ, & Damiani conversa sunt. Et S. Gregorius lib. 2. Dialogorum c. 8. tom. 2. testatur a S. Benedicto conversum fuisse Fanum Apollinis in Oratorium S. Martini; & lib. 9. Epist. 71. ad Mellitum tom. 2. præcipit Augustino Episcopo Anglorum, ut Fana Idolorum non destruat, sed aqua benedicta

dicta aspergat, & Reliquiis Sanctorum ornet, ac demum in Templa Dei Veri convertat.

QUAESTIO IX.

An ornare Templa sit licitum?

PRAENOTIO.

ORnatus Templorum partim in ipsa fabrica consistit, partim in Imaginibus, crucibus, calicibus, vestibus, aliisque id genus Ornamentis. Reprehendunt hunc Ornatum tam Veteres Petrobrusiani, & Wicclefistæ, quam etiam Lutherani, & Calvinistæ, contra quos ponitur

ARTICULUS I.

Ornatus Ecclesiarum est pius, & laudabilis.

I. IN Concilio Oxoniensi, quod habitum est A. C. 1160. Waldensium dogma, qui teste Fratre Rainerio Ord. Prædicat. tom. 25. Bibliothec. PP. pag. 266. c. 5. dicebant, ornatum Ecclesiæ esse peccatum, fuerat cum cœteris erroribus condemnatum. II. Quia Psal. 25. ℣. 8. dicitur: *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* III. Ornatus iste excitat ad contemplanda cœlelestia, & benedicendum Deum. Videndo quippe hæc Templi ornamenta exultabat olim populus lib. 1. Machab. c. 4. ℣. 57. & 58. *Et ornaverunt faciem Templi coronis aureis* . . . . *& facta est* le-

lætitia in populo magna valde. IV. Cardinalis Baronius ad A. C. 57. & 58. Ecclesias pluribus, iisque splendidissimis, ac ditissimis Ornamentis antiquitus refertas fuisse demonstravit: cumque Joannes Henricus Ottius Calvinista in libro, cui titulus: *Examen perpetuum Historico - Theologicum in Cardinalis Baronii Annales*, eum arrodere ausus esset, Baronium Muratorius strenue vindicavit dissert. 16. Consuli quoque potest Joannes Tomæus Episcopus Bosnensis *in oratione pro Ecclesiæ ornamentis.*

Petes. An Deus in eo sibi complaceat, quod Divino ejus cultui profana quædam, ut vestes &c. consecrentur, & in ornatus Templorum adhibeantur?

Respondetur. Omnimode. Devictis Madianitis Hebræi dixerunt Moysi Num. c. 31. ℣. 50. *Offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas.* Sap. c. 10. ℣. 19. & 20. *Justi tulerunt spolia impiorum, & decantaverunt Domine Nomen sanctum tuum.* Lib. 1. Paralip. c. 29. ℣. 8. *Apud quemcunque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini.*

Prisci Fideles variis modis Ecclesias ornare consueverunt. Refert Hieronymus ad Heliodorum de morte Nepotiani Epist. 3. *Erat ergo sollicitus, si niteret Altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si Secretarium mundum, si vasa luculenta,*

la, si in omnes Cæremonias pia sollicitudo disposita. Non minus, non majus negligebat Officium, ubicuncue eum quæreres, in Ecclesia invenires. Et paulo post: *Hoc idem possumus de isto dicere, qui Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum diversis floribus, & arborum ramis, vitiumque pampinis adumbraret, & quidquid placebat in Ecclesia tam dispositione, quam usu, Presbyteri laborem, & studium testaretur.* Et S. Ambrosius lib. 2. Offic. c. 2. *Maxime Sacerdoti hoc convenit, ornare Dei Templum decore congruo, ut etiam hoc cultu Aula Domini resplendeat.*

ARTICULUS II.

Licet ædificare, vel ornare Templa sit opus pium, & bonum, potest tamen ejusmodi opus ex defectu circumstantiarum facile vitiari.

I. QUando quis tenetur juvare proximum, ac præsertim Parentes, aut filios, & non potest simul providere proximo, & donare Templo, tunc non recte facit, si neglectis Parentibus, vel proximis ædificet Templa, ait enim Dominus Oseæ c. 6. ℣. 6. *misericordiam volui, & non sacrificium.* Et Marci c. 7. reprehenduntur Pharisæi, qui docebant Filiosfamilias offerre Templo donaria cum detrimento Parentum. Patet id etiam ex D. Paulo ad Rom. c. 3. ubi docet, non esse facienda mala, ut eveniant bona: Denique ex praxi Sanctorum, qui tempore magnæ necessitatis

pau-

pauperum conflarunt calices, & vendiderunt, ut patet ex Ambrosio lib. 2. de officiis c. 28. Si enim tempore necessitatis recte Pastores distrahunt Ecclesiæ ornamenta, certe multo rectius non dantur Ecclesiæ, quæ essent auferenda, si data fuissent.

II. In magnis Urbibus, ad quas multi confluunt, splendida Templa esse debent; at in locis desertis, ubi soli Monachi versantur, non videtur convenire, ut tot sumptus fiant in ædificiis Templorum. Et hoc est, quod S. Bernardus præcipue reprehendit in Apologia ad Gulielmum, quod videlicet Monachi Cluniacenses vellent habere Oratoria sua tam magna, & tam ornata, ut æquarent, vel superarent splendorem Episcopalium Ecclesiarum, ubi etiam merito reprehendit, quod in pavimento sculperent, vel pingerent Sanctorum imagines, & cogerentur, qui in eorum Ecclesiis spuere necesse haberent, in faciem Angelorum, vel aliorum Sanctorum humi depictorum spuere.

III. Peccatur, cum ornamenta Templorum sunt vana, ac potius curiositati, quam religioni deservientia; qualia erant in Oratoriis Cluniacensium, quæ S. Bernardus reprehendit in Apologia ad Gulielmum: *Quid facit* (inquit) *illa ridicula monstruositas? quid ibi immundæ simiæ? quid feri Leones? quid monstruosi centauri? quid semihomines? quid maculosæ tygrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? Videas sub uno capite multa cor-*

corpora, & rursus in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis: ibi bestia præfert equum, capram trahens retro dimidiam: hinc cornutum animal equum gestat posterius. Tam multa denique, tam mira diversarum formarum ubique varietas apparet, ut magis legere liceat in marmoribus, quam in Codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quam in lege Dei meditando.

IV. Peccatur, quando quis supra suum statum, & conditionem vult ornare Templa. Nam, si qui paupertatem profitentur, & victum ab aliis emendicant, vellent ædificare Templum marmomoreum, & auro, ac gemmis ornare, etiamsi forte possent eleemosynis hinc inde conquisitis, id facere, tamen non deceret eorum Piofessionem; magnificentia enim non est Monachorum, sed Principum; quare hinc etiam merito arguit S. Bernardus Cluniacenses in illa Apologia, quod cum Monachi essent, tamen sumptibus, ac magnificentia Reges æquare vellent.

QUAESTIO X.

Utrum sacra Domus Nazarethana, in qua Verbum Caro factum est, e Nazareth primitus *Tersactum* sit translata, & ibidem aliquanto tempore consederit?

PRAENOTIO.

NAtalem Beatæ Virginis Ædem Galilæa Syriæ Regio olim tenebat. Ibi in Oppido Nazaretho illa genita, & educata fuit. Inibi ab ipsa

Æternus Deus Angelo prænunciante fuerat conceptus. Benedicta hæc Gloriosissimæ Deiparæ Domus Sobolis Divinæ conceptu inclyta a piis hominibus in Galilæa impensius colebatur, quamdiu Christi fides in Palæstina vigebat. Verum, cum A. C. 1291. (Authore Joanne Villano Historico ejus ætatis sane nobili lib. 7.) gliscentibus in Italia civilibus bellis, ex funestis Guelforum, & Gibellinorum factionibus, simul Angliæ, Franciæ, Aragoniæ Regibus ad arma ruentibus, destituta ab Europæis, concussa a Barbaris christiana res in Syria ad ultimum concidisset, & per Regem Ægypti ex Principum christianorum dissensione arrepta occasione Trypolis capta, & diruta: Ptolemaida celeberrima, & frequentissima Phœnicis urbs, quæ sola jam in Palæstina pro Christianis stabat, obsessa, tandem ferro expugnata, flammisque deleta esset, ex quo indigenæ Christiani partim dilapsi e Syria, partim ut fit, in Dominorum mores prolapsi: exteri vero Peregrini terrore Turcici furoris (nisi auro via aperiatur) exclusi, debitum sacrosanctæ Cellæ honorem habere non possent, non diu passus est Deus, suæ, Matrisque suæ vestigia neglecta inter Barbaros jacere, sed eodem anno 1291. qui fuit postrema Palæstinæ clade insignis, Deo dilecta Domus e Syria pariter cum religione discessit, &, ut Illyrici Annales apud Hieronymum Angelitam perhibent VII. Idus Majas sedente in cathedra Petri Nicolao IV. Summo Pontifice ex sacro Ordine Minorum Angelico ministerio in Europam asportata

tata

tata eſt. Verum quo loco poſt derelictam Syriam, & Palæſtinam ſacratum hoc Pignus primam ſtationem fixerit, id eſt, de quo in præſenti quæritur. Pro quo ſit

ARTICULUS I.

SAcra illa Domus, in qua ſalutante Angelo Virgo Chriſtum Spiritus ſancti virtute conceperat, in Europam miniſterio Angelorum translata, in Terſactano colle fuerat collocata.

Adeo certus eſt (ait Horatius Turſellinus accuratiſſimus Hiſtoriæ Lauretanæ Scriptor) Almæ Domus Nazarethanæ in collem TERSACTANUM adventus, & ex eo Lauretum commigratio, ut de tam teſtata, explorataque re addubitare non poſſit, niſi, aut qui de Divina vi, ac Providentia dubitare velit, aut eximere ex hominum genere humanam fidem. Neque enim ILLYRICIS ſolum monumentis, ſed Hiſtoricorum quoque, Romanorumque Pontificum authoritate nititur, & vetuſtam fidem, conſtans tot ætatum conſenſus, concurſusque omnium gentium adfirmat. Sunt nihilominus quidam, qui ut eruditi, acrisque ingenii ſibi famam parent, ſemihianti ore muſſitant, ſapientioribus, magnique nominis Criticis hujus Hiſtoriæ veritatem non probari. Sed quantum pondus habeat eorum aſſertum ex ſequentibus patebit.

ARTICULUS II.

Plura Horatii Tursellini testimonia.

I. HIc lib. 1. Hist. Lauret. c. 3. ex Annalibus Fluminensibus cum Hieronymo Angelita ostendit Ædem hanc cum Tersactum esset advecta Deiparæ admonitu fuisse agnitam, & evidenti miraculo illustratam. Mater enim Dei devoto viro Alexandro Ecclesiæ Tersactensis S. Georgii Curato ad novitatem portenti attonito, ægro, in ancipiti vitæ discrimine animam trahenti, opemque poscenti, voto nuncupato hoc visum objecit:

„ Intempesta nocte, somnum inter, & vigi-
„ liam, Dei Parens repente Cœlo delapsa, cœ-
„ lestibus latera tegentibus, se illi obtulit, cubi-
„ culumque omne clarissima luce complevit. Mox
„ benigno vultu: bono animo, inquit, esto fili. En vo-
„ cata adsum præsentem tibi opem, optatæque
„ rei notitiam ferens. Sic igitur habeto, sacram
„ Ædem vestris nuper illatam finibus, illam ip-
„ sam esse domum, ubi ego olim genita, ubi fer-
„ me educata sim. Hic ego Archangeli Gabrie-
„ lis nuncio, Spiritus sancti opera, Divinam
„ concepi Sobolem. Hic *Verbum Caro factum est.*
„ Ergo post nostrum excessum, domum talibus
„ mysteriis insignem Apostoli consecrarunt, cele-
„ braruntque certatim rem Divinam inibi facti-
„ tantes. Ara pariter cum Æde allata ea ipsa
„ est, quam Apostolus Petrus sacris initiavit.
Chri-

„ Christi crucifixi imago, quæ cernitur olim ab „ Apostolis inibi posita. Simulacrum porro ce- „ drinum effigies nostra est Lucæ Evangelistæ ma- „ nu, qui pro familiaritate, quæ illi nobiscum in- „ tercesserat, nostram similitudinem coloribus, „ quantum mortali fas erat, expressit. Hæc igi- „ tur dilecta Cœlo domus per tot ætates in Ga- „ lilæa maximis honoribus culta, nunc demum „ deficiente cum fide cultu, ex oppido Nazare- „ tho ad vestras migravit oras. Nec dubia fi- „ des. Deus facti Author, apud quem *impossibile* „ *non est omne verbum.* Cæterum, ut horum tu „ ipse sis testis idem, præcoque; sanus esto. Tua „ ex longinquo morbo subita valetudo fidem mi- „ raculi faciet. Hæc effata sublimis abit in Cœ- „ lum, cœlesti quodam odore in tectis relicto. „ Id vero non ludibrium sopitæ, aut ægræ men- „ tis, sed veram fuisse speciem rei ostendit even- „ tus. Protinus Antistites (in primitiva enim „ Ecclesia etiam Presbyteri Episcopi, & Antisti- „ tis nomine fuerunt quandoque appellati c. 1. „ dist. 21. c. *legimus* 24. dist. 93.) mista pavo- „ ri lætitia evigilans, totus sudore fluere cœpit: „ depulsaque repente febri, valens, ac vegetus „ surgit e lectulo. Mox non magis valetudine, „ quam Nazarenæ Domus indicio lætus submittit „ genua, & oculos pariter, manusque in Cœlum „ tollens, Deo, ac Deiparæ Virgini pro duplici „ beneficio multiplices gratias agit.

II. Motus eo miraculo Nicolaus Frangebanius e prima nobilitate Romana, Croatiæ, Dalmatiæ

Istriæ Prætor (Magnus Ban ab incolis vocatus) vir pietate, ac virtute inclytus, idemque Fluminis, & Tersacti Dominus, ad indagandam avectæ e Syria sacræ Domus veritatem fidos exploratores, inter quos etiam memoratus Alexander erat, mittere Nazarethum constituit. Qui impigre conscensa navi, transmissoque Adriatico, Jonio, Cretico, Cyprio mari, Palæstinam secundo cursu tenuere. Quæ vero retulerint visa, idem Tursellinus in Hist. Lauret. c. 4. ex Annal. Flumin. & Hieronymo Angelita refert:

„ Ibi impensius inquirentes comperiunt ex incolis non tam re, quam verbo christianis, Domum Natalem Beatæ Virginis inde paulo ante sublatam. Et infra: Cernunt eisdem monstrantibus aream, ubi sacrosancta Domus steterat: cernunt fundamenta, recentia sanctæ Domus avulsæ vestigia. Dimensi longitudinem, ac latitudinem areæ, fundamentorumque crassitiem, reperiunt omnia cum translatæ in Dalmatiam Ædis, parietumque mensuris, quas ad id secum attulerant, prorsus congruere: tempus quoque angusti Sacelli illinc ablati, avectique in Illyricum convenire. Ergo effusa cum lætitia, & gratulatione domum revecti Frangipanio Prætori explorata renunciant.

III. Postquam sacratum hoc Pignus Tersacto in agrum Recinetensem Divinitus delatum est, sexdecim viri fide, religione, authoritate præstantes a Picentibus electi sunt, qui Tersactum primo, de-

dein Nazarethum in Palæstinam peterent ad Nazarethanæ hujus Ædis veritatem explorandam. Permoti Picentes ad id fuere monitis Pauli e Sylva pii Eremitæ, cui Deipara per speciem objecta id narrarat; tum sedium pluries mutatarum miraculo, tum Dalmatarum sibi ereptam profitentium suspiriis, uti iterum Horatius Tursellinus loc. cit, c. 12. & 13. ex Præposito Turremano, & Hieronymo Angelita exponit his verbis:

„ Picentibus vanum primo somnium visum: „ & Author a multis pro somniatore habitus. „ Deinde vero, quoniam de dato, ademptoque „ Divinitus Dalmatiæ Sacello, Dalmatarumque „ Ædem Lauretanam agnoscentium testimonio, „ obscura quædam pereos dies fama emanarat, „ collegere se se, ac tantam rem minime negli- „ gendam existimarunt. Et recens eos admira- „ tio stimulabat, quod eandem Ædem ter uno „ anno sedem in agro Piceno mutasse meminerant. „ Ergo internuncii ultro, citroque missi: ac de- „ mum Recinetensibus Authoribus, communi Pi- „ centium consilio decretum, ut ære contributo, „ certi homines in Illyricum, inde in Galilæam „ mitterentur rem oculis, certisque indiciis ex- „ ploraturi.

„ Igitur sexdecim viri fide, religione, au- „ thoritate præstantes ex omni Piceno lecti. His „ datum negotium, ut Dalmatiam primum, inde „ Galilæam explorantes, rem omnem intentius „ investigarent: & de Natali B. Mariæ domo, quæ

„ illis locis fuisse diceretur, comperta omnia do-
„ mum referrent. Confestim illi transmisso Adria-
„ tico sinu, Tersactum delati accolis adventus
„ causam aperiunt sui. Ardebant dolore ex re-
„ centi adhuc vulnere Dalmatæ omnes. Talis
„ ergo boni amissi recordatione ingemiscentes
„ summum eius desiderium vocibus, ac lacrymis
„ testabantur. Legatis amice rogitantibus aream
„ monstrant, quam B. Virginis Domus insederat:
„ atque inibi geminam illi, ac similem Ædem,
„ rei monumentum, extructam. Et simul inte-
„ grato fletu, queruntur, ea sola Illiricis cœle-
„ stis doni reliqua esse vestigia. Aliis tam Di-
„ vini muneris concessam gloriam, sibi tantum fa-
„ mam relictam. Itaque Picentium Legati Ædis
„ Lauretanæ mensura, quam secum ad hunc usum
„ attulerant, quaqua versus ducta, quod vacui
„ erat spatii, id Lauretanæ Ædi prorsus congrue-
„ re deprehendunt. Sciscitati inde tempus amis-
„ si sacrosancti Sacelli comperiunt, id eodem pla-
„ ne tempore Illyricis ereptum, & Picentibus da-
„ tum. Re satis explorata, cum utrique com-
„ memorassent præcipua utrobique patrata mira-
„ cula, manantibus certatim lacrymis divellun-
„ tur, alteri desiderio mæsti, alteri lætitia gesti-
„ entes.

„ Legati igitur e vestigio vela faciunt. Et in-
„ fra: Nazarethum ut venere, Natalem B. Ma-
„ riæ inquirunt Domum. De Christianis, qui
„ qualescunque supererant in medio nationis pra-

„ væ,

„ væ, ſedulo ſciſcitantur. Ab his edocti, quæ „ vigente adhuc chriſtiana re in Syria, partim „ ipſi a Majoribus acceperant, partim ſuis ipſi- „ met oculis viderant, ad optatum ducuntur lo- „ cum. Reperiunt aream cum fundamentis avul- „ ſæ domus in ſolo relictis, quæ intentiore cura „ omnia omnino cum Illyricis veſtigiis, Ædis- „ que Lauretanæ forma, ac parietibus convenire „ comperiunt. Re utrobique geſta ex ſententia, „ admodum læti conſcendunt navim: ac remenſo „ mari, Anconam, unde ſolverant, revehuntur in- „ columes. Protinus domos repetunt. Magiſtra- „ tibusque, ac Primoribus Civitatum, unde miſſi „ erant, comperta referentes, ſuam illis lætitiam „ impertiunt. Et Recinetenſes ſucceſſu læti lega- „ tionis, cuius Authores fuerant, monumentum „ extare voluerunt. Rem omnem in publicas ta- „ bulas referre placuit, additis ſexdecim Legato- „ rum nominibus, teſtimoniisque, quo res teſta- „ tior ad poſteros foret. Earum Litterarum ex- „ empla in privatorum ædibus aſſervata ad no- „ ſtram usque ætatem pervenerunt. Hæc autem „ per Legatos cognita ſunt anno a Virginis partu „ MCCXCVI.

IV. Tandem Clemens VII. ut de tanti mira- culi veritate amplius certificaretur, omneque du- bium, ſi quod ſupereſſet, Pontificia authoritate dirimeret, tres, qui illi erant a cubiculo, Roma Lauretum, Terſactum, ac Nazarethum in Palæſti- nam miſit, ut magnitudines, & menſuras Laureta-

næ domus cum mensuris locorum, ubi antea fuisset ea domus conferrent, quod iterum refert Tursellinus lib. 2. Hist. Lauret. c. 26. & ait:

„ Ergo illi Lauretum profecti, sacramque Do-
„ mum intentiore cura contemplati, dimensique
„ conscendunt navim Illyricum petituri. Quo ut
„ ventum est, Lauretanæ instar Ædiculam satis
„ vetustam, & miraculorum monumentis insignem
„ inveniunt. Porro parieti ejus Ædiculæ inscrip-
„ tum, Lauretanam ibi domum olim fuisse. Hæc
„ accolæ ipsi monstrabant. Haud vana ab illis
„ afferri veræ lacrimæ ubertim manantes ex deside-
„ rio testabantur. Confestim igitur Legati men-
„ suris admotis deprehendunt prorsus omnia con-
„ venire. Protinus repetito cursu pergunt in Ga-
„ lilæam. Nazarethum veniunt: sacræ Domus
„ fundamenta monstrata ab incolis cernunt. Quo-
„ quo versus metiuntur, congruere cuncta compe-
„ riunt. „ .

ARTICULUS III.

Aliorum celebriorum Historicorum, & Illustrium Virorum sensa.

I. INter optimos Criticos accensendus Natalis Alexander Hist. Eccl. sæcul. 13. pag. 37. edit. Parisien. Anno 1699. hæc scribit- - „ Pontificatus Bonifacii
„ Papæ VIII. anno 1. Christi 1294. sacra Deipa-
„ ræ Virginis ædicula, in qua filium Dei de Spi-
„ ri-

„ ritu ſancto, Angelo nunciante concepit e Dal-
„ matia (ergo hic antea conquievit) in Picenum
„ miraculo delata, in Recinetenſis agri ſilva piæ
„ matronæ, cui Lauretæ nomen, propria conſe-
„ dit. Inde Lauretanæ Domus B. Virginis ap-
„ pellatio, quam & in ipſo Piceno ter ſedem in-
„ fra annum mutaſſe repetito miraculo memoriæ
„ proditum eſt.

II. Bollandiſtæ ex præſtantiſſimorum Critico-rum numero haud explodendi narrant ad diem 25. Martii §. 4. ſacram Domum in DALMATIAM fuiſſe translatam ad eum locum, qui vulgo nunc dicitur *Fiume.*

„ Alii alias cauſas adferunt deſtructionis exi-
„ mii Templi Annunciationis, & translationis
„ ſacræ Ædis Nazarenæ ad partes Chriſtianorum,
„ quæ primum, ut dictum eſt, in DALMATIA
„ circa oppidum FLUMEN conſtitit, ac tandem
„ in agrum Picenum delata eſt.

III. Graveſon de Myſter & Annis Chr. diſ-ſert. 2. pag. 34. ad rem hanc ita diſſerit:

„ Extat etiamnum, ad ſolatium, & pietatem
„ Fidelium, ſacra Deiparæ Virginis ædicula, in
„ qua filium Dei de Spiritu ſancto concepit, &
„ quam, habitatione multorum annorum, Jeſus,
„ Deipara, & Joſephus conſecrarunt. Memoriæ
„ ſiquidem prodiderunt Hiſtorici probatiſſimæ fi-
„ dei, hanc ſacram ædiculam, e Galilæa, Syria-
„ que in Dalmatia primum, & mox e Dalmatia in

Pi-

„ Picenum miraculo delatam, in Recinetensis agri „ sylva, piæ Matronæ, cui Lauretanæ nomen, „ propria consedisse; & inde ortam esse appellationem Lauretanæ Domus B. Virginis, quam „ & in ipso Piceno ter sedem infra annum, iterato divinitus miraculo, Angelica ope mutasse, „ iidem testantur Historici. Rem, omnium litteris, & constanti fama comprobatam, Summorum Pontificum decretis confirmatam, confluentium populorum numero longe, lateque celebratam, sanctitate loci, & frequentia miraculorum luce clarius manifestatam, hic contra quosdam nimium morosos, & Criticæ intemperantioris fusius demonstrare supervacaneum omnino esse arbitror. „

IV. Ecclesiasticæ Historiæ parens Cardinalis Baronius ad annum Domini 9. §. 1. sic de Domo Lauretana loquitur - - „ Porro Domus illa, „ in qua de Verbi Incarnatione Sanctissima Virgo cœleste accepit nuncium, adhuc magno miraculo non tantum integra perseverat, sed Angelorum ministerio ab Infidelium manibus vindicata, in DALMATIAM primum; inde in „ Italiam translata est in agrum Lauretanum Piceni Provinciæ: quod per insigne, ac nobilissimum vetustatis monumentum totus christianus „ catholicus Orbis veneratur, ac colit. Nec est, „ quod quis de re gesta dubitet, qui memoria „ repetat, illic dictum esse ab Angelo, non esse „ impossibile apud Deum omne verbum. Fidei

„ chri-

„ christianæ esse prædixit Christus, ut & montes
„ Christianorum imperio e loco in locum tran-
„ ferrentur. Præstiterunt hoc complures Sancti,
„ & inter alios Gregorius ille Magnus cogno-
„ mento Thaumaturgus. Complura enim id ge-
„ neris certa Authorum fide reperiuntur miracula
„ edita. Sed in his modo non immorandum.
„ Qui Nazareth inviserunt, ejusdem domus situm
„ eadem omnino mensura signatum inspexerunt,
„ accolis, quod factum est, fideliter attestantibus.
„ Sed hæc obiter: neque enim est in animo rei
„ gestæ historiam egregie testatam hic enarrare.
„ Agemus de ea suo tempore, quo facta scribi-
„ tur. Interim hic fruere Lector, quæ veneran-
„ dus Pater Petrus Canisius, cujus laus est in
„ Evangelio per omnes Ecclesias, non minus pie,
„ ornate, atque erudite suo modo conscripsit. - „
Ista ergo Canisius ante Cardinalem Baronium de Æde Lauretana conscripsit in opere de S. Maria Deipara lib. 1. c. 25. Cardinalis autem Baronius promissum suum adimplere non potuit, ut de B. Lauretana Æde ageret, cum ad res gestas A. C. 1294. opus ejus non pervenerit, quo anno Almæ Domus Tersacto in Italiam facta est translatio.

V. Raynaldus in suis Annalibus ad A. C. 1291. inter alia ita scribit - - „ Claudimus hunc
„ annum insigni prodigio sæculorum omnium fu-
„ turorum admiratione, & prædicatione cele-
„ brando. Eodem hoc anno, quo amissam Sy-
„ riam luximus, contigit, sacram illam Domum,

„ in

„ in qua salutante Angelo Beatissima Virgo Spi-
„ ritus sancti virtute conceperat, olim ab Apo-
„ stolis in Sacelli formam, redactam, in Europam
„ ministerio Angelorum translatam fuisse, atque
„ TERSACTUM inter & FLUMEN DALMA-
„ TIÆ Oppida, in montis leniter assurgentis,
„ imminentisque Adriatico mari æquata planitie
„ collocatam &c. „

VI. Joannes Baptista Mantuanus lib. de Domo Lauretana disserens hæc habet - - „ Ipsum
„ cubiculum Angelorum ministerio, relictis ele-
„ vatum, & ad ILLYRICOS Divino judicio trans-
„ portatum; ubi, cum aliquamdiu permansisset,
„ iterum trans Adriaticum sinum in agrum Reci-
„ netensium, Divina virtute translatum est. „

VII. Spondanus ad A. C. 1291. ait - - „ Hoc
„ denique anno, qui fuit suprema Palæstinæ cla-
„ de insignis, Deo dilecta Domus Beatissimæ Vir-
„ ginis Nativitate, & Incarnatione D. N. J. Chri-
„ sti illustris, e Syria pariter cum religione dis-
„ cessit, Angelorum manibus ex Civitate Naza-
„ reth, & ex Templo ab Helena Augusta olim
„ sacræ Domui circumdato avulsa, & in DAL-
„ MATIAM, monticulumque TERSACTUM
„ inter ac FLUMEN leniter acclivem, Adriatico
„ imminentem mari, maximo miraculo translata
„ &c.

VIII. Adrichomius in Zabulon num. 73. de Nazaretho agens ita observat - - „ Apostoli post
„ Chri-

„ Christi in cœlos Ascensionem, Beatæ Mariæ
„ Virginis Domicilium, in quo ab Angelo salu-
„ tata Christum Salvatorem concepit, sacris usi-
„ bus dedicarunt, & sacris etiam ibidem nonnun-
„ quam operati sunt: eodemque loco postmodum
„ Dei Genetrici peramænum, & quod Archiepi-
„ scopali cathedra præcelleret, extructum fuit
„ Templum, in quo tria ex rupe excisa erant
„ Altaria . . . . Porro, quod ad sacrum Ange-
„ licæ salutationis Domicilium attinet, id cum
„ multo tempore hic (Nazarethi) frequentatum,
„ & in honore habitum fuisset, Palæstina christia-
„ nam religionem repudiante, ab Angelis admiran-
„ da ratione FLUMEN, quod ILLISRICI Op-
„ pidum fuit, delatum est. „

ARTICULUS. IV.

Pervetustæ Inscriptiones.

I. POstquam Nazarethana Ædicula e Dalmatia in Italiam transiit, Nicolaus Frangipanius similem ædem in eodem, ubi substiterat, loco, condidit, ut iterum narrat Tursellinus loc. cit. c. 9. his verbis -- „ Nicolaus Frangipanius novam
„ ædem Nazarenæ parem, ac geminam in iisdem
„ vestigiis, ubi illa steterat, a se extructam mag-
„ nifico circumdedit Templo. Id Templum S.
„ Mariæ a Tersacto vocatur, vel veteris sanctissi-
„ mi Sacelli memoria, vel novis miraculis nobi-
„ le. Et in eo Templo ad januam assimilatæ

„ Na-

„ Nazarenæ Domus egregium Nicolai Frangipanii „ monumentum hodie visitur; qui Templi con- „ ditor pro sua erga Natalem Virginis Domum „ eximia religione, proximum illius vestigiis se- „ pulchrum elegit sibi, posterisque. Quin etiam „ marmorea inibi tabula extat perantiqua tanti „ miraculi adposteros testis, in qua incisum: „

Hic est locus, in quo olim fuit Sanctissima Domus B. Virginis de Laureto, quæ nunc in Recineti Partibus colitur.

Hodie quidem ob pictam interius coloribus sacram Capellam non amplius apparet præmemorata inscriptio, sed ejus loco substitutæ sunt duæ tabulæ ligneæ, quæ a lateribus januæ Sacristiæ pendent, in quibus facti memoria, & rei totius progressus quatuor idiomatibus, puta, Latino, Italico, Illyrico, & Germanico summarie exprimitur. Verba latina, quæ in tabula dextera, columna prima signata sunt, hoc habent initium:.

Huc, ubi legis Mariane Viator, Originalis Deiparæ Domus, in qua VERBUM ineffabiliter CARO factum est, Angelico ministerio e Nazareth Galileæ primitus translata fuit Anno 1291. in Sabbatho &c. Quod in aliis quoque idiomatibus exprimitur ibidem.

II.

II. Ascendendo Flumine ad collem Tersactanum a diametro secundæ Capellæ conspicitur in pervetusto lapide insculptum italico idiomate sequens monumentum:

Venne la Casa della Beata Vergine da Nazareth à Tersatto l' Anno 1291. alli 10. di Maggio: & si partì alli 10. di Decembre 1294.

Hanc inscriptionem a Nicolao Frangipanio post sanctæ Domus Tersacto discessum erectam fuisse testatur Centoflorinus in suo Clypeo Lauretano.

III. Clemens VIII. Pontifex Maximus lapidi marmoréo Lauretana in Æde etiamnum visibili, sequentia incidi curavit:

„ Christiane Hospes! qui pietatis, „ votique causa huc advenisti: sacram „ LauretanamDomum videsDivinis my„ steriis, & miraculorum gloria toto „ orbe terrarum venerabilem. Hic san„ ctissima DEI Genitrix MARIA in lu„ cem edita. Hic ab Angelo salutata. „ Hic æternum DEI Verbum Caro fa„ ctum est. Hanc Angeli primum e Pa„ læstina in Illyricum advexere ad TER„ SACTUM Oppidum, anno Salutis „ 1291. Nicolao IV. summo Pontifice.

„ Triennio post, initio Pontificatus Bo-
„ nifacii VIII. in Picenum translata
„ prope Recinetum Urbem, in hujus
„ collis nemore, eadem Angelorum ope-
„ ra, collocata est. Ubi locó intra an-
„ ni spatium ter commutato, hic po-
„ stremo Sedem divinitus fixit, anno
„ abhinc CCC. Ex eo tempore, tam
„ stupendæ rei novitate, vicinis popu-
„ lis in admirationem commotis, tum
„ denique miraculorum fama longe, la-
„ teque propagata, sancta hæc Domus,
„ magnam apud omnes Gentes venera-
„ tionem habuit: cujus parietes nullis
„ fundamentis subnixi, post tot sæcu-
„ lorum ætates, integri, stabilesque
„ permanent. Clemens Papa VII. il-
„ lam marmoreo ornatu circumquaque
„ convestivit. Anno Domini 1525. Cle-
„ mens VIII. Pontifex Maximus bre-
„ vem admirandæ Translationis histo-
„ riam in hoc lapide inscribi jussit. An-
„ no 1545. Antonius Maria Gallus S. R.
„ E. Presb. Card. & Episcopus Auxi-
„ mi sacræ Domus Protector, facien-
„ dum curavit.

AR-

ARTICULUS V.

Oracula Romanorum Pontificum.

I. JUlius II. in Bulla de Domo Lauretana ita fatur - „ Nos attendentes, quod in Ec-
„ clesia de Laureto non solum est camera, sive
„ thalamus, ubi ipsa Beata Virgo concepta, ubi
„ educata, ubi ab Angelo salutata, Salvatorem
„ sæculorum Virgo concepit, lactavit, & educa-
„ vit. Ubi, quando de hoc sæculo nequam ad
„ sublimia assumpta extitit, orando quiescebat,
„ quamque Apostoli sancti primam Ecclesiam in
„ honorem Dei, & ejusdem Beatæ Mariæ conse-
„ crarunt. Ubi prima Missa celebrata fuit, ex
„ Nazareth, Angelicis manibus, ad partes SCLA-
„ VONIÆ, ad locum FLUMEN nuncupatum
„ primo portatam, inde per eosdem Angelos ad
„ nemus Lauretæ mulieris, ipsius Beatæ Virgini-
„ nis devotissimæ; a dicto nemore propter homi-
„ cidia, & alia facinora, quæ perpetrabantur, in
„ colle duorum fratrum; & postremo ob rixas,
„ & contentiones inter eos exortas in vicum pub-
„ licum Territorii Recanatensis translata extitit.

II. Leo X. in Procemio Bullæ de Domo Lauretana ait - „ Gloriosissimæ Virginis Matris Dei
„ Mariæ, a cujus laudibus, sicut neminem cessare
„ fas est, ita ad illas explendas neminem suffice-
„ re arbitramur . . . . Cum enim Beatissima Vir-

„ go, ut fide dignorum comprobatum est testimonio e Nazareth Imaginem, & cubiculum suum Divino nutu transferens, postquam apud FLUMEN DALMATIÆ, oppidum primo, & deinde in agro Recanatensi in loco nemoroso, ac rursus quodam in colle ejusdem agri particularibus personis addicto posuit. Demum in via publica, ubi modo consistit, illud Angelicis manibus collocando sibi delegit, & in eo assidue miracula innumera illius meritis operatur Altissimus. Hæc & alia hujusmodi summorum Pontificum diplomata asservantur in Archivio Almæ Domus Lauretanæ.

ARTICULUS VI.

Authoritas Breviarii Romani.

QUod in Officio Translationis Almæ Domus in fine sextæ Lectionis hæc verba addita habet - „ Ipsius autem Virginis Natalis Domus Divinis mysteriis consecrata . ab Infidelium potestate in DALMATIAM prius, deinde in agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ translata fuit, sedente S. Cœlestino V. eademque ipsam esse, in qua Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, tum Pontificis diplomatibus, & celeberrima totius Orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, & cœlestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocent. XII. quo ferventius erga Matris amplissi-

„ mæ

„ mæ cultum Fidelium memoria excitaretur, ejus-
„ dem ſanctæ Domus Translationem Anniverſa-
„ ria ſolemnitate in tota Piceni Provincia venera-
„ tam Miſſa, & officio proprio celebrari præ-
„ cepit.

„ Quam gratiam Clemens XI. extendit ad
„ Conventum, & Locum TERSACTI, univer-
„ ſamque Provinciam Fratrum Minorum ſtrictio-
„ ris Obſervantiæ S. Franciſci Croatiæ, & Car-
„ nioliæ, nec non ad totam Diœceſim Segnien-
„ ſem tam pro Clero ſæculari, quam Regulari die
„ 10. Maji, qua recurrit Translatio dictæ ſanctæ
„ Domus e Nazareth Galileæ ad prædictum lo-
„ cum Terſactanum.

In vanum ergo impugnatur mirifica Translatio Almæ Domus obtentu defectus contemporalium Authorum eamdem Translationem teſtantium, faventibus ſcilicet ipſi translationi tot aliis monumentis, tot aliis graviſſimis Scriptoribus licet ſubſequentis ætatis, traditione in diplomatibus Pontificiis approbata, communi univerſi Orbis catholici conſenſu, continuataque evidentium miraculorum fama.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Sacram illam Ædem longe ante translationem fuiſſe dirutam referentibus

 Scrip-

Scriptoribus septimi, & octavi Saeculi, Ecclesiam fuisse aedificatam in eo loco, in quo erat praedicta Domus, uti colligitur *1mo.* Ex Adamanno Monacho in saecul. III. Benedictin. part. 2. pag. 516. qui scripsit de locis sanctis Palaestinae, quidquid intellexerat ab Arculpho Episcopo, qui ea visitaverat: ***Altera vero Ecclesia in eo fabricata habetur loco, ubi illa fuerat Domus constructa, in qua Gabriel Archangelus ad Beatam Mariam ingressus, ibidem eadem hora solam est locutus inventam.*** ***2do.*** Ex Willebaldo Episcopo, qui ipse quoque peregrinando, Loca sancta Palaestinae lustraverat, & cujus opus typis impressum est in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti tom. 4. pag. 374. - „ „ Ambulabat in illum locum, ubi Gabriel primum venit ad Sanctam Mariam dicens: AVE „ GRATIA PLENA, & reliqua. Ibi est nunc „ Ecclesia; & ille vicus, in quo est Ecclesia, est „ Nazarethi. Illam Ecclesiam christiani homines „ saepe comparabant a Paganis, quando illam „ volebant destruere. „ *3tio.* Ex epistola Urbani IV. scripta S. Ludovico Regi Franciae, ubi, ut eum excitaret ad Terrae sanctae defensionem, inter caetera, quae affert in eadem epistola relata apud Raynaldum ad annum 1263. n. 7. haec habet - „ Quin idem profanus hostis radicati pro„ secutor odii, quod contra christianum nomen, „ & cultum de iniqua editus radice conceperat, „ dolose praeparans, iniquitatem pariens, sic in „ venerandam Ecclesiam Nazarenam, infra cujus „ ambitum Virgo Virginum salutata per Ange-

„ lum

„ lum, de Spiritu ſancto concepit, & ipſius par-
„ tus Angelico extitit prænunciatus afflatu, ma-
„ nus non ſolum occupatrices, ſed etiam de-
„ ſtructrices injecerit, quod ipſam per ſacrile-
„ gos, & nefandos iniquitatis ſuæ miniſtros de-
„ ſæviens redegit ad ſolum, ejusdem ſtructura
„ nobili omnino deſtructa.

Repono. Per hæc & ſimilia non probari antecedentem ſacræ Ædis deſtructionem; Joannes quippe Phocas, qui juxta Græcos A. C. 1185. & juxta Latinos A. C. 1193. Terram ſanctam deſcripſit, & ideo longe poſt Sæculum ſeptimum, & octavum, eamdem Ædem per ea tempora conſervatam fuiſſe teſtatur ſequentibus verbis : *Eo in loco, in quo Annunciatio facta, eſt ex nigro lapide Crux candido marmore inciſa, & ſuper eam Altare, & a dextera Altaris puſilla ædicula, in qua ſemper Virgo Deipara ſe continebat.*

Sed admittamus etiam, Eccleſiam fuiſſe ædificatam in loco, ubi erat Domus, in qua Virgo ab Angelo ſalutata Chriſtum Dominum de Spiritu ſancto concepit; admittamus etiam, Eccleſiam prædictam ſubſequentibus temporibus fuiſſe a Barbaris irruentibus ſolo æquatam: hinc tamen inferri nequit, non extitiſſe Ædem ſacram ante ejus translationem, cum hæc inter ſe minime pugnent, ædificatio videlicet Eccleſiæ in loco, in quo domus erat Beatiſſimæ Virginis, ejus ſubſecuta deſtructio, & conſervatio partis domus, ſive cubiculi, in quo Virgo degebat, & in quo

salutationem Angelicam excepit; quodque ope Angelorum translatum primitus Tersactum, dein Picenum fuit, sicuti notat Raynaldus post ponderata verba Epistolæ Urbani IV. ad annum 1263. num. 7.

Ut hoc melius capiatur, advertendum est cum Canisio lib. 1. de Deipara c. 4. Beatæ Virginis Parentes non quidem fuisse amplissimis facultatibus instructos, sed neque turpissima egestate laborasse, & Beatam Virginem, cum nullos fratres haberet, hæredem unicam in bona parentum successisse. Affert idem Canisius Nicephorum dicentem Joseph, & Mariam in Nazareth non domicilium modo, sed & substantiam, & possessionem propriam habuisse; adeoque verosimile admodum est, domum eos habuisse suæ conditioni aptam, partemque ejus, dirutis partibus aliis, mirabiliter perstitisse, & ab Angelis transferri potuisse; sicuti Papebrochius in responsione ad Patrem Sebastianum a S. Paulo Antuerpiæ edita anno 1697. & signanter in responsione ad art. 25. num. 116. pag. 522. argumentatur. „ Erat „ quidem locus ille, in quo, annunciante An„ gelo, Dei Filium Virgo concepit, parvus, & „ humilis, qualis hodiedum Laureti conspicitur „ illuc translata ædicula ab Angelis. Sed quis „ hanc totam Josephi domum fuisse dixerit, in „ qua & suam ille officinam habuerit, & cubicu„ lum a Virginis, Ancillulæque cubiculis diver„ sum, & culinam, & cætera necessaria omnia?

„ quan-

„ quantoque & decori, & rationi verosimilius „ cogitabimus illam quasi appendicem majoris „ domus, sive (ut vulgo loquimur) ædes do- „ mus posteriores, ubi (more gentis solitæ mu- „ lierum habitationem seorsim habere) Virgo de- „ geret orationi, contemplationi, ac muliebri „ operi vacans procul a strepitu officinæ, & con- „ currentis illuc multitudinis, prandiumque, ac „ cœnam Josepho, & Filio præpararet. „

Mentio hic fit habitationis mulierum separatæ ab habitatione virorum, quod certe moribus Hebræorum consonum erat, cum Tentoria Saræ, Rachelis, & Liæ essent distincta a Tentoriis Abraham, Isaac, & Jacob; Salomon autem ædificaverit uxori suæ filiæ Regis Ægypti: quod argumentum late prosequitur Calmet in sua dissertatione de priscis ædibus Hebræorum.

Addo, quod Joannes Baptista Mantuanus utatur verbis (apud Tursellinum lib. 2. c. 6.) non universam ædem, sed cubiculum indicantibus - „ Historia igitur in tabella continebatur „ ejusmodi: Templum Beatæ Dei Genitricis Lau- „ retanæ quondam ipsius Virginis cubiculum „ fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele „ salutata, & Spiritu sancto fuit obumbrata. „ De cubiculo pariter, non de domo loquitur Leander Albertus (apud eumdem Tursellinum lib. 2. c. 28.) - - „ Enimvero me vires deficiunt „ conantem dicere de Sanctissimo illo, religiosi-

„ ssimoque cubiculo, ubi nata, ubi educata est „ Cœli Regina semper Virgo, ac Dei Parens „ Maria, eademque miserorum mortalium apud „ Filium suum Patrona, ubi Archangeli Gabrie- „ lis nuncio Dei Mater effecta, appellata est. „ Joannes etiam Episcopus Cabillonensis Scriptor anni 1450. qui opus composuit, cui titulus: *Topographia Sanctorum*, typis editum post Martyrologium Francisci Maurolici, quod quidem opus a Tursellino visum non fuit, in verbo *Recanatum* hæc habet - - „ Hic est Ædes Sanctæ Mariæ „ de Loreto, quæ fuit Camera Civitatis Naza- „ reth, in qua ipsa Beata Virgo ab Angelo fuit „ salutata, hucusque ab Angelis transportata.

Porro verba *Cubiculum*, *Camera*, non universam Domum, sed partem domus designant. Quod si *Cubiculi* nomine integra ædes intelligatur, vis tamen argumenti non corruit, cum in hac materia totum pro parte sæpe usurpetur; quemadmodum columna, ad quam Christus flagellatus fuit, Romam Jerosolymis A. C. 1223. deportata dicitur sedente Honorio III. a Joanne Cardinali Columna Apostolico ad Orientales Legato, & posita in Æde S. Praxedis ad Exquilias, quamquam nonnulli ex S. Hieronymo hanc ejus columnæ partem dumtaxat esse existiment, ait enim S. Hieronymus Epist. 108. col. 691. tom. de Paula sacra loca Jerosolymis perlustrante loquens: *Ostendebatur illi columna Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus ducitur, &*

flagel-

flagellatur. Occaſione itaque verborum horum putant nonnulli, columnam Romanam eſſe dumtaxat partem columnæ, de qua loquitur S. Hieronymus, baſim ſcilicet, aut Capitulum. Signum autem hoc eſt, totum pro parte uſurpari; ideoque etiam nomine domus, aut ædis, partem ejus, ſeu cubiculum commode intelligi poſſe.

II. Inquiunt. Quareſmius tom. 2. Elucid. Terræ ſanctæ lib. 1. c. 1. & ſeq. præſertim vero c. 4. teſtatur, ætate ſua Nazarethi ſacrum viſitari conſueviſſe Domicilium, in quo Beata Virgo lætiſſimo accepto nuncio Servatorem mundi concepit. Repono. ex Joannis Franciſci Alcaroti Canonici Novarienſis Itinerario Terræ ſanctæ lib. 2. c. 19. miro modo S. Domum Nazaretho in DALMATIAM, ac deinde LAURETUM eſſe translatam: Fideles autem Palæſtinæ Eccleſiam ſub nomine Annunciationis Beatæ Mariæ ædificaſſe, qua locus ille, ubi ſancta Domus erat, concluſus eſt; & hanc eſſe ſacram illam Domum, quæ dicitur hoc tempore eſſe Nazarethi.



DIS-





DISSERTATIO VII.

De ſacris Imaginibus, & Reliquiis.



Egi hucusque de invocatione, & cultu Sanctorum, nunc de veneratione earum rerum, quæ ad illos pertinent, id eſt, Imaginum, & Reliquiarum Sanctorum diſſerendum erit. Ac, ut ab Imaginibus ordiar, tres hac in re inter Chriſtianos fuere quaſi germanæ hæreſes; una Chriſtiano - Categororum; altera Iconoclaſtarum; tertia Thymolontium, quas S. Joannes Damaſcenus lib. de hæreſibus in fine deſcribit his verbis: Chriſtiano - Categori (id eſt Chriſtianorum accuſatores) ſunt, & dicuntur,

qui

qui Christianos uni, & vero Deo servientes criminantur, ac si venerandas Domini Jesu Christi, & Immaculatæ Dominæ nostræ sanctæ Genitricis, Sanctorum Angelorum, nec non Beatorum Imagines veluti Deos more Gentilium colant. Iconoclastæ vero (id est, Imaginum effractores) vocantur, quod contumeliosam prorsus mentem præseferentes, sacras, & venerabiles Imagines comminuerint, ignique tradiderint, & eas, quæ depictæ muris erant, qua abraserint, qua calce, & atramento obliverint. Thymolontes denique (id est, crudeles) qui potestatis, qua pollent, arrepta opportunitate, furore sectam armantes, illos, qui venerantur Imagines, verberibus, tormentisque supra modum excruciant. Præterea eousque Hæreticorum ascendit impietas, ut Catholicos Sanctorum venerantes Reliquias, pro Deo vivente mortuos homines, pro summo, & sempiterno Spiritu ossa, & cineres colere calumniose, & mendaciter vociferentur. Atque, ut fides mihi facilius habeatur, neque me quisquam augendi gratia fingere aliquid arbitretur, produco Lutherum Sectariorum omnium Antesignanum Principem, qui in eo sermone, quem de cruce edidit, tamquam ex tribunali pronunciat : *Quoniam Reliquiæ Sanctorum nihil sunt aliud, quam Fidelium seductiones, ne deinceps populi Deos alienos colant, placere sibi, ut omnes ejusmodi Reliquiæ altissime sub terram abscondantur:* ut ea ratione videlicet omnis Apostolorum, & Martyrum, aliorumque Sanctorum in terris memoria aboleatur.

AS-

ASSERTIO.

Deus in Antiqua Lege, omnem prorsus Imaginem pingere, vel sculpere non prohibuit.

I. QUia Deus Exod. c. 25. ℣. 18. præcepit Moysi, ut faceret sibi duos Cherubim aureos: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex utraque parte Oraculi.* Item Num. c. 21. ℣. 8. mandavit Moysi, ut faceret serpentem æneum: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur.*
II. Quia Exod. 31. ℣. 2. 3. 4. 5. affirmat Deus ad hunc effectum, sicut ad omne conflatile ex auro, & argento dedisse sapientiam Beseleel: *Ecce, vocavi ex nomine Beseleel .... & implevi cum Spiritu Dei; sapientia, & intelligentia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diversitate lignorum.* Sed non dedisset ei dictam sapientiam, si omne sculptile penitus vetuisset.
III. Quia si sculpere, vel pingere Imagines universim vetitum esset, id maxime deduceretur ex illis verbis Exod. c. 20. ℣. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra.* Verum ibi non prohibetur absolute, ne fiat sculptile, sed solum, ne fiat, ut reputetur pro Deo, & adoretur, dicitur enim ℣. 3. *Non habebis Deos alienos coram me.* Deinde sub-

subditur: *Non facies tibi sculptile.* Postea ℣. 5. *Non adorabis ea, neque colles* more Ægyptiorum, quibus Hæbrei servierant.

Inquiunt. Imago dat occasionem Idololatriæ. Repono. Id non fieri per se, & ex natura imaginis, sed per accidens, & ex malitia hominis; quia etiam sol, & luna, & omnia creata fuerunt accepta, ut occasio idololatriæ, nec tamen ista prohibuit Deus, sed homo eis abusus est.

QUAESTIO I.

An in nova Lege liceat Dei, & Sanctissimæ Trinitatis Statuas, aut Imagines effingere, & qua ratione?

PRAENOTIO.

THeologi docent cum Bellarmino. lib. 2. de Imaginibus Sanctor. c. 8. Deum triplici modo depingi posse I. reputando, eum esse in se, qualis pingitur, hoc est, habere naturam hominis cum suis membris, & idcirco Deum, prout est in se, in pictura repræsentari; & hac in re contineretur error impius, sacrilegus, & Naturæ Divinæ contrarius, error videlicet Anthropomorphitarum, cujus meminit S. Augustinus lib. de hæresibus c. 88. & de quo agunt Alfonsus de Castro lib. 5. adversus hæreses sub tit. *Deus* hæres. 2. & novissime Joannes Sianda in Lexico

Hæ-

Hæresum verb. *Anthropomorphitæ.* II. Deus pingi potest, ut historia repræsentetur e. g. si pingendus esset Adamus a paradiso expulsus, depingi deberet Deus in forma hominis ambulantis, ut legitur in Scriptura; & in hac pictura non repræsentatur natura Divina, sed factum illud oculis conspiciendum exponitur, quod auribus audientium insonaret, si voce exprimeretur. III. Depingitur Deus, ut oculis ejus Majestas proponatur, similitudinibus videlicet penicillo expressis, quibus aliquando in Scriptura hominibus apparuit; & in his duobus postremis modis nihil est reprehensione dignum, uti bene, & docte advertit, & prosequitur Cardinalis Gottus de veritate Christi Ecclesiæ adversus Jacobum Picenum tom. 2. p. 2. a. 16. §. 1.

ARTICULUS I.

Licitum est Deum, & Sanctissimam Trinitatem depingere, & repræsentare in forma corporea, & visibili, in qua aliquando apparuit.

SI enim forma hominis se Deus conspiciendum exhibuit Adamo, ut habetur Gen. c. 3. ℣. 8. si scalæ innixus apparuit Patriarchæ Jacob, & Moysi, ut legitur Gen. c. 28. ℣. 13. & Exod. c. 33. ℣. 23. Si tamquam Regem throno insidentem se exhibuit Isajæ c. 6. ℣. 1. Si demum æternus Pater, ut habetur Daniel. c. 7. ℣. 9. Danieli apparuit

pa-

paruit forma senis vestibus albis induti, capillis tamquam lana munda, & super thronum ignis (Antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum sicut nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda, thronus ejus flamma ignis) si denique Spiritus sanctus in forma columbæ supra Jordanem visus est, ut habetur Matth. c. 3. ℣. 16. nemo est, qui non videat, recte posse Deum pingi iis formis, quibus apparere dignatus est, & illis etiam, quibus, eo, quo possumus modo, ejus Majestatem, & Omnipotentiam ob oculos ponamus.

Pie ergo nunc, & laudabiliter Sanctissima Trinitas pingitur, & Imagines ejus, quæ ab Ecclesia approbantur, sunt illæ, quæ Deum Patrem repræsentant forma Senis, in cujus sinu est Christus, & inter utrumque Spiritus sanctus forma Columbæ: vel illæ, in quibus repræsentantur seorsum Deus Pater forma Senis, seorsum Christus, sed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus sanctus forma Columbæ, ut bene adnotavit Cardinalis Capisucchius in controv. Theolog. de cultu sac. Imag. §. 11. reprobatis aliis quibusdam Sanctissimæ Trinitatis Imaginibus, de quibus post Gersonem, & Molanum late agit vir in Ecclesiasticis quæstionibus versatissimus Joseph Maria Perimezzi Episcopus Oppiden. canon. alleg. p. 2. alleg. 4. §. 1.

Adverte etiam Imagines Spiritus sancti permissas, & approbatas esse, ut pingatur in forma

Columbæ; secundum antiquam Ecclesiæ praxim, quapropter *in libro Pontificali* de S. Innocentio I. legitur: *Fecit turrim argenteam cum patena, & columbam deauratam*: item in figura linguarum ignis, ubi repræsentatur Mysterium Pentecostes. Imagines autem Spiritus sancti sub humana juvenis forma damnantur, & reprobantur, & removeri jubentur. Benedictus XIV. Constit. Sollicitudini §. 10. 23. 33. 36. & 37.

ARTICULUS II.

Solvitur Objectio.

PRimis Ecclesiæ temporibus Dei, & Sanctissimæ Trinitatis Imagines non erant in usu, teste Origene lib. 7. adversus Celsum prope finem, ubi ait: *Ut qui Deum incorporeum, & invisibilem nulla figura circumscribamus.* Et juxta canonem 36. Concilii Illiberitani (tom. 1. Concil. Harduini col. 254.) ubi sic legitur: *Placuit, Picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*: posito, quod hic canon pertineat, non ad imagines Sanctorum, sed ad imagines Dei, & Sanctissimæ Trinitatis, cum his tantum stricta, & propria conveniat adoratio.

Repono. Statuta hæc respicere periculum, quod imminebat Gentilibus, & Catechumenis, qui Deum aspicientes in Ecclesiis circumscriptum, & com-

comprehenſum lineis, & coloribus, in eum facile devenire potuiſſent errorem, ut a Chriſtianis crederetur, non eſſe Immenſum, Omnipotentem, Inviſibilem, Æternum, Incomprehenſibilem, Spiritualem, corporis, & materiæ expertem, & immunem, quemadmodum erudite, & ſolide adnotavit Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus in Comment. ad prædictum Canonem.

Vigebat quoque tunc temporis diſciplina Arcani, quæ ſecretiora religionis catholicæ Myſteria occultabat, ne a Gentilibus profanarentur, atque ad eorum ludibrium exponerentur; ſicuti ad rem pergit Schelſtrat in diſſert. *De Diſciplina Arcani* c. 6. a. 3. & utramque rationem tum Albaſpinæi, tum Schelſtrati illuſtrat Pagi *ad Annal. Cardinal. Baronii* ad A. C. 55. n. 5. & 6. Quibus idcirco ceſſantibus cauſis, bene poteſt, & laudabiliter Imago Dei depingi, & in Eccleſiis collocari; adeo, ut inter propoſitiones a Summo Pontifice Alexandro VIII. proſcriptas die 7. Decembris A. C. 1690. vigeſima quinta in ordine ſit hæc: *Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.*

Hæ rationes erudite reſumptæ ſunt ab inſigni Theologo ex Dominicana familia Aloyſio Maria Lucino ſacræ Theologiæ Magiſtro, & Commiſſario Generali ſanctiſſimæ Inquiſitionis, deinde S. R. E. Cardinali in examine, & defenſione Decreti publicati a claræ memoriæ Cardinali de Tour-

non pagina 433. secundæ editionis Romanæ: „ Anche per cagione dell' arcano tanto „ rigorosamente osservato dall' antichità „ veniva proibito il dipingere nelle „ Basiliche le Imagini delle Divine Per- „ sone, come si legge espresso nel Con- „ cilio Eliberino celebrato nel principio „ del quarto secolo, acciocchè non si „ apprendesse, che dà Christiani venis- „ se adorata una corporea Divinità. Nell „ ottavo secolo durava pure questa Sag- „ gia avvertenza &c. ma, nato l' erro- „ re in Oriente, che le sacre Imagini fos- „ sero prevaricazioni della Christianità „ per l' Idolatria, subito la Chiesa, per „ combattere l' errore, commando, che „ un tal rito passasse in precetto ed in „ dogma, per cui prese a dipingere an- „ cora il Padre Eterno e lo Spirito san- „ to in quelle forme, che le sacre Carte „ celi rappresentarono, civè quello in „ figura di Vecchio venerando, e que- „ sto di Colomba. „


QUAE-



QUAESTIO II.

Utrum Angelorum, Christi, B. Virginis, & Sanctorum Imagines pingere, aut sculpere liceat?

ARTICULUS I.

Angeli recte pinguntur, vel sculpuntur, in forma corporea visibili, & consueta in Ecclesia Catholica.

I. QUia in corporea, visibili humana forma saepe apparuerunt iis, ad quos missi sunt a Deo, idque confirmat Christianus Lupus in notis ad Canones septimi Concilii c. 5. ubi plures eruditas proponit, & resolvit quaestiones de sacris imaginibus, ex Epistola Nicolai I. Pontificis ad Michaelem Augustum. II. Quia ita docuerunt Patres Concilii VII. Generalis Act. 5. & 7. III. Quia in sacra Scriptura tum Veteris, tum Novi Testamenti non solum Angeli in tali forma saepissime apparuisse referuntur, sed etiam in Veteri Testamento Cherubim in forma corporea, & & visibili ad Arcam in Templo, ac alibi etiam ex auro erecti, & repraesentati sunt. Recte itaque etiam a nobis sic figurantur, depinguntur, & repraesentantur, ut mens nostra ex forma visibili, & similitudine sibi nota erigatur ad spiritualia, & incorporea facilius intelligenda, sicuti docet S.

 Dio-

Dionysius Areop. de Cœlesti Hierarchia cap. 2. & 15.

ARTICULUS II.

Catholica fide tenendum est, recte depingi Imagines Christi Domini, Beatæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum tum memoriæ, tum venerationis causa.

SIc enim definitum est in secundo Nicæno Concilio contra Iconomachos, qui Judæos, Samaritanos, Mahometanos imitati, omnem imaginum cultum tamquam idololatricum criminantes, eas flammis, & ferro addixerunt. Hunc in modum locuti sunt Patres Nicænæ Synodi II. Act. 7. „ His sic se habentibus regiam viam „ incedentes, & Sanctorum nostrorum, „ ac Divinorum Patrum doctrinæ insi- „ stentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua „ Spiritus sanctus inhabitat, traditio- „ nem observantes, definimus cum om- „ ni diligentia, & cura, venerandas, & „ vivificæ Crucis e coloribus, & tessellis, „ aut alia quavis materia commode pa- „ ratas, dedicandas, & in Templis San- „ ctis Dei collocandas, habendasque tum „ in sacris vasis, & vestibus, tum in pa- „ rietibus, & tabulis, in ædibus priva- „ tis,

„ vatis, in viis publicis: maxime au-
„ tem Imaginem Domini, & Dei Salva-
„ toris Nostri Jesu Christi, deinde Inte-
„ meratæ Dominæ nostræ Deiparæ, ve-
„ nerandorum Angelorum, & omnium
„ deinde Sanctorum. „ Ista Synodus, quæ A. C. 787. contra Iconomachos coacta fuit, protestatur se definire juxta Veterum Patrum traditionem, & Ecclesiæ Catholicæ perpetuam doctrinam, ex quo contra Novatores sequitur etiam prioribus sæculis usum fuisse Imaginum.

Tenendum ergo in Lege Nova fuisse imagines in usu a tempore Apostolorum, siquidem in Concilio Antiocheno tempore eorumdem celebrato Canone 8. statutum fuit imagines Sanctorum esse depingendas, & honorandas. Sic refert Gonzal. in decretali in apparatu de origin. & progressu Juris Canonici fol. 17. n. 39. Card. Petra tom. 1. Comment. ad Constitut. 1. Innocentii II. n. 33. Et Adrianus I. Epist. 1. sic expresse dicit:
„ Nam & ipse Apostolus Beatus Petrus,
„ qui Apostolicæ Sedi primitus præse-
„ dit . . . & ipse quoque suis contulit,
„ & tradidit Divino jussu Successoribus
„ Pontificibus, quorum traditione Chri-
„ sti sacram effigiem, sanctæque ejus
„ Genitricis, Apostolorumque vel om-
„ nium Sanctorum venerantur Imagines.

Unde Primi Christiani imagines Apostolorum fieri sibi curabant, ut testatur Divus Gregorius Epist. 1. ad Leonem Isauricum Cardinalis Petra loc. cit. num. 34.

Nota Imagines æterni Filii permissas, & approbatas esse, ut pingatur solus, uti cum hominibus in diebus carnis suæ conversatus est, atque etiam postquam a mortuis resurrexit, non semel Apostolis, aliisque manifestus apparuit. Item sub humana forma Cruci affixus, & mortuus. Benedictus XIV. Constit. *Sollicitudini.* §. 32. & 36.

QUAESTIO III.

Utrum sacræ Imagines rite in Templis collocentur?

ASSERTIO.

Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum rite exponuntur in Ecclesiis Catholicorum.

I. ID probat consuetudo Ecclesiæ primorum quinque sæculorum. Tertullianus florens sæculo secundo, Apologet. adversus Gentes c. 16. dicit Christianos ab Ethnicis culpatos fuisse, quod Crucis Religiosi essent. Et lib. *de pudicitia* c. 7. testatur, Catholicos solitos fuisse in sacris calicibus pingere Christum in forma Pastoris ovem erran-

rantem suis humeris deportantem ad ovile, sacri autem Calices solent in Templo, vel loco sacro reponi. Prudentius, qui vivebat A. C. 370. in vita S. Cassiani scribit, se in Ecclesia S. Cassiani vidisse super Altare ejus imaginem:

Erexi ad Cœlum faciem, statim obvia contra
Fucis coloribus picta Imago Martyris.
Plagas mille gerens totos lacerata per artus
Ruptam minutis præferens punctis vestem.

Gregorius Nissenus orat. de laudibus S. Theodori, laudat Templum extructum, & alia in idem invecta, & depicta, & inter illa commemorat: *Certaminum Præsidis Christi humanæ formæ effigiem . . . . solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse.* Ex quo etiam apparet, quod non ad solum ornatum sacræ imagines in Templo positæ fuerint. S. Joannes Chrysostomus in sua Liturgia hæc habet: *Sacerdos autem egreditur e parvo ostio portans Evangelium præcedente Ministro cum cereo, & conversus ad Christi Imaginem inter duo ostia inflexo capite cum exclamatione dicit &c.* Demum D. Gregorius lib. 11. Epist. 13. alias 9. ad Serenum Massiliensem Episcopum, ostendit, quod non sine ratione imagines Sanctorum in locis venerabilibus *vetustas* admiserit; vetustatis autem nomine non potuit intelligere homines sui sæculi, sed superiorum; hinc cum ipse floruerit post A. C. 500. loqui debuit de Patribus, qui ante A. C. 500. vixerunt. Quare Hadrianus I. in libro pro imaginibus refert Silve-

strum, Damasum, Cœlestinum, Sixtum, Leonem, Joannem, & Pelagium Pontifices, qui ante A. C. 500. sederunt, picturis Templa exornasse.

II. Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim, habendas, & retinendas esse, eisque debitam venerationem impertiendam definivit sacrum Tridentinum Concilium sess. 25. in Decreto de invocat. & venerat. & Reliquiis Sanctorum, & sacris imaginibus. Ubi etiam additur, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo fuerit approbata.

Cæterum sacræ imagines habentur in Templis non solum ad repræsentandas historias, sed etiam ad alios fines, nam semper pinguntur cum aliqua circumstantia, vel signo, quo edocemur quasi compendio, quid illi, quos in talibus imaginibus veneramur, egerint, vel passi sint, ut pingitur Christus in sinu Matris, ligatus ad columnam, pendens in Cruce &c. Martyres cum instrumentis sui martyrii, cum palma, Virgines cum lilio, & omnes cum aureola, ex quibus accendimur ad charitatem erga Deum, & Sanctos fovendam, excitamur ad eorum imitationem, ad profitendam eorum fidem, doctrinam, & sanctos mores, quibus Deo placuerunt, ad detestandam infidelitatem, errorem, ac omne vitium, ad desiderium fruendi eorum consortio in beatitudine: esto

esto enim totum hoc in nobis parere possit prædicatio, & etiam pia lectio, magis tamen, & fortius imprimit imago, nam prædicatio transit, imago oculis semper manet, & per oculos cor tangit, lectio movet, sed sæpe, quod lectum est, memoria excidit, ubi imago seipsam continuo legendam oculis præsentat. Demum ex imaginibus augetur honor Dei, & Sanctorum suorum, & hac ratione scribit Eusebius lib. 7. Hist. c. 18. primos Christianos cœpisse Imagines Christi, & Apostolorum desiderare naturali quadam gratitudine eos honorandi, a quibus fuerant beneficiis cumulati, non Gentili superstitione, qua Idololatræ honorabant idola eorum, a quibus nihil boni acceperant, nec accipere poterant.

QUAESTIO IV.

Utrum sacræ Imagines coli debeant?

ARTICULUS I.

Sacræ Imagines Dei, Beatæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum licite, & sancte coluntur.

I. SCimus ex Scriptura sacra figuras illas, in quibus vel Deus, vel Angeli sancti Patriarchis, & viris piis apparuerunt, ab illis in honore, & veneratione fuisse habitas, ut Gen. c. 18. ℣. 1. & 2. ubi Abraham tres viros in Mambre

bre convallibus apparentes, sive Sanctissimam Trinitatem, sive tres Angelos repræsentarent, *adoravit in terram*. Item Loth Gen. cap. 19. ℣. 1. duos Angelos in figura humana *adoravit pronus in terram*. Idem egit Josue c. 5. ℣. 15. cum eum, qui in specie viri sibi loquebatur, Angelum esse cognovit. Moyses Exod. c. 3. ℣. 5. flammam rubi, in qua Dominus apparebat, humiliter honorare jussus est. Et Daniel c. 10. virum, quem vidit vestitum lineis, Angelum nempe iacens, & consternatus super faciem suam alloquitur. Ex quo sic: Sancti illi viri certo sciebant, quod illæ figuræ, vel species, quæ illis apparebant, non essent Ipse Deus, vel ipsi Angeli, sed solum eorum imagines, ac repræsentationes, signa, aut symbola, & tamen Deum, vel Angelos in ipsis agnoscentes, eis reverentiam, & venerationem, non civilem tantum, sed religiosam exhibuerunt. Adeoque etiam &c. Quanto vero honore, ac cultu Judæis Arca Domini honorata fuerit, Scriptura abunde testatur. Deut. c. 10. ℣. 8. *Separavit* (Moyses) *Tribum Levi, ut portaret Arcam fœderis Domini*. Josue c. 3. ℣. 4. dum Arca portaretur, monebat : *Cavete, ne appropinquetis ad Arcam*. Ibidem c. 7. ℣. 6. *Josue . . . . pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes Senes Israel*. Lib. 1. Reg. c. 6. ℣. 19. *Percussit* (Deus) *de viris Bethsamitibus, eo, quod vidissent Arcam Domini*. Et lib. 2. Reg. c. 6. ℣. 7. Cum Oza manum suam ad Arcam, ne forte caderet, extendisset: *Percussit eum*

(Do-

(Dominus) *super temeritate.* Narratur etiam ibidem, quam insigni pompa David in Civitatem Sion Arcam induxerit. Et tamen, quid erat Arca, nisi opus ex lignis manufactum, & merum signum præsentiæ Dei, non repræsentans ejus naturam, sed tantum symbolice ejus Majestatem figurans; igitur illicitus non est, nec idololatricus cultus, qui rebus inanimatis impenditur propter Exemplar, quod repræsentant, & ad quod referuntur.

II. Imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum esse colendas, fuit expresse definitum in variis Conciliis, præsertim in Tridentino sess. 25. in Decreto de invocat. & venerat. & Reliquiis, & sacris imaginibus ibi: *Imagines porro Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, ac venerationem impertiendam.* Et sacra Congregatio Rituum die 17. Aprilis A. C. 1602. expresse decrevit non esse impediendam devotionem ad imagines sanctas. Rursum Gregorius XIII. in constit. 33. tom. 2. Bullar. præscribendo formam professionis fidei Græcis §. 15. sic fieri mandat: *Firmissime assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.*

III. Imaginum cultus nihil in se continet, quod sit intrinsece, & per se malum, non enim, ut ait Con-

Concilium Tridentinum aliquam in illis aut Divinitatem, aut virtutem agnoscimus: in illis spem nullam, aut fiduciam ponimus, sed propter Exemplaria, quæ repræsentant, eas honoramus; per illas ad nostrum in Christum amorem, & grati animi sensum propter tot beneficia, quibus nos cumulavit, significandum excitamur, præclara Sanctorum facta in memoriam revocamus, & ad eorum imitationem erigimur, & incitamur. Item imagines Dei, Christi, & Sanctorum debent esse venerabiles cultu aliquo religioso competente suis Prototypis. Et si imagines capaces sunt injuriæ, & contumeliæ, cavendum enim est, ne quis imaginem Regis injuria, & contumelia afficiat, cur non etiam imagines ejusmodi capaces essent honoris, & cultus?

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Israelitæ fuerunt reprehensi tamquam Idololatræ, quod vitulum adorarint, quamquam (ait Calvinus) non ipsi vitulo, sed Deo honorem deferrent: ergo etiam Catholici idololatræ sunt, qui Verum Deum in Imagine colunt: Repono. Israelitas vitulum ipsum tamquam Deum coluisse, ut clarum est Exod. c. 32. ℣. 8. *Feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt, Isti sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quo

loco

loco afferitur Hebræos tali vitulo sacrificium obtulisse: sacrificium autem soli Deo debetur. Et Psal. 105. ℣. 20. *Et fecerunt vitulum in Horeb. & adoraverunt sculptile.* ℣. 22. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos.* Ex quibus verbis constat Judæos sic vitulum adorasse, ut Veri Dei sint obliti, proindeque vitulum tamquam Deum adorarint. Et certe cum Judæi vidissent in Ægypto adorari Vitulum, seu Deum Apim, facile in talem idololatriam lapsi sunt.

II. Inquiunt. Christiani non debent operibus Gentilium communicare, ut monet Apostolus ad Ephes. c. 5. ℣. 11. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite*: At gentes de hoc præcipue culpabantur, quod *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Ad Rom. c. 1. ℣. 23. Repono cum S. Thoma 3. part. q. 25. a. 3. ad 2. Quod Apostolus prohibeat operibus infructuosis Gentilium communicare, communicare autem utilibus eorum operibus Apostolus non prohibet. Veneratio autem imaginum est inter infructuosa opera computanda quantum ad duo. Primo quidem quantum ad hoc, quod quidam eorum (Gentilium) adorabant ipsas imagines, ut res quasdam, credentes in eis esse aliquid Numinis propter responsa, quæ dœmones in eis dabant, & alios ejusmodi effectus mirabiles. Secundo propter res, quarum erant imagines: statuebant enim hujusmodi imagines aliquibus creaturis, quas in eis

eis veneratione latriæ venerabantur. Nos autem adoramus adoratione latriæ Imaginem Christi, qui est Verus Deus, non propter ipsam Imaginem, sed propter rem, cujus imago est. Idem dicendum est de Imaginibus B. V. Mariæ, & Sanctorum, quas veneramur cultu sibi proprio, non propter ipsas imagines, sed propter res, quarum sunt imagines, quæ aliquo cultu dignæ sunt, non sic autem res, quarum imagines adorabant Gentiles.

III. Inquiunt. Homo est Imago Dei, & tamen non est dignus cultu religioso latriæ. Repono. Ideo hominem, prout factus est ad imaginem Dei non coli cultu religioso; quia non secundum dona supernaturalia, sed secundum naturam, & naturales perfectiones dicitur factus ad imaginem Dei: cultus autem religiosus, qui nunc exhibetur creaturæ intelligenti fundatur in donis supernaturalibus, quæ possidet.

ARTICULUS III.

Occurritur aliis Oppositionibus.

I. INquiunt. D. Paulus 1. ad Corinth. c. 11. ℣. 23. ait: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, qui tamen nullibi legitur a Christo aliquid de imaginum veneratione accepisse; adeoque doctrinam de colendis imaginibus Ecclesiæ non tradidit. Repono. Cum D. Thoma 3. p. q. 25. a. 3. ad 3. quod Apostoli familiari instinctu Spiritus sancti quædam Ecclesiæ tradiderint ser-

van-

vanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiæ per successionem Fidelium. Unde ipse Apostolus dicit 2. ad Thessal. c. 2. ℣. 14. *State, & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem* ore prolatum, *sive per epistolam nostram* scilicet transmissam, & inter hujusmodi Traditiones est Imaginum Christi adoratio; unde & Beatus Lucas dicitur depinxisse Christi Imaginem, quæ Romæ habetur.

II. Inquiunt. Catholici imaginibus adolent incensum, & ita videntur eis cultum Divinum tribuere; quare lib. 4. Reg. cap. 18. ℣. 4. Cum Ezechias vidisset incensum adoleri serpenti æneo erecto a Moyse in signum, eundem confregit. Repono. In Veteri lege adolere incensum erat quædam species sacrificii soli Deo debiti, ideo solis Sacerdotibus hoc licebat; unde, cum ii, qui non erant Sacerdotes, incensum adolere præsumpserint a Deo puniti fuere 3. Reg. c. 12. Item 2. Paralip. c. 26. At in nova lege pro pura cœremonia reputatur; hinc nec a solis Sacerdotibus, nec soli Deo, sed etiam sacris Ministris, imo & populo incensum adoleri consuevit: quod tamen non adoletur imagini, sed rei sacræ per eam repræsentatæ.

III. Inquiunt. Catholici magis frequentant unam imaginem, quam aliam ejusdem Sancti, vel Sanctæ. Accedunt ad imagines precaturi. Peregrinantur ad imagines, cum sæpe domi habeant pulchriores: credunt itaque aliquid diversitatis in

imaginibus esse, vel saltem aliquam virtutem, non puram repræsentationem, quæ in omnibus ejusdem rei æqualiter reperitur. Repono. Unam imaginem magis frequentari, quam alias ex variis rationibus. Prima est; quia Deus in una operatur miracula, & non in alia. Cur autem hoc Deus faciat? *Quis potest ejus Consilium perscrutari*, (inquit S. Augustinus Epist. 78. alias 137.) *quare hæc miracula in aliis locis fiant, in aliis non fiant.* Secunda ratio est; quia aliquæ imagines pictæ creduntur a Viris sanctis Luca, Nicodemo, & aliis, indubie autem specialem venerationem merentur imagines, quæ non solum sanctæ sunt propter significationem, sed etiam propter Artificem. Tertia est; quia aliquæ imagines magis excitant ad pietatem, & recordationem rei repræsentatæ; quia magis piæ, & religiosæ. Ad aliud ajo, nos accedere ad imagines, non ut eas precemur, sed ut illæ memoriam nobis eorum refricent, quos precari volumus. Peregrinationes assumuntur ad imagines ex caussis paulo ante assignatis. Frequentiores tamen Peregrinationes fieri solent ad loca sancta, ut ad Sepulchrum Domini, ad limina Apostolorum, Compostellam ad S. Jacobum, ad Domum Lauretanam.



QUAE-

QUAESTIO V.

Ultrum cultus sacrarum Imaginum absolutus sit, an vero relativus?

PRAENOTIO.

ID quæritur hic, an imagines coli possint per se, ut cultus ad eas dirigatur tamquam ad rem, quæ illum cultum terminat, sintque imagines terminus *qui* illius venerationis; vel tantum ratione prototypi, ita, ut imago, tantum dicatur terminus *quo* illius cultus, & venerationis? Porro sacra imago tripliciter considerari potest. *1mo. materialiter*, & *physice*, seu secundum materiam, figuram, artem, abstrahendo a repræsentatione, & sic non est res sacra, consequenter nec colenda cultu sacro, & religioso. *2do. formaliter*, & *moraliter*, quatenus repræsentat suum prototypon, seu Exemplar tamquam terminum, & eatenus est res sacra, si repræsentet rem sacram, propter relationem, & respectum, quem habet ad rem repræsentatam. *3tio. formalissime*, seu quatenus non tantum actualiter repræsentat prototypon, verum etiam, quatenus Prototypon in illa objective relucet, quasi præsens, & quodamodo vestitum imagine, ita, ut tam imago, quam prototypon directe consideretur per modum unius objecti adæquati, quo modo Ecclesia considerat Crucem in die Parasceves eam profunda genuflexione adorans.

ARTICULUS I.

Verosimilius videtur, Imagines esse dumtaxat honorandas, & colendas ut terminum *quo* illius venerationis, ita, ut qui imaginem veneratur, per eam veneretur exemplar ut terminum, & materiam proximam illius venerationis: & ita in Imagine Christi adoramus Christum, in Imaginibus Deiparæ, & Sanctorum, sive Angelorum, sive hominum, Deiparam, Angelos, & sanctos homines colimus, & veneramur.

HOc aperte definitum est a Concilio Tridentino sess. 25. in Decreto de invocat. & venerat. & Reliquiis Sanctorum, & sacris imaginibus ibi - - „ Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non, quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant, sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita, ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos,

„ quo-

„ quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur,
„ id, quod Conciliorum, præsertim vero secun-
„ dæ Nicænæ Synodi Decretis contra imaginum
„ oppugnatores est sancitum.

ARTICULUS II.

Nihil vetat asserere (salvo meliore judicio) etiam ipsas Imagines *formaliter*, & *moraliter* spectatas religiose coli posse, directe, per se, & proprie, semper tamen cultu respectivo, seu propter Prototypon, in quod semper resultat imaginis honor.

RAtio; quia videtur quædam ipsius Prototypi excellentiæ fieri in suam imaginem moralis diffusio, & attributio, ex quo facile sequitur etiam imagines ratione illius promanantis, & superfusæ moraliter excellentiæ per se etiam aliqua veneratione dignas censeri, non quidem secundum earum esse materiale, ex quo formantur, nempe ut sunt lignum, æs, argentum, aurum, aut colores; neque etiam secundum earum esse formale simpliciter, hoc est, secundum lineamenta, & dispositionem partium perite, & affabre concinnatarum, hoc enim mere artificiale est; sed quatenus ordinantur ad significandam, & repræsentandam rem, quæ secundum se, & in se complectitur præcellentiam veneratione dignam.

Et si imago *formalissime* consideretur, tunc tam imago, quam prototypon, uno, eodemque

actu vere proprie, & directe colitur, licet imago semper colatur respective tantum, & propter prototypon, fere sicut idem amor tendere potest in Deum, & hominem, licet alio modo attingat hominem, quam Deum, Deum scilicet propter se, hominem vero ultimato propter Deum; nimirum prototypon est ratio colendi imaginem, & principale motivum.

Quamvis autem cultus, qui exhibetur imaginibus aliquo modo spectat ad illam speciem, qua colitur prototypon, scilicet cultus Imaginum Dei, & Christi ad latriam, B. Virginis ad hyperduliam, aliorum Sanctorum ad duliam; attamen imagines simpliciter, absolute, & proprie non possunt coli tali cultu, sed solum secundum quid, reductive, respective, improprie; quia imago semper longe superatur a Prototypo, sicut homo pictus a vero homine. Proinde Imagines Dei, & Christi non nisi improprie (quo loquendi modo improprio sæpius usi sunt Veteres Theologi) dicuntur adorari latria, nam quod proprie colitur latria, debet posse coli absolute, & propter aliud; vel propter relationem repræsentationis, jam aliquid minus est, & Deus non est, neque physice cum Deo unitum in unam personam, adeoque latria proprie dicta indignum. Itaque prototypon colitur ut *quod*, imago ut *quo* juxta tritum illud:

Effigiem Christi, cum transis, semper honora:
Non tamen effigiem, sed quem designat, adora.

QUAE-

QUAESTIO VI.

An pingere liceat Imaginem Beatissimæ Virginis sanctam Eucharistiam recipientis?

RESpondetur. Id immerito ab aliquibus in dubium revocari. Tum; quia Romæ in Ecclesia S. Luciæ in Silicibus adest in Altari Majori Tabula, in qua depicta cernitur B. Virgo de manu S. Joannis Apostoli devotissime Eucharistiam recipiens, & hujusmodi Imagines typis impressæ circumferuntur. Tum; quia constat, tria Sacramenta non fuisse Virgini collata, id est, sacrum Ordinem, cujus non erat capax propter fœmineum sexum, Pœnitentiam, cujus materiam non habuit; Matrimonium, quod ab eadem contractum non est; postquam in Sacramentum novæ Legis est institutum; de Baptismo vero, Confirmatione, & Eucharistia concors est Theologorum sententia, ea Sacramenta fuisse a Virgine Maria recepta: sola autem inter eos remanet controversia, an Extremam Unctionem receperit, cujus resolutio pendet ab ea quæstione, an, ut homo sit capax extremæ unctionis, necessarium sit, ut actualiter peccaverit: si enim hoc necessarium non est, Maria Virgo fuit ejus capax, & ideo verosimile est, quod Sacramentum etiam illud susceperit, tum propter ejusdem fructum, tum propter fidei, ac Fidelium ædificationem, & hu-

humilitatis exemplum. Legi potest Suarez in 3. p. tom. 2. q. 37. a 4. disput. 18. sect. 3.

QUAESTIO VII.

Quale miraculum acciderit cum prodigiosa Imagine B. Virginis, quæ Romæ in Aracœlitana Fratrum Minorum Ecclesia publicæ prostat venerationi?

Respondetur. Sanctissima hæc Imago sublamentantis, & Filii sui Domini nostri Jesu Christi mortem plangentis speciem præseferens fuit a S. Luca Evangelista depicta, ut ex multis tradunt Annales Minorum Waddingi, novissime Romæ reimpressi tom. 3. fol. 258. n. 46. & 47. Et est eadem, quam S. Gregorius Magnus in publica supplicatione, detulit in illa magna mortalitate, quæ Romam adeo vehementi pestilentia laniavit, ut etiam corporali visu sagittæ Cœlitus venire, & singulos quoque percutere viderentur. In illa namque processione hac sacra Imagine deportata, tota aeris turbulentia cedebat Imagini, ac si ipsam imaginem fugeret, & ejus præsentiam nullatenus ferre posset, sicque post imaginem mira serenitas, & aeris puritas remanebat. Tunc miræ voces in aere cantantium, & dicentium: *Regina Cœli lætare, Alleluja: Quia, quem meruisti portare, Alleluja: Resurrexit, sicut dixit, Alleluja;* juxta imaginem sunt auditæ. Statim autem Beatus Gregorius id, quod sequitur, adjunxit: *Ora*

pro

pro nobis Deum, Alleluja. Post hæc Beatus Gregorius vidit supra Castellum Crescentii Angelum, qui revocabat in vaginam gladium cruentatum, ex quo intellexit, quod pestis illa cessasset, & sic factum est. Et ideo Castrum illud deinceps Castrum S. Angeli est vocatum, & ipse Angelus cum gladio in vagina sculptus in lapide miræ magnitudinis ab illo tempore in posterum mansit in cacumine dicti Castri, inde tamen dejectus sinistrante fortuna per ictum machinæ, obsidionis tempore per Romanos.

Est etiam in memoriam revocandum ad plenam fidem omnium prædictorum, quod in Castri præmemorati cacumine Capella fuerit pulcherrima ad honorem Archangeli Michaelis constructa per Dominum recol. mem. Nicolaum Papam III. de domo Ursinorum, eratque ibi Indulgentia singularis. Item in specificata Capella erat depicta tota forma, & historia hujus Processionis, & Litaniæ, hujus Imaginis Gloriosæ, & sic scriptum in Imagine legebatur : *Hæc est sacra Imago Aracœli.* Hæc etiam eadem historia, & forma Processionis depicta est in quadam Capella, quæ dicitur studium S. Gregorii in appenditio Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis.

Hæc eadem sacra Imago A. C. 1388. tempore mortalitatis, quæ cœpit occupare Romam in principio mensis Junii, duravitque per totum mensem Augusti, fuit per Urbem cum aliis Reliquiis honorifice, & devotissime deportata, & dum ap-

plicuit ad pontem S. Petri, ille Angelus marmoreus existens in cacumine Castri exhibendo reverentiam huic Imagini se pluries inclinavit. Quod miraculum ultra sexaginta fide digni, tactis sacrosanctis Evangeliis se hoc vidisse oculis corporeis affirmabant, clamantes Imagini *Misericordiam* vocibus elatis &c. sic ad litteram cum pluribus aliis in supradictis Annalibus ex quadam tabula vetusta refecta A. C. MDLXII. totam rei seriem referente, & palam appensa ad rei confirmationem, & plenam omnium notitiam.

In perenne testimonium tam insignis miraculi ab ista prodigiosa imagine patrati, & in perpetuam memoriam, & gratiarum actionem tanti beneficii ab ipsa recepti, quotiescunque ad supplicationes publicas transeundum est per molem Adriani, seu pontem S. Angeli, hujus miraculi locum, Religiosi Aracoelitani Conventus semper, & soli cantant supradictam Antiphonam: *Regina Cœli lætare* &c. ab Angelis ibi cantatam. Ita cit. Annales tom. 3. fol. 261. n. 50. Vide etiam de hoc P. Lucium Ferraris in sua prompta Bibliotheca verb. *Imagines.*



QUAE-

QUAESTIO VIII.

Quid significent symbola illa, quibus pingi solet imago S. Antonii Abbatis?

RESpondetur. Eruditissimus Cardinalis Lambert. postea Benedictus XIV. Instit. Eccles. 47. a n. 5. ad 8. de hoc ita habet - - „ Effigies San„cti Antonii variis symbolis distinqui solet; ig„nem, & porcum ad pedes jacentem habet; lib„rum cum baculo dextra manu gerit, tintina„bulum sinistra; Thau quoque super vestem de„pingitur. Quid hæc significent, varia Scripto„res prodiderunt; inter quos P. Menochius nel„le Stuore p. 2. c. 25. Sarnelius in Epist. Ec„clesiast. tom. 3. lit. S. & fusius P. Theophilus „Raynandus tom. 8. in eo libro, qui inscribitur: „*Symbola S. Antonii.*

„ Molanus lib. 3. de imaginibus Suem ad pe„des Antonii jacentem poc pacto interpretatur, „quod illius patrocinio bruta sanitatem conse„quantur: *Thau* salutis indicium esse ex sacris „litteris deprehendimus Ezech. c. 9. ℣. 6. *Om„nem autem, super quem videritis Thau, ne occida„tis.* Nos quidem (ait Benedictus XIV. loc. „cit.) Sancti Antonii patrocinium non inficia„mur pro his brutis, quæ vitæ alendæ, com„modoque Mortalium inserviunt, hæc tamen per „effigiem porci nobis declarari minime existima„mus: Nam si idcirco (inquit P. Theo-

„ phi-

„ philus Raynaudus lib. superius allegato §. 8.
„ tandem) appingitur S. Antonio porcus; quia sospitatem exorat brutis, cur potius ei appingitur porcus, quam asinus, aut equus? Et paulo post: cur igitur sus, quam aliud quodpiam brutum, B. Antonio appingatur, ægre assignari potest valida ratio, si sistamus in præsidio, quod brutis a S. Antonio suppetit; cujuscunque enim generis bruta Beato huic Cœliti Sospitatori commendari ex usu est, & eventus felix sæpe vota secundat. Itaque sententiam suam his verbis exprimit: Existimarim vero non minus commode, symbolo illo porci jacentis, ad S. Viri pedes insinuari triplex genus porcinorum hominum ab eo domitorum, ac prostratorum; Ethnicos dico, & Hæreticos, ac Voluptuarios Christianos. Aliqui (P. Ajala lib. Pictor Christianus lib. 5. c. 4. n. 7.) putaverunt murem Ægyptium porco similem ad pedes S. Antonii appingi consuevisse, ut Antonium Ægyptium a reliquis omnibus secernerent. Hinc paulatim usus obtinuit, ut loco muris Ægyptii imago porci sufficeretur. „ Hæc laudatus Pontifex.

Sub-

Subdunt ad rem eruditiſſimi Bollandiſtæ tom. 2. in *Legenda* ipſius Sancti ad diem 17. Januar. quod adpingi, ſeu ſculpi etiam ſoleat Nola, & Eccleſia; hæc ceu primæ domus, ſeu Eccleſiæ Antonianæ imago: illa, quia a Nunciis Eleemoſynariæ domus ſeu Eccleſiæ (id eſt, Eccleſiæ S. Mariæ, quæ de eleemoſyna dicebatur) Antonianis ad colligendam ſtipem concurſantibus deferri in adventus ſui ſignum cum reliquiis ſolita; cum baculo inſuper ob baculum *potentiæ*, vel ſigni *Thau* modum, & figuram a Sancto ipſo cuidam Gaſtoni Provinciæ Viennenſis in Gallia viro nobiliſſimo, ac opulentiſſimo in magnam arborem ſuccreſcentem in viſione præoſtenſum, ad ei indicandum, fore a ſe, ſuiſque ſociis, atque alumnis impoſterum miſeros igneo morbo, ſacroque igne peruſtos, ac mutilatos, atque egeſtate preſſos omnimode ſuſtentandos; ſeu, ut in *vita S. Pauli* dicitur, ſenex infirmos artus baculo regente ſuſtentans: quæ verba peregre proficiſcentem indicant, aut certe ideo appoſita; quia Monachi baculum geſtare ſolebant, ut tradit Caſſianus lib. 1. Inſtit. c. 9. & ita baculo inſtructus pingi ſolet S. Antonius. Ex his facile colligitur, quare ei appingatur ſignum *Thau*, & *ignis*, tum ex hic adductis, tum ex allato textu Ezech. cap. 9. ℣. 4. & 6.

QUAE.

QUAETSIO IX.

An prohibitus sit sacrarum Reliquiarum cultus, vel præceptus?

PRAENOTIO.

PEr Reliquias Sanctorum non tantum intelliguntur integra eorum corpora, quorum plura in diversis locis adhuc incorrupta in signum eximiæ eorumdem Sanctitatis divina virtute conservantur, sed etiam corporum partes caput, manus, digiti, dentes, ossa, capilli, cineres, pulveres. Item eorum vestes, panni, vela, baculi, rosaria, & alia eorum usu, vel attactu sacrata, uti sunt instrumenta Martyrii puta cruces, funes: instrumenta mortificationis, ut cilicia &c. item eorum sepulchra.

ARTICULUS I.

Sacrarum Reliquiarum veneratio est licita, & honesta.

I. QUia Exod. cap. 13. ℣. 19. legitur, quod Moyses discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam noluerit ibi relinquere ossa S. Josephi jam dudum mortui, sed ea honorifice secum asportaverit, & transtulerit in terram promissionis, quod certe non fecisset, si sacra Josephi ossa venerari fuisset illicitum. Item Deut. c. 34.

℣. 6.

℣. 6. Deus ipse (ut Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) Moysis corpus honoravit, dum illud propriis manibus sepelivit in loco sibi soli cognito.

II. Quia primo Sæculo de Cathedra lignea S. Jacobi Apostoli Eusebius lib. 7. Histor. c. 15. ita refert : *Servatur cum ingenti studio, velut a Majoribus tradita memoria Sanctitatis, & cum magna veneratione habetur.* Rideant nunc Lutherani, dum vident, & audiunt Romæ Cathedram ligneam S. Petri honorari! Secundo Sæculo eadem erat consuetudo. In actis S. Ignatii Martyris, quæ ab ipsius discipulis conscripta sunt, postquam notatum est, eum fuisse a bestiis devoratum juxta vota sua, quibus optaverat, ut nulli Fratrum gravis per Reliquiarum collectionem esset, sic pergitur : *Sola enim asperiora Sanctorum ossium derelicta sunt, & in capsa reposita sicut thesaurus inapretiabilis.* Scilicet S. Ignatius hanc compertam habens Fidelium in Martyres observantiam, sic dixerat in Epistola ad Romanos : *Blandite bestiis, ut mihi sepulchrum fiant, & nihil derelinquant eorum, quæ corporis mei, ut non dormiens gravis alicui inveniar.* Tertio Sæculo, cum S. Cyprianus sub ictu esset, ne quid ejus sanguinis in terram efflueret, quod Christiani pro sua pietate colligere non possent, *linteamina, & mammaria a Fratribus ante eum mittebantur, post mortem vero ejus corpus in proximo positam est cum cereis, & scolacibus cum voto, & triumpho magno.* Lege Acta Proconsularia. Quarto

to Sæculo moris jam erat, ut veri Martyres a falsis, publico, & solemni Ecclesiæ judicio ad cultum secernerentur, & eorum ossibus religiosa oscula figerentur a Christianis antequam ad Eucharistiam accederent, idque Schismati Donatistarum occasionem præbuit, quod Lucilla factiosa, & potens fœmina a Cæciliano Carthaginensi Archidiacono correpta esset, quod id honoris Martyri, sed nondum vindicato detulisset, ut narrat Optatus lib. 1. Accedit S. Joannes Chrysostomus Homil. 40. in Sanctos Juventium, & Maximum: *Sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide Reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur.* Demum S. Augustinus Epist. 103. ad Quintianum: *Portant sane* (Latores Epistolæ) *Reliquias Beatissimi, & Gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas Vestra, sicut & nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis.*

III. Quia decrevit Tridentinum sessione 25. „ Sanctorum quoque Martyrum, & Aliorum cum Christo viventium sancta „ corpora . . . . veneranda esse, per quæ „ multa beneficia a Deo hominibus præ„stantur: ita, ut affirmantes Sanctorum „ Reliquiis venerationem, atque hono„rem non deberi, vel eas, aliaque sa„cra monumenta a Fidelibus inutiliter „ honorari, atque eorum opis impe-

„ tran-

„ trandæ causa Sanctorum Memorias „ frustra frequentari, ómnino damnan- „ dos esse, prout jam pridem damnavit, „ & nunc etiam damnat Ecclesia. „

IV. Quia corpora Sanctorum fuerunt organa ad opera bona, & virtutes exercendas, erant instrumenta Dei ad patranda miracula, erant destinata ad perennem aliquando in Cœlis gloriam; unde honestum, & æquum est ea venerari. Deinde utique id licitum est honorare, quod in nobis excitat pietatem, stimulat ad varias virtutes patientiæ, charitatis, castitatis, fortitudinis &c. id vero efficiunt in nobis visa sepulchra, instrumenta passionis, & Reliquiæ Sanctorum. Quare S. Ambrosius serm. 92. in Festo Ss. Nazarii, & Celsi : *Honora itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in Cœlo.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Matth. c. 23. ℣. 29. reprehenduntur a Christo Scribæ, & Pharisæi, quod ædificarent, & ornarent sepulchra Prophetarum & justorum : *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum.* Repono. Pharisæos ideo fuisse reprehensos a Christo; quia per hypocrisim exterius pietatem affectabant, quorum tamen ani-

mus interius plenus erat malitia: exterius quippe sepulchra Prophetarum ornabant, & eos celebrabant, sed animo, & corde sicut Majores eorum eos occidebant, ut defacto ipsum Prophetarum Dominum occiderunt: unde dicit Christus eos consentire factis Majorum suorum, consentire scilicet per voluntatem occidendi ipsum Christum. Audiatur S. Joannes Chrysostomus Homil. 75. in Matth. *Non quia ædificant, nec quia Patres suos accusant, væ illis dixit, sed quoniam ita facientes, & ita dicentes Patres suos condemnare audebant, cum ipsi pejora committerent.*

II. Inquiunt. Pluribus in tumulis, qui dicuntur Sanctorum, nec sunt animæ, nec corpora Sanctorum, sed soli cineres. Repono. In monumentis ad minimum, esse Memoriam Sanctorum, & ideo sepulchra Sanctorum apud Veteres passim dicuntur Memoriæ. Memoria autem Sanctorum certe honorabilis est, veneramur siquidem etiam Sepulchrum Christi, quamvis in eo nec sit corpus ejus, nec anima, sed quia in eo corpus ejus triduo jacuit, ideo memoriam illius veneramur, ita quoque in tumulis Martyrum memoriam Martyrii eorum recte honoramus. Cæterum in sepulchris Martyrum invenitur altera pars substantiæ Ipsorum, nempe ipsa illa materia, quam Spiritus Sanctorum animarunt, & rursus animabunt in resurrectione, & propterea eam veneramur.

III. Inquiunt. Deus, ut habetur Deut. c. 34. ℣. 6. abscondit Moysis corpus, idque ne a Judæis

dæis coleretur. Repono cum Chrysostomo Homil. 5. in Matth. Moysis sepulchrum fuisse occultatum, ne a Judæis pro Deo coleretur. Unde etiam in Epistola Judæ legimus, Diabolum contendisse cum Michaele Archangelo de Moysis corpore; quia videlicet Diabolus illud manifestare volebat, ut occasionem præberet Judæis illud adorandi.

Instant. Hebræi non coluerunt Moysem viventem pro Deo: ergo multo minus coluissent mortuum. Respondeo. Eos non coluisse viventem; quia quotidie ab illo audiebant Unum esse Verum Deum, se autem illius servum; at post mortem recordati mirabilium ejus, & non audientes verba ejus facile potuissent adduci, ut crederent esse Deum, eumque adorarent, si scirent, ubi esset, præsertim, quia valde credibile est corpus ejus, licet mortuum, conservasse adhuc splendorem vultus, & decorem, quem antea habebat, sicut multis Sanctorum accidit. Exemplum habemus in serpente æneo; nam Num. 21. jubente Moyse aspiciebant Judæi tacti a serpentibus in illum serpentem, & curabantur, nec tamen eum adorabant cultu latriæ; quia nimirum Moyses dixerat illis, serpentem illum non esse Deum, sed signum dumtaxat salutis: at 4. Reg. c. 18. eidem serpenti tamquam Deo sacrificabant, cum tamen jam nulla operaretur miracula, & ideo ab Ezechia confractus fuit.

Urgent. Idem periculum est nunc in Reliquiis aliorum Sanctorum. Respondeo. Id falsum esse. Nam populus Judæorum eo tempore propensissimus erat ad idololatriam; ita, ut etiam vitulos aureos coleret: unde post captivitatem Babilonicam; quia populus ille non amplius coluit Idola, videmus Deum illustrasse sepulchrum Isajæ, Ezechielis, Jeremiæ, Elisæi, Abdiæ, & aliorum multis miraculis, & gratum habuisse cultum, qui Ossibus eorum exhibebatur, ut Epiphanius, & Hieronymus tradunt. Adde, quod nunquam sit auditum apud Christianos, ut aliqui Sanctorum Reliquiis honores Divinos detulerint. Nec desunt in Ecclesia, qui & Litteris, & sermonibus doceant, qui cultus sacris Reliquiis debeatur.

IV. Inquiunt. Paulus 2. ad Corinth. c. 5, ℣. 16. dicit post resurrectionem Christi, se non nosse Christum secundum carnem: *Si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus.* Quibus indicat, quidquid in Christo carnale fuit, oblivioni tradendum esse, ut in eo secundum spiritum possidendo omnem operam adhibeamus. Repono. Apostolum non velle, ut Calvinus fingit, ne carnis Christi teneamus memoriam, & quidquid per carnem gessit, sed ut solum de spiritu, & divinitate illius cogitemus, ut ita omnis de humanitate ejus, passione, & morte memoria aboleatur; nam Paulus 1. ad Corinth. c. 11. ℣. 26. dicit Sacramentum Eucharistiæ institutum in memoriam passionis: *Quotiescunque enim manduca-*

bi-

bitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Et ipse nihil sæpius repetit, quam crucem, & passionem, & mortem Domini. Et quomodo, quæso, juxta Isajam c. 11. ℣. 10. esset Sepulchrum ejus gloriosum, si deberemus oblivisci mortis Domini? Denique vel debemus recogitare beneficia Domini, vel non? Si non, ingratissimi sumus, contradicimusque Paulo, qui ad Hebræos c. 12. ℣. 3. ait: *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.* Si sic: ergo debemus Incarnationem, Nativitatem, Passionem, & Mortem Domini cogitare. Mens ergo Pauli ea est, quam Synodus VII. Act. 6. eidem objectioni ab Iconomachis propositæ respondens exposuit, nimirum per carnem intelligi mortalitatem, & passibilitatem, sic, ut sensus sit: si cognovimus aliquando Christum mortalem, & passibilem, nunc non novimus, nisi immortalem, & impassibilem.

ARTICULUS III.

Solvuntur Alia.

I. INquiunt. Honorare Martyrum sepulchra, & sacras aliorum Sanctorum Reliquias per Cereorum accensionem, quod nunc passim fit, sapit adorationem soli Deo debitam; unde S. Hieronymus objicienti Vigilantio esse idololatriam accendere cereos coram Reliquiis, nihil aliud respon-

dere potuit, quam id facere solum mulierculas, quæ zelum habent, sed non secundum scientiam. Repono. Cereos accensos coram tumulis Martyrum non esse signum adorationis Deo debitæ; non enim offeruntur cerei Martyribus tamquam sacrificia, sed accenduntur in signum lætitiæ. Ignis quippe accendi solet ad lætitiam significandam etiam in rebus profanis. Præterea ignis signum est gloriæ, unde Imperatoribus Romanis, & Imperatricibus ubique ignis præferebatur teste Herodiano lib. I. Sancti autem vera gloria nunc fruuntur, & cum Christo regnant, atque imperant in Cœlis, ut merito illorum memoriæ ignis accendi possit. Denique ignis signum est vitæ, proinde cereis protestamur vivere Sanctorum animas, & ipsa corpora suo tempore victura.

Ad S. Hieronymum dico, eum, cum ait de iis, qui accendunt cereos coram Reliquiis (*Confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*) loqui de iis, qui cereos accendunt, existimantes inde Martyres illustrari; nam Vigilantius dixerat per ironiam: *Magnum honorem præbent hujusmodi homines Beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari.* De his ergo, qui cum tali opinione falsa cereos accendunt, Hieronymus dicit, eos zelum habere, sed non secundum scientiam. Quod autem S. Hieronymus absolute censuerit bonum esse, & honestum coram Reliquiis accendi cereos, patet *1mo;* quia in Epist. ad Riparium ipsemet affert in argumentum cultus Sancto-

ctorum usum accendendi cereos: & libro in Vigilantium ait: „ Causabantur quondam & „ Apostoli, quod periret unguentum, „ sed Domini voce correpti sunt. Ne„ que enim Christus egebat unguento, „ nec Martyres lumine cereorum: & „ tamen illa mulier in honorem Christi „ fecit, devotioque mentis ejus recipi„ tur: & quicunque accendunt cereos „ secundum fidem suam, habent mer„ cedem. *Et infra*: Illud fiebat Idolis, & „ idcirco detestandum; hoc fit Martyri„ bus, & idcirco recipiendum est. „ *2do;* quia S. Hieronymi tempore erat usus ejusmodi cereorum non solum apud mulierculas, sed etiam apud Episcopos, & Universam Ecclesiam, ut patet ex Paulino, & Theodoreto. *3tio.* Si esset superstitio accendere cereos interdiu coram Reliquiis, esset etiam accendere cum legitur Evangelium. Verum consuevisse ad Evangelium accendi cereos in toto Oriente, docet Hieronymus ibidem contra Vigilantium: & accendi in funere, docet ipse idem in vita Paulæ, ubi dicit in funere Paulæ etiam Episcopos cereos accensos gestasse.

II. Inquiunt. Concilium Illiberitanum can. 34. vetat, ne cerei per diem in Cœmeteriis accendantur, quia inquit *Spiritus Sanctorum non sunt inquietandi.* Repono. Vetat cereos accendi ex su-

perstitione Gentilium, qui cereos accendebant ad evocandas animas defunctorum, quae superstitio Sanctis displicebat. Gentiles quippe putabant mortuorum animas tum cibis, tum lucernis indigere, quibus & famem, & tenebras dispellerent; ideoque dapes, & vinum mortuis apponebant.

III. Inquiunt. S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiae c. 34. reprehendit sepulchrorum adoratores. Repono. S. Augustinum vocare sepulchrorum adoratores quosdam, qui (ut ipse putabat) sacrificium panis, & vini, aliarumque epularum Manibus Defunctorum offerebant, & deinde iisdem cibis, & vino se ingurgitabant, & inebriabant, sic enim loquitur: „ Novi sepul„ chrorum adoratores, novi multos es„ se, qui luxuriosissime super mortuos „ bibant, & epulas cadaveribus exhiben„ tes, super sepultos, se ipsos sepeliant, „ & voracitates, ebrietatesque suas de„ putent religioni. „ Sed haec scripsit Augustinus initio conversionis suae. Postmodum autem reprehendit quidem consuetudinem, sed non tamquam idololatriam, nam lib. 6. confess. c. 2. dicit, matrem suam consuevisse ex pietate id facere: sed Mediolani ab Ambrosii Clericis fuisse prohibitam; Ambrosius enim prohibuerat istam consuetudinem, ne daretur occasio ebrietati, & quia videbatur affinis superstitioni Gentilium, licet integro animo a Christianis id fieret. Idem

etiam

etiam Augustinus lib. 8. de civ. Dei c. 27. asserit meliores Christianos id non facere, eos autem, qui id faciunt, non sacrificare defunctis Martyribus, sed ponere super tumulos Sanctorum epulas, ut a Deo per merita Martyrum sanctificentur. Præterea, quod Augustinus non putaverit malum esse venerari sepulchra Sanctorum, constat ex Epist. 42. ad Mandaurenses: *Videtis Imperii Nobilissimi culmen ad sepulchrum Piscatoris Petri submisso Diademate supplicare.*

IV. Inquiunt. Maxima pars Reliquiarum est supposititia, & sæpe accidit, ut pro Reliquiis Sanctorum ossa latronum, vel etiam canum, aut asinorum veneremur; unde Augustinus lib. de opere Monachorum c. 28. cum dixisset, quosdam Monachos circumferre, & venditare membra Martyrum, addidit: *Si tamen Martyrum.* Quare, si jam tunc cœperunt imposturæ, quid erit hodie credendum? Repono, Etiamsi aliquoties quædam forsan Reliquiæ fuerint supposititiæ, & absolute adhuc esse possint, vel ex malitia, vel ex infirmitate, vel ignorantia hominum, minime tamen sequitur, omnes Reliquias debere esse suspectas, sua veneratione privandas, & rejiciendas, etiam ubi nulla est ratio dubitandi de earum legitimitate. Addo, quod Fideles formaliter non errarent, si bona fide, & ex ignorantia venerarentur Reliquias supposititias, & falsas, nec minus in his coleretur ille Sanctus, cujus esse creduntur; quia propter bonam venerantium inten-

tionem posset Deus ad intercessionem illius Sancti, quem honorare intendunt, iis varia beneficia concedere, imo & miracula patrare. Vel dici potest, quod Fideles colant Reliquias semper cum hac tacita conditione: *Si sit vera Reliquia.* Quo supposito nunquam errarent, vel enim esset vera, vel falsa: si vera, non errant: si falsa non colunt; quia non purificatur conditio.

Accedit, quod Reliquiæ, quæ publice in Ecclesiis exponuntur vix supposititiæ esse possint; semper enim Ecclesia sollicita fuit, ne fraudes intervenirent, præcipue post Decretum Concilii Lateranensis, quo cavetur, ne de novo inventas Reliquias, quis publice venerari præsumat, nisi prius authoritate Romani Pontificis fuerint recognitæ, & approbatæ. Præterea Tridentinum sess. 25. de invocat. venerat. & Reliquiis Sanctorum expresse statuit, *Nulla admittenda miracula nova, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo.* Imo Reliquiæ a Papa jam approbatæ etiam ab Episcopo Loci adhuc sunt recognoscendæ, non quidem, ut denuo ab ipso approbentur, sed solum, ut videat, an revera Romæ fuerint approbatæ, an non subsit aliqua fraus, antequam publicæ venerationi exponantur. Sixtus V. Constit. 88. incip. *Dominus.* Sacra Congregat. Rituum 19. Octobris A. C. 1691.

S. Augustinus merito dubitavit, an Reliquiæ illæ essent veræ S. alicujus Martyris, cum illas privati homines, quorum sinceritas satis nota non erat,

erat, sub habitu Monachi forte ementito, & questus gratia circumferrent: hic autem ago de Reliquiis, quæ publice in Templis asservantur. Sed fit, quod interdum falsæ aliquæ Reliquiæ supponantur pro veris, an propterea, universim Reliquiarum veneratio erit repudianda? Certe non; sicut ex eo, quod aliquæ monetæ falsæ quandoque supponantur pro veris, monetarum usus non rejicitur.

V. Inquiunt. Eadem corpora ejusdem Sancti, seu ejusdem membra in diversis locis veneramur, ut caput S. Joannis Baptistæ, corpus S. Bartholomæi &c. cum idem Sanctus duo corpora, vel duo capita non habuerit, alterum eorum falsum dicendum erit. Repono. Si dicatur plura corpora, vel capita ejusdem Sancti in diversis locis nos venerari, falsum est, si sermo sit de toto corpore, aut capite, non vero si de parte corporis, aut capitis intelligatur. Cum enim pietas populorum magna esset erga Martyres, & alios Sanctos, necesse fuit corpora eorum dividere, & partem corporis, vel capitis inter eos distribuere, ut devotioni singulorum satisfieret, unde ortum fuit, quod vel caput ejusdem Martyris, vel Sancti, hic, & alibi asservaretur sumpta parte pro toto; unde in hoc proposito Basilius Orat. in quadraginta Martyres ait: *Non in uno loco se se clauserunt, sed multis in locis hospitio recepti sunt, multorum patrias ornaverunt*; quasi quadraginta illi Martyres toti essent in variis urbibus; quia quælibet civitas habebat partem eorum. Quam-

Quamuis S. Joannes Chrysostomus Homil. 32. in Epist. ad Romanos aperte dicat corpora Apostolorum Petri, & Pauli esse sepulta, & asservari Romæ: in libro tamen, quod *Christus sit Deus*, asserere videtur, quod etiam Constantinopoli asserventur; quia forte illuc aliquæ particulæ ex corporibus eorum extractæ, fuerant asportatæ.

Petes. An sacrarum Reliquiarum usus sit arbitrarius?

Respondetur. Cultum sanctarum Reliquiarum non esse voluntarium, & ab hominibus excogitatum, sed a Deo inspiratum, in Scripturis, ut visum, approbatum, ut constat de Sepulchro Christi, ejusque veste, fimbria, umbra Petri, sudariis, semicinctiis Pauli, quorum venerationem Deus miraculis comprobavit.

ARTICULUS IV.

Ex veneratione sacrarum Reliquiarum magna in nos derivat utilitas.

I. Corpus Elisæi per attactum suscitavit mortuum, qui in tumulum mortui Elisæi fuerat injectus lib. 4. Reg. c. 13. ℣. 21. *Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchro Elisæi: quod cum contigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Act. c. 19. ℣. 11. Sola Pauli sudaria, & semicinctia adhibebantur languidis, & recedebant ab

ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Ibidem c. 5. ℣. 15. dicitur, quod ii, quos obumbrabat umbra tantum Petri ab infirmitatibus liberarentur: *Ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Si ergo ipsa linteamina, quæ corpus S. Pauli tetigerant, imo ipsa Beati Petri umbra ægrotos adumbrans sanitatem eis reddebant, citra dubium est usum, cultum, & venerationem sacrarum Reliquiarum nobis utilem esse.

II. Paulinus vitæ Ambrosii Scriptor n. 14. ait: *Sed ubi Sanctorum Martyrum* (Gervasii scilicet, & Protasii) *corpora sunt levata, & in lecticis posita, multorum ibi sanatæ ægritudines perdocentur.* S. Joannes Chrysostomus Homil. 8. ad populum Antiochenum tom. 2. pag. 93. *O quanta Sanctorum virtus! non solum Ipsorum verba, & corpora, sed & ipsa indumenta creaturæ omni sunt perpetuo venerabilia &c. Pauli vestimenta languores expulerunt, umbra Petri mortem fugavit.* S. Augustinus lib. 22. de civ. Dei c. 8. tot miracula dicit facta ad Reliquias S. Stephani brevissimo tempore, ut multi libri scribendi essent, si omnia referri deberent. Sulpitius in vita S. Martini refert solo contactu vestis ejus curatam mulierem a fluxu sanguinis.

III.

III. Concilium Nicœnum II. Act. 3. vocat Reliquias fontes salutares, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat. Vide etiam Concil. Tridentinum supra citatum.

QUAESTIO X.

An laudabiliter Catholici sacras Reliquias e collo suspensas gestent, & honoris causa osculentur?

ARTICULUS I.

Mos gestandi sacras Reliquias, e collo suspensas, pervetustus est, religiosus, & salutaris.

I. PAtet authoritate Nicolai Papæ I. in responsis ad consulta Bulgarorum scriptis anno circiter 865. cap. 7. p. 1. tom. 3. Concil. sciscitabantur Bulgari, an liceat Crucem Domini cum Reliquiis mundo, sive immundo hanc habenti osculari, vel portare? Pontifex in hunc modum respondit: „ Ei, qui mundus est, omnino licet, „ nam in osculo, quid nisi amor, quo quisque „ circa ea flagrat, innuitur? in deportatione vero ejus, quid nisi mortificatio carnis, & compassio proximorum exprimitur? Siquidem hanc „ & Dominus bajulare præcipit, sed in mente, „ verum & cum corpore gestatur, ut & mente

„ ge-

„ gestari debeat, facilius admonetur. Igitur, Cru-
„ cem Domini, Passionem ejus venerantes, os-
„ culamini. Portate eam, sed cum summa re-
„ verentia & corpore, & corde mundissimo &c.
„ de Reliquiis vero Sanctorum eadem dicimus,
„ quorum corpora templa, & vasa fuere, sunt-
„ que Dei, quibusque ad omnia opera tamquam
„ organis usus est, quando voluit Spiritus. „

II. Hic ritus commendatur ab Episcopis, & Presbyteris, quibus in more positum erat sacras Reliquias secum deferre, sic sanctus Carolus Borromæus vir eximia Sanctitate, sacrorum Canonum peritia, & observantia laudatissimus, ubique Crucem exiguam, sacris Reliquiis refertam e collo pendulam deferre solebat. Quid? ex antiquissima consuetudine omnes Episcopi, & Abbates benedicti hodiedum inter Ecclesiastica ornamenta accipiunt Crucem (alio nomine Pectorale vocant) hanc recitantes Orationem „ Munire digneris
„ me, Domine Jesu Christe, ab omnibus insidiis
„ inimicorum omnium signo sanctissimæ Crucis
„ tuæ, ac concedere digneris mihi indigno servo
„ tuo, ut, sicut hanc Crucem Sanctorum tuo-
„ rum Reliquiis refertam ante pectus meum te-
„ neo, sic semper mente retineam & memoriam
„ passionis, & Sanctorum victorias Martyrum. „
Nedum vero solis Episcopis, & Presbyteris, sed & cæteris priscis fidelibus usitatissimum erat, Sanctorum Reliquias e collo suspensas tenere. Certe

eam

eam pietatem laudat Theodoretus, lib. 1. Histor. Eccles. c. 17. in S. Helena, quæ clavorum partem Galeæ Regiæ inclusit, filii sui capiti consulens, ut hostium tela repelleret; partem equi fræno indidit, ut Imperatoris saluti prospiceret. Temporibus vero S. Joannis Chrysostomi plerique Fideles sanctæ Crucis particulam auro inclusam, monilis instar pretiosissimi e collo pendulam gerebant, quod ad gloriam Christi spectare censuerat sanctus Doctor inquiens : „ Illud vero ipsum „ lignum, in quo sacrum Corpus passum, & crucifixum est, cur certatim „ omnes adeunt? cur particulam ejus „ sumentes auro inclusam tum viri, tum „ mulieres e collo suspendunt ad ornatum, etsi damnationis, & ultionis „ hoc signum fuerit?

III. D. Thomas lib. contra Judæos, & Gentiles, quod Christus sit Deus n. 10. ad objectionem sibi factam, *quod liceat homini collo suspendere Reliquias Sanctorum ad suam protectionem*, sibi ipsi respondet de portatione Reliquiarum: *Quod si portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt Reliquiæ, non erit illicitum.* Accedunt miracula, beneficia, emolumenta in corpus æque, ac animam redundantia. *Imo* refert Venerabilis Beda de S. Germano Episcopo Antisiodorensi, quod oblata sibi a parentibus filia decem annorum cæca, ipse Germanus plenus Spiritu sancto Sanctis-

fi:

simam invocaverit Trinitatem, & protinus adhærentem lateri suo capsulam cum sacris Reliquiis collo avulsam manibus comprehenderit, eamque in conspectu parentum puellæ oculis applicarit, quos statim evacuatos tenebris lumine veritatis implevit. lib. 1. Hist. Eccles. Gent. Angl. c. 28. Gestabat ergo S. Germanus Reliquias e collo suspensas. *2do.* Quidam Cisterciensis Monachus de se ipso narravit Cæsario, quod, cum olim iter faciens, Reliquias Beatorum Martyrum Joannis, & Pauli in capsula ad latus portaret, eumque carnis incentiva ad delectationem moverent, sancti Martyres; quia motus illicitos restringere non conabatur, per capsellam latus ejus dure satis tundere cœperunt. Quod, cum ille non adverteret, & motibus libidinosis quiescentibus, etiam tunsiones cessarent per aliquas horas: cum iterum titillationes surgerent, renovatæ sunt, & punctiones &c. Mox ut notare cœpit pœnam, in quantum potuit, compescuit culpam. Cæsar. lib. 8. c. 67. *3tio.* Aliud exemplum narratur in vita S. Philippi Nerii ex Actis Canonizationis collecta a Jacobo Bacio lib. 5. c. 4. Adolescens quidam deferebat in pectore, S. Philippi tunc adhuc viventis capillos, & panniculos, ejus sanguine tinctos. Invitatus ab impudicissima fœmina, ejus illecebris jam pene consensurus erat; cum repente ex illis Reliquiis sensit, sibi adeo vehementi ictu pectus percuti, ut in terram exanimis conciderit, audivitque vocem, quæ ab ipso S. Philippo emit-

ti videbatur, ita se increpantem: *Vide, quid agis? abi hinc! peccatum fuge!* Quo monito perculsus adolescens, ex tam gravi periculo se se subduxit.

ARTICULUS II.

Probus est usus Fidelium sacris Reliquiis devota oscula figentium.

I. SYnodus Nicæna II. Act. 7. ait: visis ejusmodi Imaginibus, vel Reliquiis Fideles alacrius *erigi ad OSCULUM, & honorariam his adorationem tribuendam.* Tridentinum in Decreto de invocatione, & veneratione, & Reliquiis Sanctorum subdit: *Ita, ut per Imagines* (quidni & Reliquias) *quas NB. OSCULAMUR . . . Sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur.* Præterea mentem Nicolai I. ex data Bulgaris responsione cognitam habemus: *Crucem Domini osculamini . . . , de Reliquiis vero Sanctorum eadem dicimus.*

II. Lucianus de revelat. S. Stephani c. 8. testatur: *Et osculantes sanctas Reliquias iterum clauserunt.* Prudentius in lib. coron. Hymno 1. S. Vincentium cum affectu obtestatur: *Exosculamur lectulum, miserere nostrarum precum.* Meminit ejusdem consuetudinis Isidorus Pelusiota epist. 5. lib. 3. pag. 129. edit. Paris. de anno 1638. ita scribens: *Nam qui & terræ, & maris imperium obtinet,*

net, ad Piscatoris Sepulchrum exosculandorum Ossium causa se confert.

III. Suadet id ratio, sunt enim oscula vel honoris atque obsequii, vel benevolentiæ, ac pietatis argumenta, quæ cum Sanctis ipsis deferre non possimus, eorum Imaginibus, aut Reliquiis, quæ ab aliquibus propterea supplementa absentiæ nuncupantur, deferimus. Pulchre Leontius Neapoleos Cypri Episcopus serm. 5. contra Judæos, & de Imag. Sanctor. „ Sicut Jacob acceptam a filiis „ suis tunicam variam, & sanguinolentam Jo„ seph deosculatus est cum lacrymis, & propriis „ oculis hanc circumposuit, & non vestimentum „ amans, & honorans hoc fecit, sed per id æsti„ mans Joseph osculari, & in manibus eum ha„ bere: ita & Christiani universi Imaginem Chri„ sti, vel Apostolorum, aut Martyrum tenentes, „ aut salutantes carne, animo ipsum Christum „ æstimamus, vel Martyrem ejus retinere. „ In hoc autem aliquid vituperio dignum contineri, quis Cato rigidissimus judicabit?

QUAESTIO XI.

Quali cultu Reliquia Benedictionis a Seraphico Patre Nostro Francisco scriptæ decoretur?

IN *Legenda* S. Francisci inter Opuscula S. Bonaventuræ habetur sanctum Patriarcham proprio charactere Benedictionem scripsisse, ut morem ge-

reret cuidam suo Religioso in Monte Alverniæ cella recluso, qui gravi vexabatur tentatione, non carnis, sed spiritus, quem Religiosum fuisse Fratrem Leonem testantur Pisanus *in libro conformitatum*: Tossignanus in vita ejusdem Ven. Leonis in chronicis Ordinis p. 1. lib. 1. c. 64. lit. B. & C. pag. 101. Author libri, cui titulus: *Fioretti di S. Francesco*, & Waddingus ad A. C. 1224. n. 7. pag. 314. primæ edit. nunc

Respondetur. Ista sacra Benedictio scripta manu S. Francisci conservatur Assisii in Sacrario magnæ Ecclesiæ in ejus honorem dicatæ eodemque Reliquiario inclusa defertur debito cum honore in solemni processione, quæ instituitur qualibet prima die Mensis Augusti ab Ecclesia S. Francisci Civitatis Assisiensis ad Ecclesiam S. Mariæ Angelorum sitam extra dictam Civitatem, comitantibus Religiosis universis Ordinis S. Francisci Minoribus videlicet Observantibus, Reformatis, Minoribus Conventualibus, & Capuccinis.

A. C. 1720. Processionem nonnulli prohibendam esse contendebant, tum, quod in ea multa mala contingerent, tum, quod non constaret, Benedictionem eandem esse, quæ a S. Francisco scripta fuerat, tum, quod etiam Epistola alicujus Sancti manu exarata, non esset Reliquia, quæ cultum, & delationem per Processionem mereretur. His omnibus Benedictus XIV. cum in minoribus esset, jussu Cardinalis Vallemani Ord. Min. Conventualium Protectoris abunde satisfecit.

Qua-

Quapropter particularis Congregatio a san. mem. Clemente XI. die 26. Julii A. C. 1720. deputata, & Processionem servandam, & Benedictionem in ea deferendam censuit.

QUAESTIO XII.

An corpus Seraphici Patris Nostri Francisci revera post mortem suam stet in pedes erectum?

PRAENOTIO.

DIssertationi, qua de sacris Sanctorum agebam Reliquiis, apposite subjicio quæstionem de actuali statu corporis S. Francisci tamquam insignissimæ cujusdam Reliquiæ. Porro certum est, id naturaliter fieri non posse, ut corpus mortuum, cujus proprium est humi procumbere, stet supra pedes erectum, & per tot sæcula immobile, & incorruptum remaneat; idcirco Thomas Bozius lib. 15. c. 9. *de signis Ecclesiæ* loquens de corpore S. Francisci ait: *Mirandum mihi prorsus illud videtur, quod de corpore S. Francisci memoriæ est proditum, stare illud, nullis humanæ industriæ fulcris subnixum, sola Divini spiritus vi sustentatum .... nulla vetustatis vi debilitatum, nulla temporis injuria, parte aliqua incurvum. Id profecto tanti est, cum sit viventium stare, defunctorum subito humi procumbere.* Divina autem virtute mirabilem hanc stationem Beato Francisco obvenire potuisse, inficiabitur

tur nemo, qui illimitatas Divinæ Omnipotentiæ vires perspectas habet. Scio nihilominus miraculosam illam conditionem corporis S. Francisci non ab omnibus ut certam admissam esse, imo plures oppugnatores habere, quibuscum contendere nolo. Quæ ego legi, & ex aliorum libris accepi, hic fideliter exponam. Viderint tamen Adversarii, ne fatua vincendi gloria ducti, agnitam veritatem oppugnent, verbis, factis, scriptis gloriæ tanti Patriarchæ absque gravissimis rationum momentis derogent.

ASSERTIO.

Inter Nostros, & præcipue in sacra Æde Assisiensi perpetua traditio est, & communis consensus Corpus S. Patris Francisci erectum in pedes, integrum, illæsum, oculis apertis, vulneribus recentem manantibus sanguinem adhuc conservari.

I. ITa vidit Nicolaus V. & qui cum eo erant, quorum unus sub morte, ubi nec adulari, nec mentiri quis facile præsumitur, rem omnem narravit. Id, quod ex sequenti Epistola claret, quam refert Waddingus ad A. C. 1230. n. 4.



Ad

Ad Reverendissimum atque Ornatissimum DD. Andriensium Episcopum. Franciscus de Bautio Dux Andriæ Com. P. F.

„ Scripturus ego ad te Pontificis Nicolai pro-
„ gressum, qui Seraphici Patris Francisci cor-
„ pus visitaverat personaliter, veritus sum, ne
„ ut parum instructus, tamquam imperitus a pro-
„ bis, & gravibus Viris arguar. Attamen quo-
„ niam in negotio, quod aggredior, non levita-
„ te, ut ita dicam, aut temeritate aliqua, quin
„ potius reverentia & devotione fretus sum; id-
„ circo ad te admodum Reverendum hanc episto-
„ lam & si incultam, omni tamen veritate plenam,
„ destinare curavi. Ad te inquam, qui pote-
„ state tibi credita Ecclesiæ Dei partem guber-
„ nas, & regis. Novi enim, ut reor, te recen-
„ tem, ac vivam memoriam retinere eorum, quæ
„ hic modo subinferuntur. Quapropter etsi in
„ his, quæ per me scribenda sunt, aliquid me
„ prætermisisse, vel plus satis addidisse perspexe-
„ ris; articulis tuis idipsum, tua solita benigni-
„ tate, & prudentia, qua plurimum polles, emen-
„ dare, & corrigere poteris. Novi enim ob im-
„ peritiam meam, me fallere, ac falli posse in
„ hoc negotio; Te autem, qui clavem David
„ solus habes, rogatum esse vellem, ut in hanc
„ horam sermonem rectum, ac bene sonantem in
„ os meum concedere digneris, ut ea digne di-
„ cere valeam, quæ infructuoso silentio pertransi-

„ re nefas esset. Te, inquam, Dominum, Do-
„ minum meum Jesum Christum supplex depre-
„ cor, ne hujus rei per me enarrandæ devotio-
„ nis fructu caream, & expers sim.

„ Jacobus quidem Laquidonensis Ecclesiæ
„ Episcopus, dum nonis Martii Andriæ esset,
„ tuque & ipse simul alloquentes, vestros vul-
„ tus admiratione non minima replevistis. Quod
„ cum ego, qui simul aderam, intuitus essem,
„ causam tantæ admirationis, tamquam curiosus,
„ a vobis inquirere cœpi. Eapropter Jacobus,
„ qui mihi intimior erat, his verbis affatus est,
„ ut ad me conversus diceret: si quæ per tem-
„ pora retroacta aures meæ expertæ sunt, non
„ ignorares, tibi quoque admirationis inesset cau-
„ sa. Ad quem ego: Quæso, ut quæ audisti,
„ edisseras. Tunc ille: mallem, inquit, & per
„ contritionem lacrymari, quam in his cordis hila-
„ ritatem ostendere. Cum autem hæc ab eo au-
„ divissem, avidius adorsus sum hominem, & op-
„ portunam horam quæritans, deprecatus sum
„ eum, dicens: Utinam palam abs te ista cito
„ docear. Et ille, libenter faciam, inquit, sed
„ magni ponderis res ista est, & non omni ho-
„ mini aperienda. Attamen tu diligenter, & at-
„ tente audi, & ausculta. Austergius quidam titu-
„ li sancti Eusebii Presbyter Cardinalis, Beneventa-
„ næ urbis olim Archiepiscopus, dum in extrema
„ valetudine esset positus, febrique valida quam
„ maxime vexaretur, ut putaret sibi vicinam

„ mor-

„ mortem fore nocte, superveniente, quæ finem
„ languoris secum ferre videbatur: sic enim viri-
„ bus corporis destitui visus est, ut vix credere-
„ tur eum supervicturum in crastinum. Ego ve-
„ ro Jacobus, qui nimio amore hominem dili-
„ gebam, cum præsens essem, ejusque minister,
„ attente super eum vigilabam, flebamque: Ipse
„ vero sic in extremis laborans, non minus de-
„ vote, quam pie in hanc vocem prorumpens,
„ clamabat: O Francisce! Mane autem facto,
„ cum paulusculas utcumque vires resumpsisset,
„ omni cum mansuetudine deprecatus sum homi-
„ nem, ut causam ejusmodi invocationis Fran-
„ cisci mihi innotescere dignaretur. At ille: O
„ Jacobe, quem, inquit, in amore tibi præfe-
„ ram? Porro si alius interrogasset me de ejus-
„ modi rei causa, forsitan non illam ei panderem;
„ dicam tibi nihilominus, & tu attente auscul-
„ tabis.

„ Nicolaus hujus nominis Pontifex V. anno
„ Domini MCCCCXLIX. Beati Petri Apostoli
„ Sedem strenue gubernabat. Huic dum Assi-
„ sii moram traheret, venit in mentem, ut beati
„ Francisci corpus oculis propriis inspiceret, ob
„ quam causam accersitus est ab eo Dominus Pe-
„ trus de Noceto, ad quem Pontifex: Vade, in-
„ quit, ad Guardianum loci hujus, & meo no-
„ mine illi significabis, me omnino visitaturum
„ esse, & visurum beati Francisci corpus. Ivit
„ autem Petrus, & jussa sibi imposita perficiens,

„ reversus est ad Pontificem, dicens: Feci beatis-
„ sime Pater quod mandasti. Guardianus, iis
„ auditis sermonibus, nimio pavore correptus est,
„ ita ut in magno dubitationis agone fuerit posi-
„ tus: ex una enim parte contradicere non au-
„ debat voluntati Summi Pontificis; ex altera ve-
„ ro verebatur, ne tam sacrum & pretiosum pig-
„ nus auferretur ab Ordine, veluti per alios
„ prius fuerat attentatum, & ipse postmodum
„ calumniam sustineret a Civibus. Ea propter ad-
„ iens Pontificem, modo huc, modo illuc, tam-
„ quam demens, & vagus incedebat, celans ani-
„ mum suum. Cum autem fortiter cogeretur,
„ ut Pontificium impleret mandatum; petit hu-
„ militer, ut rem istam Fratribus loci palam fa-
„ cere permitteret Pontifex; qui postquam illos
„ fuisset allocutus, ad Pontificem iterum rever-
„ sus est dicens: Obedientiam, prout Ordinis
„ dignitas expostulat, tibi præbere parati sumus,
„ beatissime Pater, dummodo unum, juxta be-
„ placitum nostrum, impleveris. Porro si tui
„ desiderii cupis esse compos, tribus tantum, &
„ non pluribus tecum assumptis, ad locum de-
„ scendere necesse est. Quinta vero noctis hora
„ adveniente, descendet tua Sanctitas, & oculis
„ propriis conspicies, quem ardenter videre de-
„ sideras. Quo audito Nicolaus Pontifex, qui
„ recte, & sinceriter se gerebat in negotio,
„ lætus, inquit, assentior. Gallicus vero
„ quidam Episcopus magna auctoritate vir,
„ apud

„ apud Pontificem, hæc audiens, Pontificem
„ allocutus est, dicens: Non tibi convenit, bea-
„ tissime Pater, horum Fratrum assentiri volun-
„ tati propter scandalum, quod Ecclesiæ Dei ad-
„ venire posset. Non sic erit, inquit; quoniam
„ recte, ac fideliter in hoc negotio pergo; id-
„ circo, Deo præstante, mei desiderii compotem
„ me fore spero. His dictis, Pontifex Nicolaus
„ elegit me Austergium, Petrum de Noceto,
„ & præhabitum Episcopum Gallicum: Guardia-
„ num vero cum tribus Fratribus simul adesse man-
„ davit, visitaturis ipsis, & visuris corpus beati
„ Patris: qui nobis juncti, suisque indumentis
„ depositis, hora congruenti cum adfuissemus ad
„ paratum locum, amoti sunt lapides, cum qui-
„ bus janua fabricata erat; gradusque marmoreos
„ diligenter aspeximus, quos & magno silentio
„ descendimus. Et ecce ostium ferreum habui-
„ mus obvium, in quo tres catenæ ferreæ ex or-
„ dine stabant; quæ illico fuerunt apertæ clavi-
„ bus. Tunc Guardianus flexis genibus Ponti-
„ ficem allocutus, ait: Ingredere, Pater sanctis-
„ sime; qui solus ingrediens ante pedes sancti
„ corporis prostratus humiliter, tam vehementer
„ plorabat, ut fremitus audiretur a nobis.

„ Postquam vero Summus Pontifex consequu-
„ tus est, quod desiderium suum flagitabat, ad
„ se reversus introduxit & nos, qui cum perve-
„ nissemus ad locum, stupor equidem incredibi-
„ lis omnes invasit. Vere investigabiles viæ Do-

„ mi-

„ mini, & judicium ejus ab omni humana cogi-
„ tatione prorsus alienum! Quis unquam audi-
„ vit, aut quis talia effatus est, ut corpus hu-
„ manum per tot æva mortuum super plantas
„ proprias recte staret? Sed non fuerat abbre-
„ viata manus Domini. Erat autem locus ille
„ cernentibus nobis, instar parvæ Ecclesiæ, ha-
„ bens tres tribunas (*id est tres fornices, seu ca-*
„ *meras*) in testudine rectas. Media vero, quæ
„ ab interiori parte erecta erat, miro marmoreo
„ tabulato fabricata videbatur: in cujus medio la-
„ stra marmorea posita erat (*basis, seu pes colum-*
„ *næ*) supra quam ex Orientali latere corpus il-
„ lud Francisci Seraphici erectum stabat, facie ad
„ Occasum tendens, & oculis elevatis in Cœ-
„ lum: manus vero coopertæ erant habitus ma-
„ nicis, & simul junctæ, ut Fratres ferre con-
„ sueverunt.

„ Erat autem corpus ita incorruptum, quasi
„ esset prima die positum; videbatur enim quasi
„ dormiens. Ex alio vero latere alium erectum
„ stantem vidimus, habitu beati Dominici, qui
„ & manus simul junctas habebat, cum articulis
„ sursum junctis, veluti mos est orantium: oculi
„ vero ejus ad beati Francisci pedes intueban-
„ tur. Ambo autem ita lucidos, & splendentes
„ habebant oculos, ut nulla ad vivos esset diffe-
„ rentia. Odor insuper suavissimus talis erat, ut
„ olfactus hominum nunquam talem senserit.

„ Cum

„ Cumque Summus Pontifex a lacrymis, & „ gemitibus abstinuisset aliquantulum, ad beati „ Francisci pedes iterum procumbens, manu fimbriam ejus vestimenti extulit: nos vero sine sotularibus pedes adspeximus. O igitur felices „ oculi, qui hæc videre meruerunt! O fortunati „ animi, qui hæc meditari digni inventi sunt! „ Magna enim his fuerat collata gratia, ut in servum liquido aspicerent, qui in Deum minime „ videre poterant. Erat enim in pedis Sancti „ medio foramen cum sanguine ita recenti, ac „ si tunc mucrone pes fuisset confossus. Cujus „ quidem rei aspectu singultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare posset animi motionem? Animam præ devotione liquescere? alienari sensum? & vires totas destitui? Omnes „ autem ante recessum e loco osculum dedimus „ sancto pedi, omnesque pariter ob odorem refocillati sumus. Pes vero alius fimbria habitus operiebatur, nec nobis visum fuit illum „ violenter arripere. Manus similiter perforatæ, „ ut pedes cernebantur, recentem sanguinem „ ostendentes. O igitur memoria profunda nostræ redemptionis in servo intueri, quæ in Redemptore prius fuerant! O igitur sacra vulnera, & dulci osculatione digna, quæ post humanum lapsum in remedium data sunt! Et „ quis nostrum, qui ibidem aderamus, ausus fuit „ amplius corpus sacrum tangere, nisi solus Summus Pontifex? Ipse enim manus illius pretiosas devotissime osculatus est, osculumque sa-

„ cro

„ cro ori dedit. A quinta vero noctis hora usque ad undecimam illic mansimus, suavissimo odore repleti. Cum vero a narrantibus nunciatum fuit nobis diem prope esse, doluit quam maxime: visum enim fuerat nobis per horam ibi fuisse.

„ In illis vero tribunis sociorum beati Francisci corpora tumulata jacent : unnsquisque enim locum suum possidet, unus hinc, & alter illinc : ante ostium vero loci jacet corpus illius estatici viri Dei Fratris Ægidii ; quorum corpora absque diminutione ulla, integra cernuntur, suavissimum odorem redolentia. Ad extremum autem cum magna animi fortitudine roborati, omnes inde recessimus. Cardinalis vero Austergius, quem superius memoravimus, quamvis in memorata infirmitate aliquantulum convaluisset in die, attamen nocte sequenti naturæ debitum solvit. Nec est dubitandum, quod tantus homo, a quo hæc, quæ narravimus, accepimus, dum ad vitæ pervenisset extrema, composuisset mendacium, referens illa, quæ vera non essent. Affirmabat quoque antequam spiritum cœlo redderet, quod Nicolaus Pontifex, dum e loco illo sacro recederet, promisisset Guadiano, & cæteris, qui simul aderant, nulli mortalium palam facere, quæ viderat, dum ipse viveret, quamvis non parvipenderet illa manifesta fieri apud homines devotos, & probos, qui non secundum carnem ambulant.

II.

II. Statio cadaveris S. Francisci firmatur Epitaphio, quod per Gregorium IX. Sepulchro, vel suppedaneo lapidi gloriosi Patriarchæ aureis litteris insculptum exscripsit quidam Ducis Mediolanensis Francisci Sfortiæ Comes delubrum ingressus, a cujus posteris se illud Waddingus accepisse testatur.

V. S. C. A.
Francisci Romani
Celsa humilitate conspicui
Christiani Orbis fulcimenti
Ecclesiæ Reparatoris.
Corpori nec viventi nec mortuo
Christi crucifixi plagarum
Clavorumque insignibus admirando
Papa novæ fæturæ collacrymans
Lætificans & exultans
Jussu, manu, munificentia posuit
Anno Domini MCCXXVIII.
XVI. Kalendas Augusti.
Ante obitum mortuus, post obitum vivus.

„ Litterarum quatuor capitalium ille sensus
„ *Viro, Seraphico, Catholico, Apostolico,* dicitur au-

„ autem Franciscus Romanus, vel ex summa obe-
„ dientia, & pietate erga Sedem, & fidem Ro-
„ manam, vel quia Assisium Romanæ est ditio-
„ nis. „

III. Sacrum D. Francisci corpus erectum teste Waddingo ad A. C. 1230. n. 4. præter viros quosdam Assisiates, propriis, conspexerunt oculis plures personæ nobilitate, & dignitate insignes, Ægidius Carillius Albornotius Cardinalis Hispanus, vir præclarissimus, perpetuæ etiam inter Italos memoriæ, qui in sacro Assisiensi Cœnobio commorans, & S. Francisco arcta devotione addictus, corpus ejus stans, quinque plagis Redemptoris vulneratum, non semel veneratus est. Dux Mediolanensis Franciscus Sfortia vidit id non sine animi compunctione, & omnes, qui eum comitabantur.

IV. Præter hos viderunt istud plures Romani Pontifices, quos nominat Benedictus XIV. in suo formoso erudito opere de Beatif. & Canonizat. Sanctorum lib. 4. p. 1. cap. 31. n. 1. ita loquens -- „ S. Francisci de Assisio corpus diu
„ post obitum integrum inventum est, stans, il-
„ læsum, oculis apertis, & vulneribus recenti
„ sanguine manantibus, uti habetur apud Wad-
„ dingum ad A. C. 1230. num. 4. Sancti cor-
„ pus plures Romani Pontifices aspexerunt Gre-
„ gorius videlicet IX. Innocentius IV. Alexan-
„ der IV. Clemens IV. Nicolaus IV. & Nico-
„ colaus V. „


V.

V. Idem præter Waddingum celeberrimum Ordinis nostri Chronologum referunt, & testantur gravissimi Authores exteri, & prope innumeri Franciscani Gonzaga, Marcus Ulissiponensis, Sedulius, Rodulphus, & novissimi Scriptores, inter quos egregius P. Angelicus de Vincentia sacri Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum, qui ultra ab aliis asserta doctissimam dissertationem edidit, in qua fortissimæ rationes adducuntur, quibus sufficienter, & ultra hæc veritas demonstrari, aut saltem certo certius colligi potest corpus S. Francisci incorruptum, in pedes erectum, & stigmata ferens ad hodiernum diem extare, & ita visum fuisse.

Petes. Quis aditum ad gloriosum Sepulchrum S. Francisci præceperit obserari?

Respondetur. Sixtus IV. ad summum Pontificatum evectus, personaliter Assisium se contulit A. C. 1476. viso, & recognito sacro tumulo, Thesaurum jam satis notum, tutiorem reddere præmeditans, sanctum Jacobum de Marchia, qui ipsum inter alios comitabatur, interrogavit, quid agendum foret? Vir Dei respondit magnum illud fidei nostræ argumentum futuris temporibus reservandum esse, quando Ecclesiæ navis inter persecutionum fluctus agitabitur, & fere ad extinctionem declinabit. Tunc Deus ad firmandam Ecclesiæ fidem, nostræ Redemptionis vulnera condensa revelabit, & tunc Fideles omnes in Templo dicent gloriam. Tanto Papa admonitus ora-

culo jussit cuniculum, per quem ad ædiculam subterraneam, in qua S. Corpus est, patebat accessus, & scalam, per quam erat descensus denso aggere, ex lapidibus, & cæmento repleri; atque ita unicuique interdictum fuit prædictum sanctum corpus videre, quemadmodum fuse habetur in historia Conventus Assisiensis scripta a Fratre Francisco Maria Angelo a Rivotorto, tit. 42.



DIS-





DISSERTATIO VIII.

De ſacris Cæremoniis, variis Benedictionibus, Jejuniis, & Feſtis.



Expendam hac Diſſertatione nonnullas Catholicorum Cæremonias, quibus Romana Eccleſia præcipue in Cultu Divino, & Sacramentorum adminiſtratione hodiedum utitur; oſtendamque eas non eſſe ritus ſuperſtitioſos (ut verboſe magis, quam vere nobis affingunt Novatores) ſed eſſe ſancta vivæ religionis incitamenta, omni prorſus ætate, legis mandato, naturæ inſtinctu, vel authoritate Majorum ordinata.

QUAESTIO I.

Quis sit sacrarum Cæremoniarum Finis?

ASSERTIO.

Finis Sacrarum Cæremoniarum

INsinuatur a Synodo Tridentina sess. 22. cap. 5. his verbis: „ Cumque natura hominum ea „ sit, ut non facile queat sine adminiculis exte- „ rioribus ad rerum Divinarum meditationem su- „ stolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quos- „ dam, ut scilicet quædam submissa voce, alia „ vero elatiore in Missa pronunciarentur, insti- „ tuit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas „ benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, alia- „ que id genus multa ex Apostolica disciplina, „ & traditione, quo & majestas tanti Sacrificii „ commendaretur, & mentes Fidelium per hæc „ visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum „ altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, con- „ templationem excitarentur. „



QUAE-

QUAESTIO II.

An Horæ Canonicæ, seu ritus, certis quotidie horis laudandi Deum in sacris Scripturis fundentur?

PRAENOTIO.

OFficium Divinum, Breviarium, Horæ Canonicæ, Cursus Divinus, Sacræ Synaxes, Opus Dei nuncupabantur. Intelligitur autem nomine Divini Officii certa ratio Deum publice laudandi mente simul, & voce, authoritate Præsulum instituta, ita, ut non quælibet laudatio, vel ad Deum oratio, Divinum sit Officium, sed Divini Officii nomine comprehendatur quædam forma, & ordo Psalmorum, Hymnorum, & Precum, quem omnes sequi debent, qui Divinum officium ex debito persolvunt, uti bene adnotarunt Cardinalis Bellarminus controver. tom. 4. lib. 1. de bonis operibus in particulari c. 10. & Antonius Bellote in opere, cui titulus: *Ritus Ecclesiæ Laudunensis*. pag. 228. n. 2.

ASSERTIO.

Praxis quotidie statis Horis Deum per Canonici Officii recitationem laudandi clare colligitur ex Scriptura sacra.

UBi David psal. 54. ℣. 18. ait: *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo: & exau-*

exaudiet vocem meam. psal. 118. ℣. 164. *Septies in die laudem dixi tibi.* deinde Act. cap. 3. ℣. 1. *Petrus, & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Præterea S. Augustinus serm. 55. de tempore inquit : *Rogo vos, ad vigilias maturius surgite, ad tertiam, & sextam, ad nonam ante omnia convenite.*

Statutis ergo ab Ecclesia temporibus Horæ Canonicæ persolvendæ sunt, non solum a media nocte in aliam mediam noctem, sed peculiari quoque tempore singulis Horis recitandis præscripto, ut per integrum diei cursum Deo preces offerre nunquam cessare videamur. Beatus Petrus Damianus, & Cardinalis Baronius ad A. C. 1062. ferunt S. Severinum Episcopum Coloniensem cuidam Clerico subito se conspiciendum præbuisse, cui se Purgatorio addictum, & vehementer cruciatum patefecit : „ Quia (*inquiebat*) dum in „ Aula Regia constitutus Imperialibus „ me consiliis vehementer applicui, Ca„ nonicæ Synaxis Officia per distincta „ horarum spatia non persolvi. Mane „ quippe omnia coacervans simul, tota „ die negotiis ingruentibus secura liber„ tate vacabam. Ob hanc itaque neg„ ligentiam horarum, ardoris hujus fero „ supplicium. „ Hoc quidem aliqui in dubium revocant: attamen a culpa minime immu-

nem

nem, qui præscripta temporis intervalla negligit, nec ullis negotiis satis excusari existimat Thomassinus de benef. p. 1. lib. 2. c. 84. n. 2. & 3. Nihilominus juxta D. Thomam Quodlibet. 5. quæst. 14. a. 1. legitimis causis impediti, non servato horarum intervallo, Divino officio rite satisfaciunt. Quorum exempla refert idem Thomassinus loc. cit. „ Consideranda (*inquit*) est
„ intentio ejus, qui prævenit tempus
„ in Matutinis dicendis, vel in quibus-
„ cunque Horis Canonicis. Si enim hoc
„ facit propter lasciviam, ut scilicet
„ quietius somnolentiæ, vel voluptati
„ vacet, non est absque peccato. Si
„ vero hoc faciat propter necessitatem
„ licitarum occupationum, puta, si Cle-
„ ricus, aut Magister debet videre le-
„ ctiones suas de nocte, vel propter ali-
„ quid hujusmodi, licite potest sero di-
„ cere Matutinum, & in aliis Horis Ca-
„ nonicis tempus prævenire, sicut etiam
„ hoc in solemnibus Ecclesiis fit; quia
„ melius est Deo utrumque reddere,
„ scilicet & debitas laudes, & alia hone-
„ sta officia, quam, quod per unum aliud
„ impediatur.

QUAESTIO III.

Quid indicent ritus illi, quibus Matutinum in Epiphania Domini, ultimo triduo Hebdomadæ Majoris, in Paschate & Pentecoste oratur?

ARTICULUS I.

Matutinum in Solemnitate Ephiphaniæ

INcipit ex abrupto ab antiphona, & Psalmo sine *Versiculo: Domine labia mea aperies*, *Invitatorio*, & *Hymno*; quia Magi visa stella statim venerunt, muto nuncio non loquente. Et omittitur *Invitatorium* ad detestandam fraudulentam Herodis invitationem ad Christum adorandum: *Ut & ego veniens adorem eum.* Matth. c. 2. ℣. 8. Nec dicitur *Hymnus;* quia perfectorum est canere Hymnos, conversio vero Gentium in solis Magis perfecta non erat. Dicitur tamen in tertio Nocturno Psalmus Invitatorius nonagesimus quartus: *Venite exultemus Domino* cum intercalari Antiphonæ repetitione ad indicandum, quod in tertio tempore, nempe tempore gratiæ per tertium Nocturnum significato, sufficienter invitata sit Ecclesia de Gentibus per Magos, & stellam, & successive per Apostolos, ita, ut nullus excusari possit ab obligatione adorandi Christum, quia *in omnem terram*

ram exivit sonus eorum. Psal. 18. ℣. 5. Repetitur ideo sæpius Antiphona : *Venite adoremus*, ut confluant undique omnes. Infra Octavas vero dicitur: *Domine labia* &c. *Invitatorium*, & *Hymnus*; quia jam supponitur Ecclesia de Gentibus sufficienter instructa, & perfecta ad Hymnos canendos, sicque invitatur ad ipsum in Hymnis, & Laudibus adorandum.

ARTICULUS II.

Matutinum ultimo triduo Hebdomadæ Majoris

INcipit absolute sine *Domine labia* &c. Invitatorio, & Hymno ad obstruendum os Judæorum, potius quam laudes, & Hymnos loquentium iniqua, & ad detestandam eorum invitationem ad Conciliabula contra Christum: sicque sine initio inchoamus Matutinum, & alias Canonicas Horas, & sine solito fine absolvimus; quia in Horis Canonicis hujus tridui celebramus exequias triduanas mortis Christi, & quia Christus moritur, Alpha, & Omega, principium, & finis.

ARTICULUS III.

Matutinum in Paschate

NOn habet Hymnum (sicuti nec aliæ Horæ usque ad Dominicam in Albis exclusive) quia tempus Paschale significat statum Beatorum, quo-

rum Hymnus est Alleluja. Nec dicuntur *Capitula*; quia in statu Beatorum non est locus exhortationi, quæ continetur in Capitulis. Dicuntur tantum tres Antiphonæ cum tribus Psalmis, ac tres Lectiones cum tribus Responsoriis, ad indicandum, quod in nomine Sanctissimæ Trinitatis institutum sit Baptisma, cujus formam post Resurrectionem suam Jesus Christus tradidit suis Apostolis dicens: *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. c. 28. ℣. 19. Unde ternarius dictus numerus denotat magisterium; siquidem Christus ante traditam Baptismi formam, præmisit: *Docete omnes Gentes* scilicet mysterium Trinitatis, quod in ternario illo numero significatur: & quia *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* 1. Joan. c. 5. ℣. 7. Et quia c. 6. ℣. 3. ter dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* & semel: *Dominus Deus exercituum,* seu: *Dominus Deus Sabaoth,* hæc Divinarum Personarum trinitas bene notatur in trino numero Antiphonarum, Psalmorum, Lectionum, & Responsoriorum. Unitas vero Deitatis bene significatur in uno solo Nocturno hac die, & per Octavas recitando. Vel ad triduanam Sepulturam recolendam, ex qua ortum habuit Resurrectio Christi die tertia. Vel ad significanda opera trium dierum, quæ Christus se promisit facturum Luc. c. 13. ℣. 32. Hoc est dœmonia ejicere, sanitates perficere, & consumari tertia die: *Ecce ejicio dœmonia, & sanitates perficio hodie, & cras,*

cras, & tertia die consumor. Aut ad significandas virtutes fidei, spei, & charitatis, quæ in hoc mysterio maxime elucent. *Hæc dies* &c. dicitur loco prædictorum, & ritus iste desumptus est ex Psalmo, cui titulus est: *Alleluja.*

ARTICULUS. IV.

Matutinum Dominicæ Pentecostes

COmplectitur unum tantum Nocturnum cum tribus Antiphonis, tribus Psalmis, tribus Lectionibus, & tribus Responsoriis ex ordine Romano, & Gregorio VII. c. *in die* 15. dist. 5. de Consecrat. ut in Paschate Resurrectionis. Ratio est; quia ex hoc ternario numero ultra dicta pro die Paschatis, & per ejus Octavas, ostenditur Spiritum Sanctum tria circa Apostolos operatum fuisse, nam veteres innovavit, innovatos confirmavit, & confirmatos ad alios convertendos misit. Vide quoad ista Authores apud Lucium Ferraris verb. *Matutinum* citatos.

Hic juvat afferre prodigiosum eventum in Matutino a P. Joanne Parmensi Ministro Generali totius nostri Seraphici Ordinis persoluto una cum dœmonibus, Deo sic præcipiente, ipsum hospitio recipientibus. Cum sanctus Generalis visitaret ultramontanas Provincias, contigit brumali tempore, eum errore itineris tota die deviasse, atque in desertum, mediisque silvis ingruentem no-

ctem sustinuisse. Unde ipse, & Socii variis orationibus Deo, B. M. Virgini, ac B. Patrj Francisco se commendantes audierunt pulsari campanam, qua excitati magis in Divinas laudes ad sonitum perrexerunt, & pervenientes ad monasticum sibi visum Conventum pulsato ostio, præsto obviam fiunt quasi ex condicto expectantes plures Monachi, qui prompte receperunt hospites, ducunt ad ignem, lavant pedes, exsiccant vestimenta, apponunt Cænam, & sternunt lectos, omnia ministrant necessaria magna alacritate: post primam Vigiliam surrexit Generalis, ad orationem, & audita campana Monachos ad Matutinum convocante, ad chorum cum ipsis convenit relictis Sociis, qui somno, & fatigatione detinebantur. Officium incæpturus hebdomadarius, nec consueta usus est cæremonia, nec ordine, nec versiculo *Domine Labia mea*, sed abruptim, & cum turbatione incæpit ab illo versu Psalm. 35. ℣. 13. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Respondit chorus: *Expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Tertio id ipsum repetitum, quod suspicionem ingessit Fratri Joanni Generali: præcepit igitur in virtute passionis Christi, & sanctissimi ejus nominis, ut ocyus edicerent, quinam essent? Respondit, qui Abbatis loco videbatur præesse: Omnes esse Angelos tenebrarum, qui ex Divino præcepto inviti missi sunt ad ministrandum ea nocte ipsi, & Sociis, precibus, inquit, Matris Dei, & illius vexilliferi Patris vestri: quibus dictis totum evanuit, quod ibidem extructum cernebatur, se au-

autem cum Sociis nemoroso antro, atque in nuda humo invenit Generalis, & excitatis Sociis in laudibus Divinis reliquam noctem usque ad auroram, quæ jam instabat, vigiles duxerunt, & surgentes iter progressi, ad Conventum Ordinis pervenerunt. Sic expresse refert Waddingus novissime Romæ impressus typis Rochi Bernabo tom. 3. fol. 172. n. 5. ad Ann. Christi 1247.

QUAESTIO IV.

An justum sit flexis genibus, & elevatis manibus orare?

ASSERTIO.

Ritus precandi manibus elevatis, & genibus flexis est antiquitate commendatus, & Scripturæ exemplis comprobatus.

I. LIb. 3. Reg. c. 8. ℣. 54. *Factum est autem, cum complesset Salomon, orans Dominum, omnem orationem, & deprecationem hanc, surrexit de conspectu Altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in Cœlum.* Daniel c. 6. ℣. 10. *Quod cum Daniel comperisset, id est constitutam legem, ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante fa-*

ce-

cere consueverat. Act. c. 21. ℣. 5. ait Paulus: *Positis genibus in litore, oravimus.* Tertullianus de poenit. c. 9. inquit: *Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis impingere.* Idem Tertullianus: Scapulam Praefectum improbat, & enumerans res praeclare, ac feliciter gestas, quas Christianorum preces Ethnicis etiam Imperatoribus obtinuerant, ac potissimum affluentem pluviam, quae Marci Aurelii copias siti vehementer afflictas ab extremo discrimine liberaverat, ita scriptum reliquit: *Quando non geniculationibus, & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsae.* S. Augustinus serm. 1. in festo Apostolorum Petri, & Pauli: *Nam Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat* (id est, honorat) *Gentilium multitudo credentium.* Et serm. 4. ibidem: *Nunc ad memoriam piscatoris flectuntur genua Imperatoris, ibi radiant gemmae diadematis, ubi fulgent beneficia piscatoris.*

II. D. Ambrosius de Cruce serm. 56. inquit: *Homo, cum manus levaverit, crucem pingit, atque ideo elevatis manibus orare praecipimur, ut ipso membrorum gestu Passionem Domini fateamur.* Item Tertullianus lib. de orat. n. 11. in fine ait: *Nos vero non attolimus tantum, sed etiam expandimus a Dominica Passione modulatum, & orantes confitemur Christo.*

Petes. An prisci Fideles etiam submissa in orando voce uterentur?

Re-

Respondetur affirmative ex eodem Tertulliano n. 13. ita loquente: „ Deus non vocis, „ sed cordis auditor est, sicuti conspe- „ ctor. Quomodo & oratio Jonæ de „ ventre Ceti per tantæ bestiæ viscera, „ per tantam æquoris molem ad Cœlum „ potuit evadere? quid amplius refe- „ rent illi, qui clarius adorant? Ethni- „ corum fuit error, qui exercendæ lin- „ guæ potius, quam mundando animo „ operam darent, ut existimarent, „ quanto plura, clarioreque voce ute- „ rentur facilius se a Deo exaudiri. Col- „ ligitur ex sacro textu lib. 3. Reg. c. „ 18. ℣. 27. ubi Elias alludens ad Eth- „ nicorum ritum, quem decem Tribus „ Israel imitabantur, inquit: Clamate „ voce majore, Deus enim est, & for- „ san loquitur, aut in diversorio est, „ aut in itinere, aut certe dormit, ut „ excitetur. „ Et ideo S. Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte tom. 4. asserit: „ Non „ verbis nos agere debemus apud Deum, „ ut impetremus, quod volumus, sed „ rebus, quas animo gerimus, & inten- „ tione cogitationis cum dilectione pu- „ ra, & simplici affectu. „ QUAE-

QUAESTIO V.

An juste improbent Hæretici Romanæ Ecclesiæ disciplinam, qua Canonis, & Consecrationis verba in Missa submissa voce recitari jubet?

PRAENOTIO.

TEmpore Concilii Tridentini controversia erat Catholicos inter, & Heterodoxos, quod hi non decere clamitarent populum Secretarum verba non audire, eumque ritum irridebant, quasi similem illi, quem magi in suis incantationibus usurpant.

ASSERTIO.

Jure Ecclesia prohibuit, ne Canonis pars, & verba Consecrationis clara voce pronuntiarentur.

QUia aliter subesset periculum, ne Sanctissima illa verba ab adstantibus audita, & intellecta in triviis recitata profanarentur. Id, quod accidit in mirabili quodam eventu, quem narrat Joannes Moschus, Prati spiritualis author, relatus a Benedicto XIV. de Ss. Miss. Sacrifi. Exercit. 38. nempe puerulos quosdam pastorum filios Ecclesiæ cæremonias in agro imitari, & Mis-

sam

ſam celebrare voluiſſe. Unus ex illis Sacerdotem ſimulabat, reliqui Miniſtrorum partes agebant, pueri ſiquidem, qui Miſſæ aderant, juxta conſuetudinem prope Altare aditare ſolebant, & in quibusdam Locis Presbyteri alta voce Sacrificii verba proferebant, unde contigit, ut puer, qui Sacerdotis munus imitabatur, optime memoria retineret ſanctæ Oblationis verba. Cum igitur ventum eſſet, ut puer ille panem frangeret, ſeque communicaret, ignis Cœlo delapſus petram, quæ velut in Altare erecta erat, omniaque ſuper eam poſita abſumpſit: pueri exanimati conciderunt, ſed cum poſtea ad ſe rediiſſent, rem omnem narrarunt, de qua Epiſcopus certior factus, in eodem loco Templum exſtruxit, pueris in Monaſterium collocatis. Cum autem Moſchus ſcripſerit A. C. 1020. aut 1030. & dicat ſe rem accepiſſe a Sene quodam jam tunc non ſuperſtite, qui ex pueris unum de facie noviſſe teſtatur, videtur contigiſſe miraculum circa VI. ſæculum ſub Imperatore Juſtiniano.

Jam nemo non videt, quam provide, & ſapienter juxta Veterum monumenta Tridentina Synodus anathemate feriat eos, qui damnare audeant Eccleſiæ Romanæ ritum, quo pars Canonis, & Conſecrationis verba ſubmiſſa voce dici præcipiuntur: *Si quis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba Conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe . . . anathema ſit.* ſeſſ. 22. can. 9. Pariter Concilia Pro-

 vin-

vincialia præcipue Mediolanensia sub S. Carolo Borromæo eas preces submissa voce recitari jubent. Et S. Pius V. in rubrica Missalis de iis, quæ submissa voce recitanda sunt, ait: *Quæ vero secrete dicenda sunt, ita pronunciet, ut ipsemet se audiat, & a circumstantibus non audiatur.* Innocentius III. lib. 2. myster. Missæ c. 54. hoc silentio dicit mystice repræsentari, latibulum Christi, cum scilicet Jesus, ut tradit Joannes c. 2. Abiit, & abscondit se, id est, Judæis non se præbuit videndum, cum agitarent animo eum interficere.

Petes. An aliquando tota Missa dicatur alta voce, ita, ut ab omnibus audiatur?

Respondetur. Id evenire in ordinatione Sacerdotum, ubi Missa dicitur alta voce ab Episcopo, quasi novos Sacerdotes doceat Missam celebrare; alta inquam voce, quantum sufficiat, ut ipsi novissime initiati cum eo possint recitare, & verba Consecrationis uno, eodemque tempore pronunciare, ad exemplum Christi, qui in ultima Cœna panem, & vinum consecravit ea voce, quæ ab Apostolis, quos tunc Sacerdotio initiabat, audiri, percipique potuisset.



QUAE-

QUAESTIO VI.

Quid mystice significent ritus in collatione Baptismi, & Confirmationis intervenientes?

PRAENOTIO.

DE Cæremoniis Baptismi Venerabilis Cardinalis Bellarminus de Sacram. Baptism. lib. 1. c. 24. ita scriptum reliquit: *Omnes ritus, quibus nunc utimur, antiquissimi sunt, & vel ex Apostolorum traditione manarunt, vel a sanctissimis Patribus instituti sunt.* Estque triplex eorum genus: alii servantur, antequam ad Baptismi fontem accedatur: alii, cum ad ipsum fontem venitur, adhibentur: alii denique peracto jam baptismo adduntur.

ARTICULUS I.

Significatio Cæremoniarum Baptismi.

I. AQua solemni ritu diebus solemnibus Paschæ, & Pentecostes ad baptismum necessaria consecranda est. II. Baptismo initiandus ad Ecclesiæ fores adducitur, vel deportatur, ab ejus enim introitu ante baptismum prohibetur; quia indignus est, qui domum Dei ingrediatur, antequam a se turpissimæ servitutis jugum repulerit,

& totus se Christo Domino, ejusque justissimo imperio addixerit. III. A baptizando Sacerdos exquirit, quidnam ab Ecclesia petat, quo cognito, eum christianæ fidei doctrina, quam in baptismo profiteri debet, instituit, id autem Catechismo efficitur. Cujus institutionis morem a Domini Salvatoris præcepto manasse, nemo dubitare potest, cum ipse Apostolis mandaverit Matth. c. 28. ℣. 19. *Ite in mundum universum, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Ex quo sequitur, baptismum non esse administrandum, priusquam summa saltem religionis nostræ capita exponantur. Ubi nota, quod si is, qui instituitur, adulta ætate fuerit, ad ea, de quibus interrogatur, ipse per se respondet: si autem infans sit, pro illo sponsor respondet, solemnemque sponsionem facit.

IV. Adhibetur Exorcismus, qui ad expellendum diabolum, ejusque vires frangendas, & debilitandas, sacris, & religiosis verbis, ac precationibus perficitur. Proinde Sacerdos ter in faciem ejus, qui initiandus est, spirat, ut serpentis antiqui potestatem expellat, & amissæ vitæ spiraculum consequatur. V. Sal in illius os, qui baptizandus est, inseritur, quo significatur, eum fidei doctrina, & gratiæ dono consecuturum esse, ut a peccatorum putredine liberetur, saporemque bonorum operum percipiat, & Divinæ sapientiæ pa-

pabulo delectetur. VI. Signo crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures obsignantur, ut declaretur, baptismi mysterio sensus baptizandi aperiri, ac roborari, ut Deum excipere, præceptaque ejus intelligere, ac servare possit. VII. Nares, & aures saliva liniuntur baptizandi, statimque ad baptismi fontem mittitur, ut quemadmodum cœcus ille Evangelicus Joan. c. 7. ℣. 7. quem Dominus jusserat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit, ita etiam intelligatur sacræ ablutioni eam vim inesse, ut menti ad cœlestem veritatem percipiendam, lumen afferat.

VIII. Sacerdos ter conceptis verbis eum, qui baptizandus est, interrogat: *Abrenuncias Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus?* At ille, aut ejus nomine patrinus ad singulas interrogationes respondet: *Abrenuncio.* Igitur, qui Christo nomen daturus est, hoc primum sancte, & religiose polliceri debet, se diabolum, & mundum deserere, ac nullum unquam tempus fore, in quo utrumque veluti hostem teterrimum non detestetur. IX. Baptizandus ad ipsum Baptismi fontem consistens interrogatur a Sacerdote: *Credis in Deum Patrem Omnipotentem?* cui ille respondet: *Credo.* Et ita deinceps de reliquis Symboli articulis rogatus fidem suam solemni religione profitetur: quibus interrogationibus, & responsionibus omnem christianæ legis vim, & disciplinam contineri perspicuum est. X. Ab eo,

 qui

qui aqua salutari proxime tingendus est, exquirit Sacerdos, num baptizari velit? quo quidem per se, vel ejus nomine, si infans sit, patrino annuente, statim in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti salutari aqua eum abluit; quemadmodum enim Gen. cap. 3. ℣. 6. homo sua voluntate serpenti obediens merito damnatus est: ita Dominus neminem ad suorum numerum nisi voluntarium militem adscribi voluit, ut Divinis jussis sponte obtemperans æternam salutem consequeretur.

XI. Absoluto baptismo Sacerdos summum baptizati verticem chrismate perungit, ut intelligat, se ab eo die Christo Capiti tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus Corpori insitum, & ea re christianum a Christo, Christum vero a chrismate appellari. Quid vero chrisma significet, ex iis satis intelligi, quæ tunc Sacerdos orat, Divus Ambrosius lib. 2. de Sacram. c. 7. testatur. XII. Induit postea Sacerdos baptizatum veste alba dicens: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal D. N. J. Christi, ut habeas vitam æternam*: Infantibus vero, qui vestitu non utuntur, iisdem verbis album sudariolum datur. Quo symbolo sancti Patres significari docent, tum resurrectionis gloriam, ad quam per baptismum renascimur; tum nitorem, & pulchritudinem, qua dilutis peccatorum maculis, anima in baptismo ornatur; tum innocentiam, atque integritatem, quam in omni vita baptizatus servare debet. XIII. Deinde baptizato cereus

ar-

ardens traditur, ut ostendatur fidem charitate inflammatam, quam in baptismo accepit, bonorum operum studio alendam, atque augendam esse. XIV. Tandem nomen baptizato imponitur, quod quidem ab alio sumendum est, qui propter excellentem animi pietatem, & religionem in Sanctorum numerum est relatus. Ita enim facile fiet, ut quivis nominis similitudine, ad sanctitatis, & virtutis imitationem excitetur; ac præterea, quem imitari studet, eum quoque precetur, & speret sibi advocatum tum ad salutem animi, tum corporis defendendam venturum esse.

ARTICULUS II.

Significatum Cæremoniarum Confirmationis.

I. HOc Sacramentum maxime sacro Pentecostes die administratur; quia hoc potissimum tempore Act. c. 2. ℣. 23. Apostoli Spiritus Sancti virtute roborati, & confirmati sunt, cujus Divini facti recordatione Fideles admonemur, quæ, & quanta mysteria in sacra unctione cogitanda sint. II. Cum Episcopus Confirmationem confert, certis precationibus Deum Patrem obtestatur, ut Spiritum Sanctum super eos immittat, qui proxime confirmandi sunt. Hæc oratio non solum pietatis plena est, sed etiam vetustissima, cum in Sacramentario S. Gregorii describatur. Postea confirmandum suo proprio nomine compellat.

Dein verba profert, quæ Sacramenti formam constituunt. *Tum* (verba sunt S. Gregorii in Sacramentario) *Pontifex intincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim.* Confirmandus itaque sacro chrismate in fronte, illustriori scilicet corporis parte, ungitur, ut christianum nomen, ac religionem coram omnibus præferendam moneatur, ut inquit D. Thomas p. 3. quæst. 72. a. 9. „ Et ideo linitur „ confirmatus chrismate in fronte, ut in „ manifesto demonstret se esse christia- „ num, sicut & Apostoli post acceptum „ Spiritum Sanctum, se manifestave- „ runt, qui prius in cænaculo latebant. „

III. Signum vero crucis adhibetur, quo universi Ecclesiæ ritus, ac cæremoniæ perficiuntur, ut asserit S. Augustinus tractatu. 118. in Joannem. „ Quod signum, nisi adhibeatur, sive „ in frontibus credentium, sive ipsi „ aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo „ quo chrismate unguntur, sive sacrifi- „ cio, quo aluntur, nihil eorum rite „ perficitur. „ Eugenius quoque IV. tom. 13. Concilior. pag. 536. non frontem modo, sed crucis etiam signum simul complectitur inquiens: „ In fronte, ubi verecundiæ sedes est, „ confirmandus inungitur, ne Christi „ nomen confiteri erubescat, & præci-

„ pue

„ pue Crucem ejus, qui Judæis quidem „ est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Apostolum: propter „ quod signo crucis signatur. „ IV. Pollice tincto in oleo, sive balsamo signum crucis imprimitur. *Oleum* pro hujus Sacramenti materia propositum fuit; quia Spiritus Sancti gratia teste D. Thoma p. 3. quæst. 72. a. 2. in ipso potissimum significatur: „ Gratia Spiritus Sancti „ in oleo designatur, unde Christus di„ citur esse unctus oleo lætitiæ propter „ plenitudinem Spiritus Sancti, quam „ habuit, & ideo oleum competit ma„ teriæ hujus Sacramenti. *De balsamo vero ita subnectit*: Admiscetur autem balsa„ mum propter fragrantiam odoris, quæ „ redundat ad alios, unde Apostolus di„ cit 2. ad Corinth. c. 2. Christi bonus „ odor sumus Deo &c. & licet multa „ alia sint odorifera, tamen præcipue „ accipitur balsamum propter hoc, quod „ habet præcipuum odorem, & quia „ etiam incorruptionem præstat. Un„ de Eccles. 24. dicitur, quasi balsa„ mum non mixtum odor meus. „

V. Additur confirmando patrinus; nam si, qui gladiatoriam dimicationem subeunt, alicujus

indigent, cujus arte, & consilio doceantur, quibus ictibus, & petitionibus, salvis ipsis, configere adversarium possint; quanto magis Fideles, qui cum Sacramento Confirmationis, quasi firmissimis armis tecti, ac muniti, in spirituale certamen, cui æterna salus proposita est, descendunt, duce, ac monitore indigebunt. VI. Episcopus leniter genas uncti, & confirmati percutit, cujus rei caussam dat Concilium Senonense coactum A. C. 1524. *Ut ea percussione infantes memoriam habeant se fuisse confirmatos, ne iterum confirmentur*. Sed alia, & præstantior in libro Catechismi Romani reperitur: *Ut meminerit confirmatus se tamquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda.* VII. Pax ei datur, ut intelligat, se gratiæ cœlestis plenitudinem Philip. c. 4. ℣. 7. & pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecutum esse. VIII. Patrinus ipsi candida fascia frontem obducit, ne sacrum chrisma in genas confirmati defluat, & simul, ut Spiritus Sancti gratiam, omni cura, & diligentia retinendam intelligat.



QUAE-

QUAESTIO VII.

An signum sanctæ Crucis, quod in fronte, vel aere formamus, aut super quascunque res, quas benedicere volumus, facimus, superstitionem aliquam redoleat?

ASSERTIO.

Hujusmodi sanctæ Crucis signum est in praxi religiosum, utile, & licitum.

R*Eligiosum;* quia nos Christo unit per sanctam Dominicæ Passionis commemorationem, nosque ad Redemptorem nostrum amandum stimulat. *Utile* ex S. Athanasio in vita S. Antonii, ubi narrat eum signo Crucis non semel dœmones fugasse. Ex S. Augustino lib. 12. contra Faustum c. 30. dicente: *Signantur signo Dominicæ Passionis in frontibus populi ad tutelam salutis. Licitum;* quia nihil continet superstitiosi. Hæretici id tamquam magicum detestantes eo invictissime confutantur responso, quo Christus Matth. c. 12. confutavit Pharisæos. Blasphemabant illi, quod ipse in Beelzebub ejiceret dœmonia, quod idem est, ac magice, & superstitiose. Respondit Servator ℣. 26. *Si Satanas satanam ejicit adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?* quasi diceret: Satanas non ejicit satanam: si ergo satanam ejicio, in

in virtute satanæ id non facio. Ita discurro & ego: si uti signo crucis ad aliquos effectus esset magicum, & superstitiosum, hoc esset virtute dœmonis in eo operantis: ergo cum satanas satanam non ejiciat, signum crucis hunc saltem effectum dœmones fugandi habere non posset, quem tamen habere ex infinitis propemodum miraculis demonstrari posset. Imo testis est S. Epiphanius hæresi 30. Judæos, & Paganos solum intendentes facere, quod faciunt Christiani, hoc signo dœmones fugasse.

Petes. An Religionis nostræ parentes tale crucis signum habuerint in usu?

Respondetur. Affirmative. S. Ambrosius serm. 44. dicit: „ Surgentes gratias agere Deo „ debemus, & omne diei opus in signo „ facere Salvatoris. „ *Cyrillus catech. 4. & 13.* „ Fac autem hoc signum & manducans, & bibens, & stans, & sedens, & „ loquens, & ambulans, & in omni negotio tuo. *Iterum infra:* In fronte fidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, „ in panibus comedendis, in poculis bibendis in ingressu, & egressu: ante somnum recumbendo, & resurgendo, eundo, & quiescendo,

mag-

„ magna hæc est custodia. *Tertullianus de* „ *corona militis c. 3.* Ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad „ lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcun„ que nos conversatio exercet, frontem „ crucis signaculo terimus. „ *Tandem S. Chrysostomus homil. 12. in 1. ad Corinth.* Prius„ quam hoc signum possit infantulus „ manu propria facere, vos ipsi crucem „ ei imprimite. „ Ita censerunt Patres de signo sanctæ crucis, quam oderunt Hæretici. Non capio, quod inutiles, & nauci homines eo signo se signare recusent, in quo tamen salvati sunt, & quo sancta, doctaque antiquitas se se signare non erubuit.

QUAESTIO VIII.

Quis Author aquæ benedictæ? & qui illius effectus?

PRAENOTIO.

RECte benedici aquam, oleum, panem, cereos, cineres, ramos &c. liquidum est ex Scripturis, quæ continent exemplum, & documentum. Exemplum est Domini Matth. c. 14. ℣. 19. & Luc. c. 9. ℣. 16. qui panes multiplicaturus aspexit in Cœlum, & benedixit eos, & ea benedictio

ctione multiplicavit. Certe, quod Dominus egit, argui non potest. Documentum est Pauli 1. ad Timoth. cap. 4. ℣. 4. & 5. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Hinc manifestum fit, creaturas Dei, quæ alioqui bonæ sunt per verbum Dei, & orationem, perque signaculum sanctæ crucis, & Divinæ opis implorationem aliquid acquirere, quod sine verbo Dei, & precibus non habent: sanctificantur enim per verbum Dei, & preces, atque adeo ex rerum communium, & vulgarium numero eximuntur. Est autem verbi Dei, & orationis tanta vis, ut S. Joannes Chrysostomus homil. 12. in epist. 1. ad Timoth. putet Apostolum quasi ex hypothesi locutum, hanc ratiocinationem instituere voluisse: licet aliqua creatura non esset bona, ut quibusdam Hæreticis deliratoribus visum, ea tamen verbi Dei, & orationis vis, & efficacia esset, ut si creaturis non bonis adhiberentur, in eas statim bonitatem transfunderent. Etsi aliqua creatura *immunda* esset, *medicamentum in promptu esset*, inquit S. Chrysostomus, *signum illi crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit.*



AR-

ARTICULUS I.

Ritus benedicendi aquam baptismatis, & eam, quæ in latina Ecclesia singulis diebus Dominicis, vel Sabbatis benedicitur, ut inde populus, & alia aspergantur, utque ab ipsis etiam Fidelibus in vasculis mundis, domum deportetur, & religiose usurpetur.

DEfertur a S. Basilio in lib. de Spirit. sanct. tacitæ cuidam traditioni his verbis: *Consecramus aquam baptismatis, & oleum unctionis ex quibus scriptis? nonne a tacita, secretaque traditione?* Et Concilium Mogunt. c. 39. *Veterem morem in Ecclesia sequimur, dum salem, aquam, & cæteras quasdam res in usum Fidelium præparamus, quem morem præcipimus observari.* Porro sal ea ratione additur; quia Deus in lege Moysi mandavit Levit. c. 2. ℣. 13. *Quidquid obtuleris sacrificii sale condies . . . . in omni oblatione tua offeres sal.* Et Num. c. 18. ℣. 19. *Pactum salis est sempiternum.* Propterea Apostoli, & Prædicatores Evangelici denotantur per salem, ut eorum doctrina præserventur homines ab idololatria, & a tenebris ignorantiæ Divinarum rerum juxta illud Christi: *Vos estis sal terræ.*

AR-

ARTICULUS II.

Effectus, quos usus, & aspersio aquæ benedictæ operatur,

INdicat Alexander I. epist. 1. c. 5. & c. *Aquam sale conspersam* 20. dist. 3. de Consecrat. ubi sic legitur:

„ Aquam sale conspersam populis „ benedicimus, ut ea cuncti aspersi san„ ctificentur, & purificentur; quod & „ omnibus Sacerdotibus faciendum esse „ mandamus; nam si cinis vitulæ san„ guine aspersus populum sanctificabat, „ atque mundabat, multo magis aqua „ sale aspersa, Divinisque precibus sa„ crata populum sanctificat, atque mun„ dat. Et si sale asperso per Elisæum „ Prophetam sterilitas aquæ sanata est, „ quanto magis Divinis precibus sacra„ tus sal sterilitatem rerum aufert hu„ manarum, & coinquinatos sanctificat, „ atque mundat, & purgat, & cætera „ bona multiplicat, & insidias diaboli „ avertit, & a phantasmatum versutiis „ homines defendit. „

Ha-

Habet ergo aqua benedicta I. Virtutem *sanctificativam*, in quantum excitat in homine devotionem. II. Virtutem *purificativam*, in quantum per eam venialia diluuntur. III. Virtutem *ablativam* sterilitatis, & aliorum malorum. Refert Bartoli hist. Sinen. l. 2. c. 4. in quadam Civitate Sinensi *Chiauc* appellata, filiolo matris Christianæ, qui utroque oculo captus erat, aspersione aquæ lustralis integram lucem esse restitutam. In alia Civitate Imperii Sinensis *Rum* dicta, fœminam christianam nomine *Mauram* mortuam, & tumbæ jam impositam aspersa aqua benedicta ad vitam rediisse, & de tumba sanam, ac incolumem surrexisse tanta Gentilium admiratione, ut eo miraculo commoti eorum nongenti baptizari petierint, & sacro fonte ad vitam gratiæ regenerati fuerint. IV. Habet virtutem *defensivam* a phantasmatibus, & *aversivam*, insidiarum diaboli; prout testantur Epiphanius hæresi 30. & Theodoretus hist. Eccles. lib. 5. c. 21. *Dæmon aquæ aspersæ vim non ferens penitus aufugit.* P. Matthæus Riccius Nanquinum, sive Nancking, Regiam Sinorum Urbem advenerat, petieratque domum, in qua habitaret, cui Princeps quidam Mandarinus designavit domum a dœmonibus infestatam, & ob diurnas, nocturnasque spectrorum grassationes a nemine habitatam. Accepit hospitii copiam grato animo Pater, & conspersis aqua benedicta conclavibus totam domum ab infernali hospite, & tu-

tumultu ſtupentibus Ethnicis penitus liberavit. Vide Bartoli loc. cit.

Petes. In cujus rei memoriam in Vigilia Epiphaniæ aqua benedicatur, & quid in ea ſingulare animadvertatur?

Reſpondetur. Morem hunc pervetuſtum ducere originem, ex quo in feſto Epiphaniæ olim baptiſmus maxime frequentabatur. Viget ille in Orientali Eccleſia (ut videri poteſt apud Jacobum Goar in *Eucbologio*, ſive *Rituali* Græcorum, *ſub titulo Officii aquæ benedictæ in ſanctis Theophaniis*, id eſt, Dei manifeſtationibus) ejusque meminit S. Joannes Chryſoſtomus tom. 2. oper. pag. 369. in Homil. de baptiſmo Chriſti: „ In hac Solemnitate ſub mediam noctem, cum omnes aquati fuerint, domum latices referunt, & recondunt, & per integrum annum conſervant, utpote quod hodierna die ſanctificatæ ſint aquæ (*Chriſtus enim Dominus hac ipſa die baptizatus dicitur a Joanne*) fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, ſed integro anno, atque adeo biennio, & triennio ſæpe, quæ hodie fuit hauſta, incorrupta, & recens permanet, ac poſt tantum temporis cum iis, quæ nuper „ ſue-

„ fuerint fontibus adductæ, certat. „ Viget & idem mos sacer in Ecclesia Occidentali, ut pluribus ostendit eruditus Edmundus Martene in tract. de antiq. Eccles. discipl. in Divinis celebrandis Officiis tom. 4. c. 14. n. 2.

QUAESTIO IX.

An contra vermes, & insecta utiliter sacra benedictione utamur? qua item benedicendi norma sit usus Benedictus XIII.?

PRAENOTIO.

I. ANimadvertendum est id, quod S. Thomas 2da. 2dæ. quæst. 98. articul. 3. scripsit: „ Dicendum, quod creaturæ irrationa- „ les ab alio aguntur ad proprias ope- „ rationes. Eadem autem actio est ejus, „ quod agitur, & movetur, & ejus, „ quod agit, & movet, sicut motus sa- „ gittæ etiam est quædam operatio sa- „ gittantis, & idcirco operatio irratio- „ nalis creaturæ non solum ipsi tribui- „ tur, sed principaliter Deo, cujus di- „ spositione omnia moventur: pertinet „ etiam ad diabolum, qui permissione „ Divina utitur aliquibus irrationabili-

„ bus creaturis ad nocendum homi-
„ nibus. „

II. Ex sacris Litteris clare deprehenditur, Deum iratum non semel pusillis animantibus usum fuisse, ut mortalium crimina, pravasque cupiditates ulcisceretur. Capita 8. & 9. in exodo aperte commemorant ranas, sciniphes, muscas, & culices ob Pharaonis impudentiam toti Ægypto vastitatem attulisse. Scimus insuper ex Regum historia Philistæos incredibili murium copia oppressos. Præterea legimus psalmo 104. *Dixi, & venit locusta, & bruchus, cujus non erat numerus.* Psalm. 77. *Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ.* Joel Propheta cap. 1. hæc tradit: *Residuum Erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Nomine autem *Erucæ*, & *Rubiginis* juxta Calmet in Dictionario sac. Script. ad verb. *Eruca* intelliguntur Vermes.

III. Qui post vetus Testamentum nova velit exempla, adeat Scriptores, præsertim S. Augustinum lib. 3. de civ. Dei c. 31. memorantem:
„ Locustarum in Africa multitudinem
„ prodigii similem fuisse, cum jam esset
„ populi Romani Provincia, Litteris
„ mandaverunt: consumptis enim fru-
„ ctibus, foliisque lignorum, ingenti,
„ atque inæstimabili nube in mare di-

„ cunt

„ cunt esse dejectam, qua mortua, red-
„ ditaque litoribus, atque hinc aere
„ corrupto, tantam ortam pestilentiam
„ dicunt, ut in solo Regno Masinissæ
„ octingenta hominum millia periisse re-
„ ferant, & multo amplius in terris li-
„ toribus proximis. Tunc Uticæ ex
„ triginta millibus juniorum, qui ibi
„ erant, decem remansisse confirmant.

ARTICULUS I.

Benedictio contra Vermes, & Insecta, qua per fervidas preces ad Deum convertimur, ejusque præsidium pœnitentes imploramus, maxime proficua est, & sæpissime cum optato eventu conjuncta.

I. IPse quippe Deus promisit lib. 2. Paralip. c. 7. ℣. 7. *Si clausero Cœlum, & pluvia non fluxerit, & mandavero, & præcepero locustæ, ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum; conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam a viis suis pessimis, & ego exaudiam de Cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Precibus quoque Moysis Exod. c. 8. placatus ranas, sciniphes ac muscas longe propulsavit.

II. De S. Grato Augustæ Prætoriæ Episcopo refert Thiers tom. 1. Superstitionum lib. 3. c. 2. pag. 450. tertiæ editionis Parisiensis, solitum fuisse aqua lustrali bestias terræ frugibus nocentes expellere, illiusque precibus agros Augustæ ad tria milliaria infestis muribus liberasse. P. Martinus del Rio in suis disquisitionibus magicis lib. 6. Anacephalæosis monit. 11. fatetur, Hispanias ab Insectis eas devastantibus indictis precibus vindicatas. Cardinalis quoque Baronius in Annalibus tom. 10. anno 885. hæc confirmat exemplo Pontificis Stephani VI. quod ex Vaticana Bibliotheca desumpsit: „ Cum clades (*inquit*) „ locustarum, quæ Prædecessoris sui, „ Hadriani videlicet, totam patriam con- „ sumpserant, malo multiplicato germi- „ ne, nasci cœpissent, & omnia reple- „ vissent, misertus idem Sanctissimus „ Papa afflicti populi, primum quidem „ divulgavit, ut, si quis de iis unum „ sextarium caperet, & sibi attulisset, „ quinque, vel sex denarios ab eo per- „ ciperet. Hoc autem populi audien- „ tes, cœperunt huc, illucque discur- „ rentes, eas capere, & misericor- „ dissimo Patri ad emendum portare. „ Sed, cum illas tali argumento delere „ nequissent, ad Domini misericordiam

„ con-

„ confugiens, in Oratorium Beati Gre-
„ gorii, ubi ejus lectus habetur, juxta
„ Ecclesiam Principis Apostolorum ve-
„ niens se se cum lacrymis in orationem
„ dedit: cumque diutius orasset, sur-
„ rexit, & aquam propriis manibus be-
„ nedicens, Mansionariis præcipit di-
„ cens: Tollite, & singulis distribuite
„ monentes, ut in nomine Domini agros
„ suos circumeant, & hanc aquam spar-
„ gant per sata, & vineas, petentes Do-
„ minum sibi suffragari præsidium. Quo
„ facto, tanta Omnipotentis Dei subse-
„ cuta est misericordia, ut ubicunque
„ ipsa aqua aspersa est, nulla penitus
„ locusta remaneret. Hæc circumqua-
„ que vicini audientes ad Urbem con-
„ fluunt, subveniri sibi deposcunt, om-
„ nem terram in pulveris modum locu-
„ stis coopertam clamitant; quos benig-
„ nus Pater benigne commonuit, de Cœ-
„ lo auxilium petere debere contra fla-
„ gellum imminens. „


ARTICULUS II.

Benedictio contra Mures, Locustas, Bruchos, & Vermes noxios, qua Benedictus XIII. non semel usus est, ut Romanum agrum ab Insectorum pernicie liberaret.

ANt. *Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.*

Ps. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt nobis.*

℣. *Gloria Patri &c.* Et repet. Ant.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit Cœlum, & terram.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

PReces nostras, quæsumus, Domine clementer exaudi, ut, qui juste pro peccatis nostris affligimur. Et hanc murium (vel locustarum, vel vermium) persecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur; ut tua potentia procul expulsi (vel expulsæ) *nulli noceant, & campos, agrosque nostros in tranquillitate, ac quiete di-*

mit-

mittant, quatenus ex eis surgentia, & orta tuæ Majestati deserviant, & nostræ necessitati subveniant. Per Christum &c.

℟. *Amen.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miserator, & in cujus nomine omnia genuaflectuntur, cœlestia, terrestria, et infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut, quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam efficacem consequamur effectum: quatenus hos pestiferos mures (vel locustas, vel vermes) *per nos servos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut, per tuam clementiam ab hac peste liberati, gratiarum actiones Majestati tuæ libere referamus. Per Christum.*

℟. Amen.

Oremus.

Exorcizo vos pestiferos mures (vel locustas, vel vermes) *per Deum Patrem omnipotentem* † *et Jesum Christum Filium ejus* †, *& Spiritum Sanctum ab utroque procedentem* †, *ut confestim recedatis a campis, & agris nostris, nec amplius in eis habitetis, sed ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis: pro parte omnipotentis Dei, & totius Curiæ cœlestis, et Ecclesiæ sanctæ Dei vos maledicens, ut quocumque ieritis, sitis maledicti* (vel maledictæ) *deficientes de die in diem in*

vos ipsos (vel ipsas) *& decrescentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem, & usum humanum. Quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem.*

℞. Amen.

Postea Aqua benedicta aspergantur loca infecta.

QUAESTIO X.

Quibus cæremoniis campanæ benedicantur, & an recte pulsentur, dum procellæ impendent?

PRAENOTIO.

Ex quo capitularia Caroli Magni, quæ ducentis fere annis Joannem XIII. præcesserunt, & ante ipsum Rituales libri de campanarum benedictione meminerunt: Alcuinus quoque, qui circa A. C. 770. floruit, id scriptum reliquit: *Neque novum videri debet campanas benedicere, & ungere, eisque nomen imponere*, manifeste apparet; hujusmodi ritus initium Joanni XIII. pro quo stat Baronius ad A. C. 980.) minime esse tribuendum.

ARTICULUS I.

Cæremoniæ quæ servantur in benedictione campanarum

Comprehenduntur in recitandis quibusdam Psalmis, ac precibus. Episcopus salem, & aquam be-

benedicit, ipsisque permixtis campana abluitur. Eam infirmorum oleo, sanctoque chrismate linit Episcopus. Thus campanæ subjicitur; ac postremo Evangelium S. Lucæ Diaconus canit, quæ omnia in Romano Pontificali accurate describuntur. Ex consuetudine Ecclesiæ, campana alicujus Sancti nomine insignitur: *Eisque nomen imponere solet Ecclesia Ramana* inquit Ducange in glossario ad verbum *Campanas baptizari.* Cujus rei causam exponit P. Petra Sancta lib. 2. de Rit. Eccles. cath. pag. 45. *Insigniri autem Æra companæ insueverunt nomine aut Deiparæ Virginis, aut superum aliorum quorumcunque, quo ita nimirum, non bruto metalli sono, sed cieri ad templa quodamodo Cælitum ore videamur.* P. Martinus del Rio Disquisit. Magicar. lib. 6. c. 2. Sect. 3. q. 3. *Nomen illis in Beati alicujus honorem imponitur, ut illius quasi commendetur tutelæ vas metallinum Divinæ laudis instrumentum.* Pouget in Inst. cathol. tom. 2. pag. 902. *In honorem Sancti alicujus campana consecratur. ut eo nomine distinguatur a cæteris.*

Deinde nomen baptismi ab Ecclesia permittitur, ne Fidelium simplicitas minuatur, quod ex eo dimanavit; quia populus in campanarum benedictione aquam adhiberi, nomen imponi, & alia peragi animadverterit, quæ in conferendo baptismo fieri consueverunt. Baptismus igitur pro benedictione usurpatur, eo prorsus modo, quo Ivo Serm. de Sac. Dedicat. Ecclesiæ Dedicationem Baptismum appellavit: *Ipsum templum suo modo, & ordine baptizamus. Imo in Hispania* (ut scribit Rocca in suo

comm.

comm. campan. c. 6.) *cum campanæ consecrantur, vel ut improprie ajunt, baptizantur ... vir, & mulier ... tamquam compatres admittuntur &c. præsertim vero in aliquot Cataloniæ partibus.* Idem mos in Germania viguit.

ARTICULUS. II.

Campanæ, dum imminent tempestates, utiliter pulsantur.

Audiatur Pouget in Inst. cathol. tom. 2. pag. 902. ubi singulas cæremonias pro benedictione campanarum præscriptas diligentissime explicando prosequitur : „ Patres vero Coloniensis „ Concilii A. C. 1536. beneficia, quæ ex „ campanarum consecratione in nos pro- „ manant, his verbis exponunt : benedi- „ cuntur quoque campanæ, ut sint Tu- „ bæ Ecclesiæ militantis , quibus voce- „ tur populus ad conveniendum in tem- „ plum &c. ut per illarum sonitum Fide- „ les invitentur ad preces &c. ut dæmo- „ nes tinnitu campanarum Christianos ad „ preces concitantium terreantur, quin „ potius precibus ipsi territi abscedant, „ illisque summotis, fruges, mentes, „ & corpora credentium serventur &c. „ fragor grandinum , procellæ turbinum,

„ im-

„ impetus tempestatum „ & fulgurum „ temperentur, infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus „ procellarum, & aereæ potestates prosternantur. „ Idem deprehenditur ex precibus Ecclesiæ in campanarum benedictione.

Advertendum tamen est, ut monet Suarez lib. 2. c. 16. n. 8. ubi ait: „ Ille spiritualis effectus non expectatur, nisi a Deo per „ orationes Ecclesiæ, quæ in illa benedictione funduntur; & licet quoad nos „ transire videantur, & in re benedicta „ virtutem non relinquant, semper tamen manent in Divina cognitione. Ideoque, licet non semper infallibiliter „ obtineant effectus postulatos, sæpe nihilominus impetrant; quando aliæ opportunæ conditiones concurrunt; quia „ generaliter hoc promissum est justæ orationi, qualis maxime censenda est „ illa, quæ nomine totius Ecclesiæ funditur.

Ex his facile conjicitur, quam sapienter Benedictus XIV. cum Bononiensem administraret Ecclesiam Custodes Ecclesiarum sit adhortatus, ne impen-

pendentibus nimbis, turbinibus, & procellis campanas pulsare negligant. *Sed quoniam* (ait ille Inst. Eccles. 47. n. 37.) *procellæ non dissipantur ob motum, quem in aere sonitus campanarum excitat, verum precibus id tribuendum est, quæ nomine Ecclesiæ persolutæ sunt, dum Campana benedictionem rite accepit, ideo, si hæc consecratio omittatur, beneficia, quæ ex illa profluunt, sperare non licet.*

QUAESTIO XI.

In cujus mysterii reflexionem in Festo S. Joannis Evangelistæ vinum benedicatur? Et quos effectus producat?

ASSERTIO.

Vera hujus moris ratio ex Historia S. Joannis petenda est

I. Qui pingitur calicem manu tenens, ex quo prospicis serpens; quia, ut Isidorus lib. de Patribus novi Testamenti testatur: *Bibens letiferum haustum, non solum evasit periculum, sed eodem prostratos poculo in vitæ reparavit statum.* Quo allusit S. Augustinus in soliloquiis: *Pro tua dulcedine gustanda, veneni poculum intrepidus Joannes potavit.* Exinde ergo usitatissimum evasit in Germania, ut in die S. Joannis Evangelistæ vinum benedicatur, idque gustetur ante omnem alium potum; nec desunt; qui inde etiam in alia vini dolia, veneficiorum avertendorum gratia, aliquid hujus consecrati

crati vini infundant. Neque eventus pietatem, & proborum expectationem fallere solet.

II. Multa sæpe miracula patrarunt viri Sancti vino benedicto; nam S. Malachias Episcopus Hiberniæ (ut refert S. Bernardus in eius vita) poculo benedicto mulierem a morte liberavit, vita etiam fœtui conservata, ut salvus, & incolumis in lucem ederetur. S. Wilibrordus (ut in ejus vita scribit Alcuinus) haustu benedicto insanabilem, & rabidam sitim cujusdam extinxit, atque profligavit. Vide plura ejusmodi miracula apud Gretserum.

III. Addo ex eodem Gretsero *benedictionem S. Joannis*, quæ jam jam abituris offertur a pietate, & ab observantia in Sanctum Apostolum, originem traxisse, cum enim S. Evangelista sine ullo damno venenum bibisse tradatur, Majores nostri hunc haustum, vel potius delibationem vini introduxere, ut meritis S. Apostoli, quidquid potus sumptum esset, id ad utilitatem animæ, & corporis cederet, & ut hac benedicta clausula potus intra viscera immissus quasi obsignaretur. Propterea *haustus S. Joannis* modicum quid continet; bibens enim hoc valedictorium poculum non tam bibit, quam libat, & supremis labris tangit: quæ consuetudo non est damnanda, sed potius laudanda, si maneat intra debitos terminos.

Verum vitiis excrescentibus, immane quantum etiam haustus iste excrevit, dum non tantum sobriis, sed & jam ebriis offertur, & importune etiam

etiam ingeritur, nec semel, sed sæpius, poculis capacibus; quæ funditus exsiccari necesse sit, nisi cum mala gratia abire velis, ut proinde omnem benedictionem ab hoc haustu tam immoderato exulare oporteat. Quamvis autem Novatores benedictionibus non adeo delectentur, ab hac tamen, quæ in symposiis petitur, ac redditur, minime abhorrent, quam alacriter & petunt, & reddunt parum memores illius, quod alioqui adversus benedictiones intorquere solent: *Nil opus esse, ut res benedicantur; jam omnes a Deo benedictas esse.* Si omnes res jam antea a Deo benedictæ sunt: ergo & vinum. Cur ergo postulant, ut commensales, aut compotatores sui novam benedictionem potui superadjiciant?

QUAESTIO XII.

Unde ea profecta sit cæremonia, ut in Festivitate Purificationis B. V. Mariæ sub tempus Processionis candelæ accensæ prius benedictæ a Clero, & populo manibus deferantur?

PRAENOTIO.

I. NOtandum ex Joanne Gerson sæculi decimi quinti Scriptore tom. 3. *de directione cordis* pag. 474. considerat. 21. Ecclesiam sæpe in id operam suam contulisse, ut profani quidam Ethnicorum ritus potius vero Deo consecrarentur, quam omnino tollerentur, ubi ad rem deinde citatus Author

thor ait: „ Patet hoc de Festo purificatio-
„ nis, quod ideo Candelaria vulgo dici-
„ tur; quia portantur candelæ ardentes
„ illo die in honorem purissimæ, & lu-
„ cidissimæ Virginis Mariæ, quæ prius
„ portari apud Gentiles consueverant in
„ venerationem cujusdam Deæ, & in
„ lustratione Urbis Romanæ.

II. Notandum a Baronio doceri in notis ad Martyrologium ad diem 2. Februarii, Gelasium I. sæculo quinto ad finem vergente nefarios ludos *Lupercales* ab Evandro institutos, qui Mense Februario celebrabantur, sustulisse. In iis nudi homines Urbem concursabant caprinis pellibus fœminarum ventrem verberantes; quia ad earum fœcunditatem, & pariendi facilitatem multum id conferre existimabant. Idipsum ex pluribus Ethnicis Scriptoribus collegit Jacobus Hofmannus in Lexico Universali verbo *Lupercal.* Itaque addit Baronius eundem Pontificem Gelasium I. instituisse solemnitatem Purificationis B. Virginis sublatis illis propudiosis ludis, fuisseque postea ab Occidente in Orientem propagatam, ad iram Dei mitigandam, cum, Justiniano imperante, pestilentia Constantinopoli glisceret: Sergium denique Pontificem sæculo septimo, ut constat ex libro Pontificali, qui Anastasio tribuitur, Processionem cum candelis addidisse. Id de mente Baronii.

III. Notandum *Amburbalia* fuisse apud Ethnicos quoddam sacrificium, quod illi celebrabant faces manu tenentes Urbem perlustrando: universum quippe Orbem Romani subegerant, omnibusque censum, seu tributum, quinto quoque anno solvendum imposuerant; quo tributo accepto, Mense Februario Diis inferis sacrificabant, ut iis pro subacto Orbe, & partis eorum ope (ut ipsi arbitrabantur) victoriis gratias agerent.

ASSERTIO.

Probabilius est Processionem in Festo Purificationis fuisse *Amburbalibus* subrogatam.

I. STat pro hac sententia doctissimus Cardinalis Prosper Lambertinus eorum subscribens opinioni, qui Processionem affirmant *Amburbalibus* fuisse substitutam longo tempore ante Sergii ætatem. Authores autem, quos sequitur laudatus Cardinalis sunt sequentes: Menardus ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 41. & 42. Henschenius ad diem 2. Februarii pag. 271. Rocca tom. 1. edit. Rom. A. C. 1719. pag. 215. §. *ex Rabani*. Saxius Differt. Apologetica Sanctorum corporum Protasii, & Gervasii §. 14.

II. Quia Baronii sententia non videtur sat solidis nixa fundamentis, nec enim facile intelligi potest, quomodo *Lupercalibus*, in quibus neque funalia, neque faces adhibebantur, substituta fuisset

set Processio, in qua deferuntur candelæ. Etsi ergo admittatur a Gelasio *Lupercalia* fuisse sublata, non tamen admittitur a Cardinali Lambertino, & aliis iis ab eodem Pontifice substitutam fuisse Festivitatem Purificationis cum suis cæremoniis.

III. S. Ildefonsus sæculi septimi Scriptor tom. 12. Biblioth. PP. pag. 589. ad propositum ita disserit: *Quam lustrandi consuetudinem congrue, & religiose christiana mutavit* Religio, cum eodem Mense, hoc est, hodierna die in honorem S. Genitricis Virginis Mariæ non solum Clerus, sed omnis plebs Ecclesiarum loca cum cereis, & diversis Hymnis lustrantibus circumeunt.

Animadvertendum tamen, quod etsi Sergius *Amburbalibus* non subrogaverit Processionem, jusserit tamen, ut tum in hoc, tum in aliis Beatæ Virginis Festis exiret Processio ab Ecclesia S. Hadriani ad Liberianam S. Mariæ Majoris Basilicam; quod unum probant verba ex libro Pontificali, quæ minus apposite solent afferri ab iis, qui ostendere conantur illum fuisse primum Processionis Authorem: „ Constituit autem, ut diebus „ Annunciationis, Nativitatis, & Dormitionis S. Dei Genitricis, semperque „ Virginis Mariæ, ac S. Simeonis, „ quod Hypapantem Græci appellant, „ Litania exeat a S. Hadriano, & ad S,

„ Mariam populus accurrat, ut optime
„ animadvertit Martene de antiqua Ec-
„ clesiæ disciplina in Divinis celebran-
„ dis Officiis c. 15. veter. edit. Lugdun. A. C. 1706. pag. 517.

Petes. Quid symbolice figuret Processio, quæ in Festo Purificationis peragitur candelis collucentibus?

℟. Ex Ivone Carnotensi Episcopo, sæculi undecimi Scriptore in serm. 11. de Purificatione S. Mariæ dicente, quemadmodum Humanitatem excepit manibus, interiorem vero cognovit Majestatem, quæ suo lumine infidelitatis nostræ tenebras illustrabat, ita quemlibet in hac die Fidelium ceram gestantem manu, sic eam gerere, ut ad suam ipsius carnem alludat, & in candelæ lumine lucem agnoscat, qua aeris nostri tenebræ collustrantur. Addit, ceram, quæ hac die a Fidelibus manu gestatur ex odoriferis floribus depromptam, fructum esse apis: *Virginis videlicet animantis*, *cujus*, *sicut legitur*, *sexum nec masculi violant*, *nec fœtus quassant*; atque ita esse Symbolum illius Divini Infantis, qui *nec in concipiendo*, *nec in egrediendo Matris integritatem violavit*.

Author Catechismi Montispessulani edit. Lugdun. A. C. 1730. pag. 314. ait, hoc die fieri candelarum benedictionem; quia ea est Ecclesiæ consuetudo,

suetudo, ut id omne benedicat, quod in sacris dein adhibet cæremoniis. Fideles ideo in Processione secundum illum accensas candelas tenent, ut ostendant, ea se lætitia affici, quam conceperat Simeon, qui Jesum habens in ulnis ait, illum Infantem esse lumen Gentium, & gloriam Israel. Processio ideo fit, vel ut iter Beatæ Virginis ad Templum significetur; vel ob rationem, qua generatim reliquæ omnes Processiones fiunt.

QUAESTIO XIII.

Ex quo facto mos invaluerit, ut in die S. Blasii Episcopi, & Martyris benedicantur cerei, panis, fructus &c. contra morbos gutturis?

ASSERTIO.

Benedictio S. Blasii nata videtur.

EX illis, quæ in martyrio Sancti hujus ex Surio tom. 1. a Gretsero commemorantur de quadam vidua, quæ S. Blasio in carcerem conjecto attulit canistrum plenum carne, fructibus, & seminibus, seu leguminibus, non sine cereis accensis. „ Cui, „ cum gratias egisset Sanctus, & ex eis „ sumpsisset, ei benedixit, & mandavit „ dicens: mulier, in hoc habitu perage

„ mei commemorationem, & in domo
„ tua non deficiet omne bonum a Deo
„ meo. Sed & si quis te hoc modo imi-
„ tans, mei peregerit commemoratio-
„ nem, habebit a Deo meo perpetuum
„ donum, & benedictonem omnibus die-
„ bus vitæ suæ. Et veneranda quidem
„ illa, & beata vidua accepto mandato a
„ B. Martyre Blasio, Deum laudans,
„ abiit læta in domum suam &c.

Ibidem sub horam Martyrii ita precatus fertur S. Blasius: „ Domine Deus virtutum &c.
„ audi me servum tuum, & quicunque
„ ad hanc Aram tuam accesserit, & quam-
„ cunque spinam, aut os devoraverit,
„ aut variis fuerit vexatus morbis, aut
„ in afflictione fuerit, aut in necessitate
„ persecutionis, imple uniuscujusque
„ cordis petitionem, Domine ut bonus,
„ & clemens. Cum hæc precatus esset,
„ Christus descendit de Cœlo, & dixit
„ ei. Omnes petitiones eorum implebo
„ propter te. Non hæc autem solum,
„ sed etiam, ut precatus es viduæ, &
„ benedicam omnem domum, quæ tuam
„ celebrat memoriam.

„ Cum

„ Cum vero accepisset veneranda, „ & pia vidua consummationem Beati „ Martyris Blasii, celebravit ejus memo- „ riam eo ritu, quo celebravit in custo- „ dia: & non solum cognatis misit ex se- „ minibus terræ benedictiones, & ex reli- „ quiis, sed omnibus amicis. Qui vicissim „ imitantes, rursus in eodem tempore re- „ miserunt non solum fideli viduæ, sed „ etiam omnibus suis amicis, & cogna- „ tis. Unde etiam traditum est hoc „ pulchrum, & bonum exemplum in „ hodiernam diem omnibus, qui fideli- „ ter peragunt venerandam memoriam „ S. Martyris Blasii cum lampadibus, & „ hymnis &c.

Calvinistæ cum Hospiniano lib. de Festis rident illos tamquam superstitiosissimos, qui anginæ morbo oppressi S. Blasium invocant. Et tamen, si Calviniani isti in periculo versarentur, ne fauces intercluderentur, forsan ad hoc medicamentum ipsi etiam confugere non dedignarentur: Forsan & ipsi illos Mantuani versiculos admodularentur:

Adsis Sancte tuis, & nos dignare clientes
Custodire; nihil nobis angina, nec ulli
Officiant morbi, tua præsentissima nobis
Sit tutela salus: tibi mitia corda fuerunt

 Semper,

Semper, & es solitus voces audire precantum.
- - - - - tu guttura verbo
Suffocata aperis, & nos audire memento.

QUAESTIO XIV.

De memoria Cinerum.

ASSERTIO.

Ritus, quo prævie benedictis Cineribus initio jejunii Quadragesimalis capita nostra conspergimus,

INnuitur Job C. 2. ℣. 12. *Exclamantes planxerunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum.* Esther C. 14. ℣. 2. *Cumque deposuisset vestes Regias: fletibus, & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis, cinere - - - implevit caput.* Jerem. C. 6. ℣. 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere pulvere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum; quia repente veniet vastator super nos.* Deinde S. Ambrosius tract. ad Virg. lapsam C. 8. ita loquitur: „ Lugubris „ tibi accipienda est vestis, & mens, ac „ membra singula digna castigatione pu„ nienda. Amputentur crines, qui „ per vanam gloriam occasionem lu„ xuriæ præstiterunt, defluant oculis „ lacrymæ, quæ masculum non simpli„ citer aspexerunt, pallescat facies,

quæ

„ quæ quondam viruit impudice, denique totum corpus injuriis, & jejuniis maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat; quia male sibi de pulchritudine placuit. Ita ille.

Hoc vero non a priscis tantum peccatoribus, sed justis etiam practicatum testatur Raynaldus in Annalibus ad A. C. 1200. n. 19. in fin. tom. 13. Præterea Rupertus Abbas de Divin. Offic. lib. 5. c. 10. inquit: „ Quoniam maxima pars hominum neque sponte meminit, qualem ornatum capitis, id est, cordis sui Deum offendendo perdiderit, neque facile possint corda lapidea scindi, nisi extrinsecus adhibitis adjuvemur instrumentis; igitur, ut nostra nobis calamitas ad memoriam revocetur, & meminerimus; quia pulvis sumus: idcirco cinere capita nostra aspergimus hoc habitu confitentes; quia non Dii neque de Cœlo sumus, sed homines de terra principium habuimus, & quia per peccatum gloria nostra spoliati & inter hostes nudi constituti, ornatu gratiæ Dei indigemus.

Effectus benedictorum Cinerum colligere licet ex formula benedictionis, quæ in Missali Romano exstat. Hos ignoravit Turcarum ille Legatus, de quo Illustris Gislenius Busbequius, qui medio sæulo decimo sexto Ferdinandi I. Imp. ad Solimanum II. orator fuit, scriptum reliquit, Turcarum nempe Legatum postquam Bacchanaliorum tempore in quadam Christianorum regione moratus esset, Constantinopolim reversum retulisse, certo anni tempore Christianos sui impotes insanire, tum cujusdam pulveris arcana vi, quo corporum capita conspergebantur, redire ad bonam mentem, ac resipiscere consuevisse.

QUAESTIO XV.

Quid nobis per ritus, & cæremonias Dominicæ Palmarum in memoriam revocetur?

PRAENOTIO.

I. Turbæ Salvatorem in triumphali ingressu in Jerusalem excipientes viam, qua sedenti illi super asellum erat transeundum vestimentis suis constraveruntMatth. C. 21. ℣. 8. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via.* Quod quidem Regiæ est potestatis indicium apud Judæos juxta Regum Historiam lib. 4. C. 9. ℣. 3. ubi Jehu Regi narrat sacer textus ad eundem modum datam fuisse Regni possessionem: *Festinaverunt itaque, & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus*

in

in similitudinem Tribunalis, & cecinerunt tuba: atque dixerunt: Regnavit Jehu. Et apud Ethnicos teste Plutarcho in Catonis Uticensis vita: *Finito* (inquit) *tempore Provinciæ abeuntem non votis, & præconiis, sed lacrymis, & insatiabili amplexu milites prosequebantur, sternentes vestes, quibus ipse pedibus iturus erat.*

II. Ramis itidem palmarum, & olivarum, quibus mons Oliveti, per quem Jesus Jerusalem proficiscens transibat, abundat, viam constraverunt: *Alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.* Matth. loc. cit. quod ad triumphi celebritatem, & splendorem plurimum conferebat. De Agrippa enim habemus apud Philonem, frondibus, floribusque redimitum Jerosolymam esse ingressum; ac de Alexandro apud Josephum. Legimus præterea in Machabæorum Historia palmas victoribus in civitates introeuntibus præferri consuevisse: lib. 1. Machab. c. 13. ℣. 51. *Et intraverunt in eam - - - - cum laude, & ramis palmarum.* Lib. 2. c. 10. ℣. 7. *Ramos virides, & palmas præferebant ei.* Et similia fieri Deus præcepit in festo Tabernaculorum Mense Septembri celebrato, uti constat ex Levitico c. 23. ℣. 40. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro.* Quapropter animadvertendum, Judæos, qui in Festo Tabernaculorum una cum memoria discessus ab Ægypto, venturi Messiæ contineri præ-

sagium

sagium arbitrabantur, modo rerum a Christo gestarum admiratione captos, illumque tamquam verum Messiam agnoscentes, obviam ei occurrisse, ritusque Festivitatis Tabernaculorum observare voluisse, qui quidem hoc modo præsagii illius fidem confirmaverunt.

III. Turbæ, quæ Christo obviam ierant ramos palmarum manibus gestantes clamabant: *Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Joan. c. 12. ℣. 13. Item Matth. c. 21. ℣. 9. Marci c. 11. ℣. 9. Acclamationis vox est *Hosanna*, qua Judæi utebantur erga viros de Republica optime meritos, & singulari vitæ sanctimonia conspicuos, quibus gloriam, felicitatem, & benedictionem deprecabantur, ita D. Hieronymus Damaso Papæ epist. 15. interroganti, quid sibi vellet *Hosanna* respondit ex Judæorum mente in epist. 16. apud Constantium tom. 1. epistolarum Romanorum Pontificum. Lamy Harmon. Evang. lib 5: c. 1. n. 21. pag. 444. ait *Hosanna* significare: *Serva nos*, vel: *Opitulare quæso.* Qua voce Judæi in Christo Jesu expectatum Messiam agnoscentes, optatam redemptionem, & opem ab eo implorabant.

IV. Jesus asello in suo triumphali ingressu insedit, fuerat enim nobilium Judæorum consuetudo, ut in asellis equitarent, sicuti apparet ex Judicum Historia c. 10. ℣. 4. ubi triginta filios Jair, qui Judex Hebræorum erat, & Princeps, legimus

sed-

sedentes supra triginta pullos asinarum. Et c. 12. ℣. 14. ubi itidem Scriptura refert quadraginta filios Abdon Judicis, & Principis Israelitici populi nepotesque ejus triginta *ascendentes supra septuaginta pullos asinarum.* Deus siquidem in primorum Judæorum Regum imperio equorum usum in suo populo improbaverat; quare scribitur in Psalmo 19. ℣. 8. *Hi in curribus, & in equis, nos autem in nomine Dei nostri invocabimus.* Unde fit, quod Regum Historia describens bellum sub imperio Saulis, non equitum, sed pedestrium copias commemoret lib. 1. Reg. c. 15. ℣. 4. *Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos ducenta millia peditum.* Narrat præterea lib. 3. Reg. c. 1. ℣. 33. quod cum David Salomonem salutari Regem voluerit, Primoribus Regni præceperit, ut eum super mulam suam imponerent. Ex quo colligitur Salomone regnante, introductum fuisse equorum usum, ait namque sacer textus, eum quadraginta millia equorum aluisse ad cursum, & duodecim millia ad vecturam. At peccasse illum in hoc sumptu sacri observant interpretes. Eum Salomonis luxum imitati sunt successores Reges Juda, sed merito a Prophetis reprehensi sunt, ut patet ex Isaia c. 2. ℣. 8. *Repleta est terra ejus equis, & innumerabiles quadrigæ ejus.* Judæi autem uti suorum rituum tenacissimi ab eorum usu post captivitatem babylonicam plerumque abstinuerunt. Quapropter raro legimus Machabæos, eorumque Fratres in bello adversus Reges Syriæ equos adhibuisse.

Præ-

Præterea, quod Redemptor asino insederit, humilitatis fuerat exemplum, quod Cælestinus V. teste Alliaco lib. 2. c. 2. in vita S. Cælestini erat imitatus, quando asello deportatus Aquilam civitatem ingredi voluit, Romanæ Sedis possessionem sumpturus Hungariæ, & Siciliæ Regibus, Cardinalibus, & Proceribus frustra disuadentibus, & dehortantibus.

ASSERTIO.

In Ritibus, & Cæremoniis hujus diei nobis per Ecclesiam triumphus Christi, quam de diabolo, & morte reportaturus erat, proponitur.

FIt solemnitatis initium ab acclamatione: *Hosanna Filio David &c.* Cantatur Evangelium S. Matthæi ex cap. 21. *Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis.* dein Sacerdos orat Deum, ut quemadmodum Fidelis populus, vestimentis, palmarumque ramis viam constravit, ita nobis detur, unde fidei viam paremus, a qua sublato omni lapide, & scandalo, in justitiæ ramos opera nostra frondescant. Populo deinde distribuuntur palmæ, in quibus juxta Divum Isidorum de Offic. Eccles. lib. 1. c. 27. *Significatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo Crucis de diabolo mortis Principe triumphaturus.* Dum fit Processio, cantantur antiphonæ triumphum hunc indicantes.

Quod

Quod attinet ad asellum, licet nulla in Processione illius fiat mentio; idem Divus Isidorus loc. cit. ait in illo simplicia Gentilitatis corda significari, quæ Christus præsidendo, atque regendo, in pacis visionem perducit.

Ivo Carnotensis vero serm. in ramis Palmarum de hac Processione scribit: „ Hominem humilem super asinam viderunt (Jerosolymitani) & tamen triumphalem ei gloriam ramos arborum portando, & per viam sternendo exhibuerunt, laudes ei imperiales cecinerunt; quia præsago spiritu eum triumphatorem diaboli, & mortis, & vitæ largitorem cognoverunt. Hujus turbæ, charissimi Fratres, formam repræsentatis, cum virentes ramos arborum post vexillum sanctæ Crucis in manibus portatis. Et bene repræsentatis, si quod virore signatur in manibus, semper teneatur in moribus; si non hyeme decidat, si non æstate marcescat, ut dicere possitis cum Psalmista: Benedicam Domino in omni tempore; semper laus ejus in ore meo.

In

In regressu Processionis duo, vel quatuor ex Cantoribus Ecclesiam ingredientes, illiusque ostium claudentes versa ad illud facie primos duos Versus canunt ex Hymno: *Gloria. laus, & honor &c.* quos ingeminat Sacerdos, cæterique, qui foris sunt. Deinde, qui intus sunt, reliquos versus, sive omnes, seu partem canunt. Subdiaconus Crucis hasta pulsat ostium, quo aperto, Processio Ecclesiam ingreditur cantans: *Ingrediente Domino &c.* Porro ostium, quod antea erat clausum, aperitur, ut hinc intelligamus clausum fuisse hominibus Cœlum Adamo peccante, nec nisi Christi morte, fuisse reseratum, ut advertit Amatus Pouget in Inst. Cathol. tom. 1. p. 2. sect. 4. c. 2. §. 9.

Petes 1mo. Quomodo Jerosolymis solemnis Processio Dominica Palmarum peragatur?

℟. Ex Quaresmio elucidat. Terræ Sanctæ lib. 4. c. 11. tom. 2. ubi narrat, Antistitem, impositis asello vestibus, illique inequitantem e Monte Olivarum venire, & Jerosolymam ingredi, cui occurrunt alii Ecclesiastici, cæterique Fideles, qui viam suis palliis, herbis, & floribus sternunt, quæ cæremonia, magna celebratur pompa in oculis Infidelium, & christiani nominis hostium, qui eam fieri patiuntur, quod nimia siccitate olim arescentes agros uberrima pluvia Deus recreaverit post Processionem, qua Guardianus, & Fratres Terræ Sanctæ a Deo pluviam illam imploraverant, ut videre est ibidem c. 12.

Petes

Petes 2do. Quo ritu Maronitæ celebrent hanc solemnitatem?

℟. Narrari a Macro in notitia vocabulorum Ecclesiasticorum verb. *Palmarum Festum* Maronitis illud moris esse, ut in Ecclesia integram Olivæ arborem statuant, eamque jam benedictam, illi, qui eleemosynæ nomine offert, adjudicare. Hic vero Olivæ imponit filium suum, seu quemvis alium puerum, & a cognatis, affinibusque adjutus inter acclamationes Olivam gestat erectam in Processione. Qua absoluta omnes impetum in arborem faciunt, & ramusculum sibi quisque revellit, ut pietati, devotionique suæ satisfaciat.

QUAESTIO XVI.

Quas symbolicas significationes contineant cæremoniæ quædam sacræ Majoris Hebdomadæ?

ARTICULUS I.

SUb Matutinis Tenebrarum magnum ante Altare ponitur candelabrum, cujus figura est ad formam trianguli, cui plures accensæ candelæ imponuntur, quarum singulæ singulis expletis Psalmis extinguuntur, una tantum excepta, quæ sub Altari occultatur.

Eruditus vir Alexander Mazzinellus studiis in seminario Montis Talisci olim Præfectus in Officio Hebdomadæ Majoris pag. 85. ideo singulas candelas in intervallo extingui docet; quia, cum tempus, quo Christum mori oportuit, adventaret, Discipuli remisso gradatim pristino animorum ardore, passim huc illuc aufugerunt, promissis non steterunt, ac fere omnes, ut fuga suæ saluti consulerent, Magistrum suum deseruerunt, qui autem ad Calvariæ montem secuti sunt Christum Dominum, iidem teterrimis illis imaginibus, & mortis aspectu perculsi pene obstupuerunt. Addit dein idem Author, candela illa, quæ sub Altari servatur, accensa, pulchre Christum Jesum significari, quem de Cœlo delapsum, ut universum mundum a multis retro jam sæculis in tenebris jacentem suo lumine illustraret, ingrati, & scelesti homines extinguere, aut obscurare conati sunt; sed cum maxime crederent illum obscuratum, aut omnino sublatum, tum maxime reviviscentem, ad immortalitatem surgentem, splendidissimo lumine coruscantem ab universo mundo prædicari, & conspici viderunt. Vel dici potest per candelam, quæ accensa servatur, significari B. Virg. Mariam, quæ per illud triduum, quo Christus mortuus erat, claram, & explicitam fidem de ejus Resurrectione habuit, ex quo tamen arguere non licet, cæteros omnes etiam Apostolos in infidelitatem incidisse, qui Resurrectionem Christi explicite non tenebantur credere, nisi post legitimam ejus promulgationem, ut observat Bellarmi-

nus

nus tom. 2. controver. lib. 3. de Eccles. milit. c. 17. Et Abulensis quæst. 14. Pol. in Matth.

Aliter rem explicant alii. Censent illi per illud triduum, quo Christus vita caruit, stetisse fidem in sola Beata Virgine Maria, & vel ipsos Apostolos in ea nutasse juxta illud Matth. c. 26. ℣. 3. *Omnes vos scandalum patiemini.* Et paulo post: *Et dispergentur oves*: ad quæ Glossa: *id est a veritate fidei solventur.* Unde cum tota Ecclesiæ ratio in sola Beata Virgine consisteret, docet Cardinalis Turrecremata lib. 1. de Ecclesia c. 30. & lib. 3. c. 61. ad id significandum consuetudinem invaluisse paulatim extinguendi candelas omnes præter unam. Sed non placet pluribus Theologis opinio ista, scilicet Apostolos defecisse a fide, quæ in sola Beata Virgine steterit. Neque enim Petrus, cum Christum negavit, aliam culpam admisit, quam, quod aperte, & libere christum ore confiteri veritus sit, qui tamen mentemhabuit ab omni errore alienam. Neque Christus Joanni, si a fide excidisset B. Mariam charissimam suam Matrem commendasset. Vide Suarez de fide, spe, & charitate. Disput. 9. sect. 3. & Melchiorem Canum de loc. Theolog. lib. 4. c. 5.

ARTICULUS II.

Post Canticum Benedictus absoluto Psalmo *Miserere* fit fragor.

AD significandam (ut idem tradit Mazzinellus loc. cit. pag. 124.) magnam illam perturbationem,

& rerum confusionem, quæ Christi Domini mortem consecuta est. 1mum erat illud, de quo Matthæus c. 27. ℣. 45. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.* *2dum.* Veli, quod erat in Templo, discissio, de qua loquitur Matthæus c. 27. ℣. 50. *Jesus autem clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum Templi scissum est a summo usque deorsum.* *3tium.* Terræmotus Matth. c. 27. ℣. 51. *Terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.*

ARTICULUS III.

A die Jovis Sancto usque ad Sabbatum Sanctum interdicitur campanarum usus, & ligna quædam obstrepentia ad fragorem adhibentur

UT extet memoria consuetudinis convocandi primis Ecclesiæ sæculis per illorum lignorum strepitum Fideles ad Divina Officia. Deinde in veteribus Ritualibus præscribitur, ut Campanæ per hos dies sileant, quæ, cum Christi Prædicatores significent, ideo earum intermittitur sonus; quia Apostoli Christum in maximis cruciatibus arrepta fuga deseruerunt. „ Ea hora, qua Christus tra-
„ ditus est, recte signis Ecclesiæ silen-
„ tium indicimus, Christum solum tor-
„ cular calcantem, solum in ligno Cru-
„ cis

„ cis extenso corpore tympanizantem, „ testimonium veritati humili, ac soli- „ taria voce perhibentem, ligneo mal- „ leolo in tabula suspenso, & personan- „ te, populumque ad Ecclesiam invi- „ tante significamus. Ita Rupertus Abbas, quem sequitur Angelus Rocca in tract. campanarum c. 15.

ARTICULUS IV.

In die Cœnæ Domini abbluuntur pedes egenis in memoriam humilitatis Jesu Christi, qui abluit pedes Discipulorum suorum.

IN Concilio siquidem Toletano Decimo septimo A. C. 694. habito c. 3. pag. 1813. collectionis Harduini grave extat præceptum de ablutione pedum Feria Quinta in Cœna Domini. Illi enim Patres, cum Christus hac die Discipulis suis laverit pedes, interrogant: *Cur non piæ actionis exhibitione imbuti, exemplorum ejus non simus devotissimi sectatores*? Et Garzias Loaisa ad hoc Decretum Toletanum monet, laudabile quidem esse quocumque tempore aliorum lavare pedes; præceptum tamen esse hac die, ut Christi exemplum imitando Pontifices, & Sacerdotes sibi subditis pedes lavent.

Bailletus de feria quinta Major. Hebd. §. 3. n. 8. multa affert scitu digna, & ostendit magno ap-

paratu in Monachorum Cœnobiis ejusmodi ablutionem fieri consuevisse: domi enim Monachis, egenis vero, & mendicis extra Monasterium Abbas pedes abluebat. Regulares Abbates multas ea occasione eleemosynas largiebantur; cumque, quorum abluti essent pedes, ad mensam accerserentur, inde ea orta est circa nonum sæculum corruptela conviviorum in honorem Cœnæ Christi Domini instruendorum, suavissimis vinis, & bellariis mensæ appositis. Affert idem Author, quæ Rupertus Cardinalis Pullus, & B. Petrus Abbas Cluniacensis, qui sæculo duodecimo floruit, de ejusmodi abusu sentirent, qui dein multum laborarunt, ut ejusmodi consuetudo reformaretur.

Cum autem (addit idem Author) actio Jesu Christi, qua Apostolorum lavabat pedes, unice ad Sacerdotium non pertineat, non modo Summi Pontifices, Episcopi, & Presbyteri, sed ex Laicis etiam insignes Personæ, puta, Imperatores, & Reges, feria quinta in Cœna Domini lavare pedes egenorum solent in memoriam summæ humilitatis, quam abluendis Apostolorum pedibus Redemptor noster exhibuit.

Codinus libro de officiis Aulæ Constantinianæ ablutionem pedum describit, in qua ab Imperatoribus Constantinopolitanis pedes duodecim pauperibus lavabantur. Narrat item Elgaldus Monachus

in

in vita Ruperti Regis Franciæ, feria quinta in Cœna Domini Magnum illum Regem, detracto sibi omni regio ornatu, cilicio indutum, pedes abluere, ac suis capillis tergere solitum, apud Martene de antiq. discipl. in Divin. celebrand. Offic. c. 22. pag. 280. n. 3. primæ edition.

Legitur præterea apud Bollandistas ad diem 20. Martii Sanctam Bertam Ordinis Vallisumbrosæ Abbatissam magna hac feria quinta suis Sanctimonialibus pedes lavisse. Et Zacharias Summus Pontifex de pluribus rebus, de quibus a Bonifacio Episcopo Moguntino fuerat consultus, respondens, id quoque rescribit, Sanctimonialibus æque, ac viris, licere hac die lavare pedes.

Monet item Bailletus eandem lavandi pedes consuetudinem in Ecclesia Græca vigere: duodecim pauperculis lavari pedes, vel a Patriarchis, vel ab Episcopis: suum cuique ex duodecim Apostolorum nominibus nomen imponi: litem inde sæpenumero oriri, quis Judas Iscariotes appellandus: si omnes ab eo nomine sibi imponendo abhorreant, conjectis in urnam singulorum nominibus sortito dirimi litem. Altaria etiam hac die denudantur ad significandam contumeliosam Christi in passione nuditatem.



ARTICULUS V.

In Parasceve ostenditur Crux a populo adoranda.

Narrat S. Paulinus epist. 31. nov. edit. ad Severum hac tantummodo die Jerosolymis exponi, & ostendi consuevisse illam ipsam Crucem cui Christus affixus est: *Neque præter hanc diem, qua Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ Sacramentorum causa est, quasi quoddam solemnitatis Insigne profertur.* In eadem epistola de ea Cruce loquens paulo ante dixerat: *Quam Episcopus Urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit.* Ex qua Jerosolymitanæ Ecclesiæ consuetudine nonnulli existimant derivatum esse disciplinam publicæ venerationi Crucem exponendi in die Parasceves, quod sentimen fundant in verbis Amalarii lib. 4. c. 14. de Eccles. Offic. in tom. 14. Biblioth. PP. edit. Lugdun. A. C. 1677. pag. 950. *Fuerunt quidam, qui volebant dicere se velle eandem Crucem adorare, in qua Dominus crucifixus est. Utinam in omnibus Ecclesiis haberetur. Quamvis omnis Ecclesia eam non possit habere, tamen non deest eis virtus Sanctæ Crucis in suis crucibus, quæ ad similitudinem S. Crucis factæ sunt.*

AR-

ARTICULUS VI.

Ecclesia ordinat, ut Feria sexta Parasceves Crux humi jacens ponatur, ut a Clero, ac populo adoretur.

Quia, quidquid alii contradicant, Salmeron tom. 10. tract. 35. videtur existimare, Christum Cruci humi jacenti affixum. Idipsum tamquam probabilius censet Gretserus lib. 1. de cruce c. 21. ubi sic ait: „ Alii probabilius existimant, Christum affixum cruci adhuc „ humi jacenti; quin, ut multi testantur, in Terra Sancta demonstratur locus crucifixionis distans aliquot passus „ a loco, in quo crux est infixa terræ; deinde quia sententia hæc est convenientior piorum cogitationibus, & meditationibus de Passione Domini; tertio, „ quia modus hic multo est facilior, & „ expeditior, quam si corpus cruci jam „ erectæ affigatur. „ Vide etiam Quaresmium in elucidat. Terræ Sanctæ lib. 5. c. 36. tom. 2. qui hanc eandem sequitur sententiam, & nobile describit Sacellum in eo loco extructum, ubi pia traditione proditum est, Christum Cruci humi jacenti affixum esse. Ut ergo hujus mysterii memoria recolatur, Crux humi adoratur.

ARTICULUS VII.

Sabbatho Sancto extra Ecclesiam ignis e silice extunditur, quo carbones incenduntur. Sacerdos novum ignem, & quinque incensi grana benedicit.

Franciscus Amatus Pouget in Instit. cathol. tom. 1. pag. 847. ejusmodi cæremoniæ adfert causas hac proposita quæstione: *Cur hodie* (id est, Sabbatho Sancto) *sit solemniter benedictio ignis recens excussi e silice?* Ad quam respondet: *Hic est vestigium antiquitatis. Olim excutiebatur quotidie ignis e silice ad accendenda Ecclesiæ luminaria, & fiebat prius ignis benedictio. Nihil enim in publicum usum adhibuit unquam Ecclesia sine præcedenti benedictione. Solemnis hac die agitur hujus ignis benedictio; quia ignis ille e silice excussus videtur Christi recens ex mortuis suscitati typum ferre.* Ejusmodi benedictum ignem domum deferendi consuetudo jam viguit tempore Leonis IV. A. C. 847. ad Pontificatum evecti, qui Homilia *de cura Pastorali* inquit: *In Sabbatho Paschæ extincto veteri novus ignis benedicatur, & per populum dividatur.*

ARTICULUS VIII.

Post novi ignis, & quinque granorum incensi benedictionem, carbones benedictos indit Acolythus in thuribulum, quo injectum incensum Sacer-

cerdos benedicit. Diaconus deinde alba indutus Dalmatica cum arundine, cui tres impositæ sunt candelæ in formam trianguli Ecclesiam ingressus inclinat arundinem; Acolythus vero cum candela novo igne accensa, unam ex iis accendit, quæ arundini sunt impositæ; & Diaconus erecta arundine genuflectens ait *Lumen Christi.* Atque iterum, & tertio idem fit in medio Ecclesiæ, & ante Altare, ut tandem tres illæ sint accensæ, quæ in trianguli formam dispositæ sunt.

Gavantus sic triplicis candelæ mysterium exponit: *Candelæ enim in calce unum quid esse debent, & deinde distingui in tres: ad designandum mysterium Unitatis, & Trinitatis Dei.* Idque etiam confirmatur ex eo, quod, dum quælibet e candelis trianguli accenditur, dicatur: *Lumen Christi: Deo gratias.* Ut bene advertit Thomassinus de Dier. Fest. celebrat. lib. 2. c. 14. n. 7. *In Trinitatis honorem, cereum in tres divisum accendimus, rati nos Jesu Christi lumine fusos Trinitatis penitiora mysteria nosse.*

Cæterum Bissus in suo oper. lit. A. pag. 460. §. 4. fatetur, frustra se multum studii contulisse ad hujusmodi usus originem investigandam. Licet autem de initio hujus cæremoniæ non satis constet, vetustam tamen fuisse deprehenditur ex Ordinibus Romanis Card. Gajetani, & Amelii, & ex manuscripto Pontificali Apameensis Ecclesiæ

apud

apud Martene de antiq. Eccles. disciplin. in celebr. Div. Offic. pag. 442. primæ edit. Lugdunensis.

ARTICULUS IX.

Hac sacra, & mysteriosa die benedicitur quoque cereus Paschalis.

Rupertus Abbas optime explicat de Div. Offic. c. 28. & seq. cereum Paschalem, ubi ait, cereum significare Christum reviviscentem. Quod diserte habetur c. 8. Concilii Toletani IV. juxta secundam Garziæ editionem: „ Lucerna, & „ cereus in pervigiliis Paschæ apud „ quasdam Ecclesias non benedicuntur; „ & cur a nobis benedicantur, inqui„ runt: propter gloriosum enim noctis „ ipsius Sacramentum solemniter hæc „ benedicimus, ut sacræ Resurrectionis „ Christi mysterium, quod tempore hu„ jus votivæ noctis advenit, in benedic„ tione sancti luminis accipiamus. „

Antequam cereus benedicatur, Diaconus illi quinque incensi grana affigit, ut significetur Josephi ab Arimathea, & Nicodemi opera aromatibus Corpus Christi esse conditum. Quinque fora-

foramina ad figuram crucis in cereo excavata, quo grana incensi immittuntur, quinque Christi exprimunt vulnera.

Petes. Cujus antiquitatis sit ritus benedicendi cereum Paschalem?

℞. Anastasius Bibliothecarius in vita Zosimi, qui A. C. 417. Pontificatum obtinuit hæc scribit: *Et per Parochias concessâ licentia cereos benedici.* Unde Sigebertus ad A. C. 417. hujusmodi ritum ad Zosimum refert: *Zosimus Papa* (ait ille) *decrevit cereum Sabbatho Sancto Paschæ pro Ecclesiis benedici.* Si tamen Anastasii verba recte expendantur, facile conjici poterit ejusdem ritus initium Zosimo tribuendum non esse, sed tantum ad Parochias ipsius facultate fuisse propagatum; nam ante Pontificatum Zosimi cerei benedictio in Ecclesiis solum Principalibus, quæ Basilicæ appellantur, fieri consueverat. Boronius in Annal. A. C. 418. n. 70. Binius, & Labeus in notis ad Anastasium tom. 3. ult. edit. Rom. A. C. 1728. Pagius in Brevi. Rom. Pontific. in vita Zosimi n. 11. tom. 1. Macrius in notitia vocabulorum Ecclesiastic. in verbo. *Cereus Paschalis.*

Modo viget disciplina, ut lectione Evangelii Ascensionis expleta cereus iste Paschalis extinguatur, & in Sacrarium asportetur. Hujusmodi cerei extinctio Evangelio finito ex Macrio in vocabular. Eccles. v. *Cereus Paschalis*, & Merato part. 3. tom.

tom. 2. in not. ad Gavantum p. 1173. 1188. 1197. discessum Christi ab Apostolis denotat. Ex hora, qua extingui solet, conjiciunt aliqui eam fuisse, qua Christus in Cœlum ascendit, sed conjectura leviuscula est, ut advertit Cardinalis Gottus part. 2. tom. 4. c. 37. §. 4. n. 21.

Advertendum, Durandum de Sabbatho Sancto lib. 6. c. 79. ita scripsisse: *Hac die Acolythi Romanæ Ecclesiæ faciunt Agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni præcedentis. Admixto chrismate, qui in Sabbatho in Albis in Ecclesiis per Dominum Papam populis distribuuntur.* Et Amalarius lib. 1. de Divin. Offic. c. 16. ex quodam libello Romano, affirmat Sabbatho Sancto benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri Agnos, eosque reservari usque ad Octavas Paschæ. Hinc. juxta aliquos, mos ille fluxit, ut Romani Pontifices ceras dictas *Agnus Dei* benedicant. Occasione hujus sit.

QUAESTIO XVII.

Quando invaluerit usus benedicendi formas cereas Papales, sive *Agnos Dei*? & quæ virtus eorum?

PRAENOTIO.

Conficiuntur hi *Agnus Dei* ex cera alba, pura, virginea, quo humana denotatur natura a Christo, virtute Divina, sine ulla mixtione, aut con-

contagione culpæ, in purissimo Mariæ Virginis utero assumpta. Agni imago in illis imprimitur, Agni illius Immaculati symbolum, qui pro humana reparatione in Ara Crucis immolatus est. Adhibetur aqua benedicta, quo nimirum elemento, cum in Veteri, tum in Novo Testamento, præclara Sacramenta, & prodigia a Deo effecta sunt. Miscetur in ea balsamum, quo bonus Christi odor significatur, quem in omni actu, & conservatione redolere debent Christifideles. Superinfunditur chrisma, quo res aliæ cultui Divino specialiter dicatæ veluti Templa, Altaria, Sacerdotes præparari solent, ac consecrari, atque in eo præstantissima virtutum omnium charitas figuratur.

In aqua igitur prius benedicta, ac balsamo, & chrismate mixta, Cerei illi *Agnus Dei* immerguntur, & Summus Pontifex pontificaliter indutus, tam ante, quam post mersionem sanctissimis precibus Deum exorat, ut eas Formas benedicere, sanctificare, & consecrare dignetur, iisque tantam impertiat virtutem, ut quicunque recta fide, ac vera pietate iis usus fuerit, eximia animæ, & corporis dona, ac beneficia consequatur. Solent hæ Ceræ primo, & septimo Pontificatus anno infra Octavas Paschæ a Papa solemniter benedici.



AR-



ARTICULUS I.

Antiquus est horum Cereorum usus.

Nam A. C. 1544. Romæ effossus fuit tumulus Mariæ Augustæ conjugis Honorii Imperatoris, & filiæ Stiliconis mortuæ ante medium sæculum quintum; & præter cætera in tumulo inventus est cereus Agnus Dei; ita, ut infirma omnino videatur opinio Panvinii, qui de *Baptismate Paschali* pag. 148. credit usum Agnorum consecrandorum a Romanis Pontificibus inductum ad retinendam memoriam solemnis baptismi, qui primis christianæ Religionis sæculis solo Paschæ, & Pentecostes tempore peragebatur; ideoque eamdem consuetudinem non invaluisse ante sæculum nonum; quo fere sæculo desiit solemnis ille baptismus celebrari.

Verosimilior est Cardinalis Augustini Valerii sententia, qui *Agnorum* benedictionem refert ad initium sæculi quinti: aut altera Molani, qui *Agni cerei* primordia ætati Constantini Magni tribuit, & ideo sæculo quarto inter Epistolas Cardinalis Papiensis una est scripta Heliano Spinulæ, ad quem Paulus II. *cereum Agnum* consecratum misit.

ARTICULUS. II.

Profertur virtus Cereorum Papalium, sive Agnorum Dei.

Qui hos Agnos devote deferunt, a variis periculis, & morbis liberantur, veluti late exposuit

fuit A. C. 1586. Sixtus V. in Litteris Apostolicis in forma Brevis scriptis Paschali Ciconiæ Venetiarum Duci, ad quem sacras Cereas Formas a se benedictas de more mittebat. Sic sonant verba Brevis Sixtini.

„ At, quam eximio cultu, quantaque veneratione digna sit hæc sacra res, quicumque illius materiam, formam, consecrationis modum, preces, ac mysteria, quæ in ea continentur, noverit, & attente consideraverit, facile intelliget. Hi enim Agnus Dei ex cera alba, pura, virginea conficiuntur ad denotandam Christi humanitatem ex sanctissimo Virginis utero absque ulla contagione, & sola Dei virtute sumptam. Imago Agni, quæ in illis est, Agnum illum Immaculatum repræsentat, qui pro humani generis reparatione in ligno Crucis est immolatus. Adhibetur aqua benedicta, cujus substantia ad maxima quæque Sacramenta in veteri, & novo Testamento usus est Deus. Aquæ miscetur balsarum unguentorum omnium præstantissimum ad designandam famam optimam, quam christianus veluti suavissimi odoris fragrantiam in sua conversatione debet redolere. Postremo superinfunditur chrisma, quo charitas virtutum omnium maxima figuratur, & quo eodem Templa, Altaria, vasa, & ipsi homines Dei cultui præparantur, & consecrantur. In hac vero aqua benedicta, balsamo, & chrismate mista, hi Agni Dei ab Ipsomet Sum-


„ mo Pontifice merguntur, & baptizantur, & „ tam ante, quam post mersionem sanctissimis precibus, & orationibus Idem Pontifex Deum obsecrat, ut easdem illas formas cereas imagine „ Agni impressas benedicere, sanctificare, consecrare, eisque virtutem cœlestem infundere „ dignetur, ita, ut qui illas pie, & devote cum „ fide habuerint, & detulerint, eorum crimina „ deleantur, maculæ peccatorum abstergantur, „ veniæ impetrentur, gratiæ conferantur; prætere, ut fragor grandinum, procella turbinum, „ impetus tempestatum, ventorum rabies, & infesta tonitrua temperentur, fugiant, & contremiscant maligni spiritus, nulla hic adversitas „ dominetur, nulla aeris corruptio, nullus morbus caducus, nulla maris tempestas, nullum „ incendium, nullave iniquitas noceat; parturientes cum partu incolumes conserventur; omnes denique ab aquarum inundatione, a morte subitanea, & a cunctis adversis liberentur. „ Hæc sane propitiationis, & gratiarum dona a „ Deo misericordiarum Patre, & bonorum omnium Largitore vere tribui, atque concedi his „ cereis Formulis sic benedictis, & baptizatis, „ præsertim Summo Sacerdote ipsius Christi in „ Terris Vicario tam pie orante, ac supplicante, „ firmiter credendum est, sicuti idipsum sæpissime „ magnis, & variis miraculis, quæ diversis temporibus Divina Bonitas per hæc sacra operari „ dignata est, fuit sæpius comprobatum. Nec „ mirum esse debet, si non semper idem contin-

„ gat

„ gat effectus; quoniam id ex infirma utentis fide, „ vel ex alia occulta causa, non ex defectu vir„ tutis rei sacræ, accidere certum est.

His Litteris luculentissimum de horum Agnorum præstantia, & virtutibus testimonium Urbani Papæ V. versibus expressum inseruit, qui (Urbanus) magni muneris loco tres Agnos Dei ad Græcorum Imperatorem misit. Carmina sunt sequentia.

Balsamus, & munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum pellit, & omne malignum.
Peccatum frangit, ut Christi Sanguis, & angit.
Prægnans servatur, simul & partus liberatur.
Munera fert dignis, virtutem destruit ignis.
Portatus munde, de fluctibus eripit undæ.
Morte repentina servat, satanæque ruina.
Si quis honorat eum, retinet super hoste trophæum.
Parsque minor tantum, tota valet integra quantum.
Agnus Dei miserere mei,
Qui crimina tollis, miserere nobis.



QUAESTIO XVIII.

De usu Luminarium, Incensi, seu Thymiamatis in Templis.

PRAENOTIO.

Quamvis Vertus, & Hildebrandus contendant primis tribus Ecclesiæ sæculis solum causa necessitatis, & ad dispellendas tenebras luminum usum receptum fuisse, & sub finem quarti sæculi monumenta primum extare, quibus evincatur, etiam lucenti die lumina accendi consuevisse: denique S. Gregorium hujusmodi disciplinam propagasse, & Sabinianum constituisse, ut in Templis etiam extra Sacrificii tempus perpetuus esset lampadum usus; id tamen (ait Benedictus XIV.) aut nimis argute, aut invidiose adstruxerunt. Nam licet & necessitas non parvam in adsciscendis in Ecclesiam luminibus partem obtineat, fuerunt tamen complures aliæ causæ, videlicet, ut cultus exhiberetur, ut ostenderetur lætitia, & ut instar symboli aliud aliquid significaretur. Quare sit.



AR-

ARTICULUS I.

Usus luminum in Ecclesiis antiquissimus, & persæpe mysticus est, nec ad tenebras tantum fugandas deservit.

I. Patet ex Scriptura sacra Exodi c. 25. ℣. 31. *Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo.* Et Exod. c. 27. ℣ 20. & 21. *Præcipe filiis Israel, ut offerant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum: ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo Testimonii.* Levit. c. 6. ℣. 12. *Ignis autem in Altari semper ardebit.*

II. S. Paulinus de S. Felice Natal. 3. hæc. habet:

Clara coronantur densis Altaria lychnis
Lumina ceratis adolentur odora papyris:
Nocte, dieque micant, sic nox splendore diei
Fulget, &. ipsa dies cælesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

S. Hierooymus in libro contra Vigilantium ait: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur lumina jam sole rutilante, non utique ad fugandas tcnebras; sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Et in Concilio Illiberitano A. C. 303. can. 37. iis, qui ab immundis spiritibus vexantur, lucernas publice accendere interdicitur. En disciplinæ hujus antiquitatem!

ARTICULUS. II.

Usus quoque Incensi, sive Thymiamatis semper in Ecclesia jam a principio fuerat servatus.

Ut legitur in liturgia S. Petri: *Sicut Zachariæ suffitum thymiamatis suscepisti, sic de manibus nostris peccatorum hanc suscipe thurificationem in odorem suavitatis.* Et in Missa S. Jacobi: *Præsentem hunc a nobis inutilibus servis tuis suffitum recipe in odorem suavitatis.* De hoc ritu Incensi occurrit sermo etiam in can. Apost. juxta veterem editionem: *Offerre non liceat aliquid ad Altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id est, incensum, tempore, quo sancta celebratur oblatio.*

Item S. Hyppolitus Martyr Orat. de Antichristo sub medium ait: *Lugebunt etiam Ecclesiæ luctum magnum; quia nec oblatio, net suffitus fiet, nec cultus Deo gratus.* Et D. Ambrosius in C. 1. Luc. *Atque utinam nobis quoque adolentibus Altaria, ac Sacrificium deferentibus assistat Angelus, imo præbeat se videndum, non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur.*

Deducitur hic mos etiam ex Scripturis sacris, nam Exod. c. 30. ℣. 1. dicitur: *Facies quoque Al-*

Altare ad adolendum thymiama. De quo pariter S. Lucas c. 1. ℣. 11. ubi assistebat Zacharias ab Angelo admonitus de nativitate Joannis Filii: *Stans a dextris Altaris incensi.* Et Num. c. 16. ℣. 17. *Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum.* Ex incensi itaque combustione in sacris Templis infertur *thuriboli* usus, & institutio. Legantur sacræ Paginæ Exod. c. 25. ℣. 29. *Parabis - - - thuribula.* Item. C. 37. ℣. 15. & 16. *Fecit . . . . & thuribula ex auro puro.* Lib. 3. Reg. c. 7. ℣. 48. & 50. *Fecitque Salomon . . . . thuribula de auro purissimo.*


Petes, Quid mystice denotet incensum?

℟. *imo.* Est symbolum pœnitentiæ, & contritionis ex illo Ecclesiastici c. 45. ℣. 20. *Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo.* *2do.* Designat Evangelicam prædicationem. 2. ad Corinth. c. 2. ℣. 14. *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* *3tio.* Per incensum intelliguntur etiam ferventes orationes: Psal. 140. ℣. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Dum tempore sacrorum hominibus in Ecclesiis Cathedralibus exhibetur, nulla committitur idololatria, incensum enim ipsis delatum admonet eos illius: *Christi odor bonus sumus Deo,* hortatur itaque ipsos ad bonum in populo exemplum præbendum.









DISSERTATIO IX.

De Jejunio.



Jejunia omnia per Calviniſtas, aliosque recentes Novatores e medio eſſe ſublata, perſpicue apparet ex iis, quæ lib. 4. Inſt. c. 12. ſcribit Calvinus, ubi Quadrageſimale jejunium ſuperſtitioſam appellat obſervationem. Et quamvis non diffiteantur Hæretici jejunium fuiſſe præceptum in Veteri Lege, cum id expreſſum legatur apud Joelem, Jonam, atque alibi in Veteris Teſtamenti libris; negant tamen audacter eidem jejunio obnoxios eſſe Chriſtianos, propterea, quod a Legis vinculo ſint ſoluti, Eccleſiamque jejunia ſub præcepto indicere poſſe. Unde ſit

QUAE-

QUAESTIO I.

Num Ecclesia præceptive instituere possit jejunia?

ARTICULUS I.

Ecclesia potestatem a Deo accepit præcipiendi jejunia mandando, ut a Fidelibus religiose observentur.

I. Ecclesiæ Prælati non minus, ac Principes Sæculares potestate gaudent leges condendi ad Fidelium spirituale bonum promovendum: nemo autem dubitare potest, jejunium valde opportunum, atque optimum esse ad spiritualem finem consequendum remedium; ex quo Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 147. deducit, jejunium sub præcepto quoque naturali cadere: potest igitur Ecclesia prædictum remedium Fidelibus præcipere, sicut sæculares Principes exercitium illorum actuum, qui alioquin liberi essent, præcipiunt Subditis, qui vergunt in eorumdem subditorum bonum. Extra dubium igitur est, & in sacris Litteris novi fœderis præceptum esse jejunium, illudque Fidelibus præcipere posse Ecclesiam. Id quod patet

II. Ex illo apud Matthæum c. 6. ℣. 17. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum* &c. ex quo cla-

claret Christianos a lege jejunii exemptos non esse. Nec officit, quod jejunii præceptum ad legem veterem pertineret; satis etenim constat, cæremonialia tantum præcepta, non autem moralia, cujusmodi procul dubio est præceptum jejunii, illucescente Evangelio abrogata fuisse. Id quod mirifice ex Augustini doctrina in epist. ad Casulanum, quæ est 36. confirmari potest; sic enim eo loci habet S. Pater: „ Ego in Evangelicis, &
„ Apostolicis Litteris, totoque instru-
„ mento, quod appellatur Testamen-
„ tum Novum, animo id revolvens, vi-
„ deo præceptum esse jejunium. Qui-
„ bus autem diebus non oporteat jeju-
„ nare, & quibus oporteat, qræcepto
„ Domini, vel Apostolorum non invenio
„ definitum. „ Audiant Augustinum Novatores ajentem, in sacri Novi Fœderis Litteris jejunium esse præceptum, determinationem vero illorum dierum, in quibus jejunium colendum sit, Ecclesiæ potestati, ac libertati esse relictam.

III. Quod Ecclesia possit suis legibus jejunia præcipere Fidelibus, & stabilire certa jejunii tempora vel ex ipso Synagogæ exemplo demonstratur, quæ Judæis jejunia imponebat, ut apud Jeremiam, Estherem, ac Zachariam legere est. Quod si ea potestate pollebat Hebræorum Synagoga, quid est, quod eandem Ecclesiæ Christi denegandam esse

se

se putent Novatores? Risum certe exprimerent, si dicerent Ecclesiam minoris esse authoritatis, quam fuerat Synagoga.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

I. INquiunt. Præcepta jejuniorum sunt tantum hominum mandata, hæc autem non obligant in conscientia; quod probant ex illis verbis Matth. c. 15. ℣. 9. *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Repono. Ibi tantum damnari mandata hominum, quæ sunt contraria Legi Divinæ, uti ex contextu patet, præceptum autem jejunii, Festorum, cæremoniarum non repugnat legi Divinæ, cum hæc non sint mala, sed honesta, & ipsa Lex Divina præscribat obtemperandum esse legitimo Superiori rem non malam, sed honestam præcipienti. *Obedite Præpositis vestris* ad Hebr. c. 13. ℣. 17.

II. Inquiunt. Matth. c. 15. ℣. 11. ait Christus: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem:* ergo jejunium, & abstinentia a carnibus præcipi sub culpæ reatu non potest. Repono. Id, quod intrat in os, per se quidem non coinquinat hominem, sed coinquinat hominem inobedientia illius, qui facit cibum vetitum per os suum intrare. Alias ne quidem peccasset Adam comedendo fructum vetitum, qui sane per os intravit. Neque in novo Te-

stamento

stamento peccassent Fideles comedendo sanguinem, & suffocata, quando erant ab Apostolis prohibita in Act. Apost. c. 15. ℣. 28. & 29. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Ridiculos autem reddit Hæreticos, quod Christus hic respondeat Pharisæis, qui superstitiosum, & supremum urgentes rigorem volebant illius discipulos coinquinari, quod manibus illotis manducarent. Quid hoc faciat ad solidum, & expressum Ecclesiæ præceptum in Scripturis, & Patribus fundatum?

III. Inquiunt. Apostolus 1. ad Corinth. c. 10. ℣. 25. 27. 28. & 29. ita loquitur: *Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis vocat vos Infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.* Repono interrogando, quid ibi velit Apostolus, nisi, ut quæ tunc prohibita non erant, libere manducarentur quales erant carnes in macello venales, aut indiscriminatim appositæ, & quæ prohibita erant, non manducarentur, quales erant carnes propositæ tamquam idolis prius immolatæ, & quasi in illorum honorem sumendæ. Quid, quæso, facit hoc pro manducandis sine peccato carnibus, aut cibis, postea pro certis diebus ab Ecclesia absolute, prohibitis?

hibitis? Si tunc potuerunt rite ab Ecclesia prohiberi carnes appositæ, tamquam idolis immolatæ, & Actor. c. 15. ℣. 29. usus sanguinis, & suffocati, cur jam ab eadem Ecclesia non possent certis diebus carnes, aut cibi alii interdici? Quinimo ex hac prohibitione carnium idolis oblatarum hi nostri carnis, & ventris Patroni suo potius argumento se ipsos jugulant. Sed malunt illi in sua Ægypto super ollas carnium sedere, quam ad terram promissionis per abstinentiam proficisci. Alia, quæ contra hujusmodi doctrinam objicere solent Hæretici, adeo levia, inepta, ac futilia sunt, ut vix digna sint lucubratione anicularum; in iis propterea exsufflandis tempus terere nolo.

QUAESTIO II.

De variis jejuniis juxta veterem Ecclesiæ disciplinam.

ARTICULUS I.

Primum erat jejunium Quadragesimale.

CUjus institutio Christo Domino attribui non potest, ut ostendit Thomassinus in tract. de jejun. p. 1. a. 4. fuit tamen ad normam illius jejunii propositum, quod Moyses, Elias, & Salvator ipse quadraginta dierum spatio maxima austeritate peregerunt: *Quadragesima sane* (ait S. Aug. epist.

91.

19. nunc vero 55. ad Januarium c. 15.) *jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moysis, & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit demonstrans Evangelium non dissentire a lege, & Prophetis.* Rursus licet hoc jejunium ad Telesphorum Papam (qui circa dimidium sæculi II. floruit) referatur in eo libro, qui Anastasii nomine circumfertur; quia tamen ex antiquis monumentis satis constat a priscis Fidelibus receptum fuisse, priusquam ulla Concilia cogerentur, nam primum Nicenum Concilium Quadragesimam tamquam omnibus cognitam aperte commemorat, anteriorem Telesphoro Authorem habere debuit.

Tenendum ergo Quadragesimale jejunium ex Apostolorum traditione descendere, quidquid inepte, & imperite prorsus effutiant Calvinistæ illud inter superstitiosa hominum inventa adnumerantes. Res Augustini comprobatur judicio lib. 4. de baptismo contra Donatistas c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Jam vero Quadragesimalis institutio jejunii neque ex Divinis Scripturis, neque ex cujuspiam Concilii Decreto ostendi potest. Cui testimonium S. Hieronymi in epistola 54. ad Marcellam aptissime convenit: *Nos una Quadragesima secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo jejunamus. Illi* (nempe Montanistæ) *tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.* Catholici

nempe

nempe jam primis Ecclesiæ sæculis Apostolica instructi traditione jejunium Quadragesimale semel in anno servabant: Hæretici autem Montanistæ tribus Quadragesimis quotannis corpora sua macerabant. Eandem sententiam amplectitur S. Leo Magnus serm. 43. de Quadragesima c. 2. *Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur, non ciborum tantum parcitate, sed privatione maxime vitiorum.*

Advertendum I. Istiusmodi jejunium ad dies quadraginta, vel prope quadraginta, scilicet quadraginta sex, minime vero vel ad horas quadraginta, vel ad unum tantum, aut tres dies extendere consuevisse primi temporis Christianos, id quod ex luculentissimis Sanctorum Patrum testimoniis satis constat. Initium vero talis jejunii non eodem semper tempore cœptum est. Nam primum feria secunda consequente Dominicam, quæ Quinquagesimæ dicitur, jejunium Quadragesimale incœpisse Patres complures testantur, desiisse vero Sabbatho præcedente Majorem Hebdomadam; nam hæc propterea, quod severiori jejunio, quod ab antiquis Scriptoribus Antipaschale appellari consuevit, transigebatur, intra dies quadraginta computari non solebat. Cœpit deinde jejunium hoc a feria secunda post Dominicam, quæ prima dicitur Quadragesimæ, & usque ad Pascha extendi consuevit, & ex præcedenti hebdomada scilicet Quinquagesimæ, additi sunt dies quatuor ad subsequentes, tametsi hujus additionis tempus sit in-

certum,

certum, eam tamen antiquam esse complures docent Ecclesiastici Scriptores.

Advertendum II. Vetustioribus sæculis jejunium Quadragesimale non unica tantum cibi refectione, abstinentia a carnibus, & vino peragi consuevisse; sed potum quoque aquæ fuisse prohibitum, priusquam legitimum tempus capiendi cibi advenisset, de quo videndus Baillet tom. 4. de vit. Sanct. in hist. Quadrag. §. 5. & 7. Neque superioribus sæculis meridie, ut nunc fit, sed vespere jejunium claudebatur; lege S. Bernardum serm. 5. de Quadragesima. Usus tamen paulatim obtinuit, ut post meridiem, etiam in Quadragesima jejunium solvatur; hinc in Templis sub meridiem dicuntur Vesperæ, ut veteris disciplinæ vestigium aliquod conservetur, quæ per eos dies jejunantibus cibum interdixerat, donec Officium in Ecclesia sub Vesperam absolveretur, unde *Vespertinum* nuncupabatur.

ARTICULUS II.

Secundum jejunium erat Quatuor Temporum.

QUod in Ecclesia Dei pluribus de causis observari consuevit. I. Ne Judæi, qui publice indictum jejunium quater in anno religiose servabant, Christianos temperantiæ virtute superarent. Fit autem mentio quadruplicis jejunii Hebræorum

apud

apud Zachariam c. 8. ℣. 19. *Mensis quarti*, cujus die 9. Templum combustum. *Mensis septimi*, quo populi reliquiæ cœso Godolia dispersæ sunt. *Mensis decimi*, cujus die 10. Urbs sub Sedezia a Nabuchodonosore primum obsideri cœpta est. II. Cum a veteri Ecclesiæ disciplina recedendum fuerit, ob quam sacræ ordinationes Mense Decembri tantum haberi solebant; ob idque alia tria tempora teste Amalar. Fortunat. lib. 2. c. 1. de offic. Eccles. Vere scilicet, æstate, ac Autumno ineuntibus ad illas celebrandas constituta fuerint; conveniens videbatur, ut jejunium pariter adhiberetur, quemadmodum in sacris Litteris deprehenditur, dum Barnabæ, ac Sauli ordinationem commemorant: *Tunc jejunantes, & orantes; imponentesque eis manus dimiserunt illos.* III. Ut pro frugibus Deo gratias persolvamus, cum iis præcipue temporibus vel terræ mandentur, vel maturescant, vel disectæ in horrea congerantur. IV. Denique, ut jejuniis, aliisque piis operibus nostra crimina sine ulla intermissione expiemus. Vide Cardinal Bellarminum de bonis operibus in practic. lib. 2. c. 19.

Cum autem Judæi quater in anno jejunio addicti essent, non ritu quodam, aut solemni cæremonia, quæ Salvatoris adventum significaret, sed virtutis potius, ac temperantiæ causa; hinc Apostolica traditione hujus jejunii consuetudo recenti Ecclesiæ proposita ad nos usque dimanavit, ut S. Leo Magnus Quinti sæculi Scriptor testatur serm. 7. de jejunio Septimi Mensis, & serm. 4. 6. 7. de je-

junio Decimi Mensis, cujus sententiam Cardinalis Baronius his verbis complectitur ad annum 57. n. 209. tom. I. *Ipsa quidem Quatuor anni Temporum jejunia, quæ in Ecclesia servari solent, ex Apostolica institutione sumpsisse principium S. Leo absque ulla dubitatione confirmat.* In hanc opinionem scripsit etiam Thomassinus, cum de jejunio satis copiose, atque erudite dissereret lib. 9. de Hist. Ecclesiast. temporum.

Circa tempus, & numerum jejuniorum ejusmodi aliqua fuit in Ecclesia varietas. Primo, cum jejunium ter in anno fieret veteri consuetudine, Callistus Romanus Pontifex, qui initio tertii sæculi martyrii palmam est assecutus, quartum Decreto suo traditur adjunxisse. Quantum vero ad tempus spectat, primum jejunium, quod erat Vernum, sub initium mensis Martii servabatur: secundum hebdomada secunda Mensis Junii: tertium hebdomada tertia Septembris: quartum vero hebdomada quarta Decembris. Communiorem tamen hæc servandi jejunia morem hunc fuisse scribunt S. Leo, & Gelasius I. Pontifices, videlicet, ut primum in prima Quadragesimæ hebdomada: secundum in hebdomada Pentecostes; tertium in hebdomada tertia Septembris; quartum denique in tertia Decembris hebdomada celebraretur; qui certe mos etiamnum in Romana Ecclesia servatur.



AR-

ARTICULUS III.

Tertium jejunium erat quartæ, & sextæ feriæ.

AB antiquissimo tempore in Ecclesia ea ratione receptum, quod scelestus Judas feria quarta de venditione, & proditione Domini nostri Jesu Christi egerit; feria autem sexta Salvator mundi mortuus sit, ita sentit D. August. epist. ad Casul. aliique plures, quos refert Baronius ad A. C. 34. §. 168. Commendatum legimus hoc jejunium in Apostolicis Canonibus, Canone 69. ubi hæc habentur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat, vel quartam diem, vel Parasceven, deponatur.* Et Origenes Homil. 10. in Leviticum ait: *Habemus quartam, & sextam septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus.*

Observa jejunium, de quo hic loquor, non fuisse sub præcepto, sed consilio tantum in Ecclesia receptum; secus superflua fuissent Quatuor Temporum jejunia, si per totum annum in prædictis feriis vi præcepti jejunare Fideles debuissent.



ARTICULUS IV.

Quartum jejunium erat Sabbathi.

QUod olim in Ecclesia obtinuit in memoriam sepulturæ Christi ab Apostolo Petro, ut nonnulli existimant, derivatum. Multi tamen variis temporibus prodiere Conciliorum Canones illud jejunium prohibentes; excepto Sabbatho Majoris Hebdomadæ; idque ea ratione fuit vetitum, ne Fideles cum Manichæis sentire viderentur; qui Sabbatho jejunandum esse putabant ad ostendendum odium erga malum Deum, quem mundi hujus, ac colendi Sabbathi Authorem comminiscebantur. Ex his canonibus occasionem sumpserunt Græci jejunium Sabbathi improbandi; quia dum in Oriente præsertim Hæretici Manichæi jejunio Sabbathi abutebantur, congruum omnino erat, eos morem illorum declinare. Cum autem Ecclesia Latina non habuerit hanc occasionem, ideo Sabbathi jejunium non improbavit, imo commendavit, ac retinuit.

ARTICULUS V.

Quintum erat jejunium Adventus.

CUjus mentionem faciunt Scriptores doctrina, & vetustate percelebres, ut Perpetuus Turonensis Episcopus, Concilium item Turonense, ac Mati-

Matisconense sæculo sexto celebrata. A Monachis primum, tum a Laicis ex devotionis fervore singulis diebus a festo S. Martini ad Natalem usque diem Domini hoc jejunium servari cœptum est. Et ejusmodi jejunii observantia tametsi non eadem semper ubique fuerit, cum ex universali aliquo præcepto non penderet; penes Monachos tamen, aliosque Sacrorum Ordinum Regulares nunquam intercisa fuit, licet alii a festo S. Martini, alii a festo S. Catharinæ, alii a Dominica prima Adventus, alii, & nos Fratres Minores a festo Omnium Sanctorum, præcipiente Beatissimo Patre nostro Francisco c. 3. suæ Regulæ: *Et jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini:* prædicti jejunii sumpserint exordium.

QUAESTIO III.

Quid de Stationibus, & Vigiliis cum jejunio conjunctis primitivæ Ecclesiæ sentiendum? Quid item de jejunio die prima mensis Januarii servari solito?

ARTICULUS I.

Statio.

AUthore Eminentissimo Cardinali Cozza in lib. de jejunio p. 2. a. 19. aliud non erat, quam *Fidelium cultus, seu officium, quo certis diebus ad Martyrum*

tyrum convenientes sepulchra, ibique a solis ortu orationibus, sacrarum Scripturarum lectionibus, ac jejunio usque ad horam nonam vacabant.

Verum temporis decursu hanc Stationum disciplinam collapsam restauravit, licet sub diversa forma ab antiqua S. Gregorius Magnus. Diebus deinde Dominicis Adventus, & Quadragesimæ cum Stationes fuerint consignatæ, a jejunio separatæ remanserunt. Quamobrem in hoc maxime temporum nostrorum Stationes ab antiquis differunt, quod illæ jejunium habuerint conjunctum, nostræ non item. Nec mirum id videri debet, cum non ex constanti quopiam præcepto, sed ex varia pendeat pro temporum opportunitate Ecclesiæ disciplina.

ARTICULUS II.

Vigiliæ.

AB exemplo Christi, de quo scripsit Lucas c. 16. ℣. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei:* trahunt originem. In eo differebant a Stationibus, quod hæ diurnæ, illæ fuerint nocturnæ. Vigilias hujusmodi agebant Fideles vigilantes orantes, ac jejunantes ad Martyrum sepulchra nocte præcedente Solemnitatem aliquam. Diu hæc Vigiliarum disciplina in Ecclesia viguit, nam ex Concilio Oxoniensi A. C. 1212. celebrato apparet eam sub id tempus in Anglia floruisse, quin etiam perseveras-

ſe adhuc Sæculo decimo ſexto in Provincia Forojulienſi, ex Aquilejenſi Concilio ſub Clemente VIII. celebrato A. C. 1596. ſatis clare colligitur. Verum viris dumtaxat, non item mulieribus licitum erat vigilias agere; ſiquidem jam inde ab initio quarti ſæculi fœminis vetitum fuit vigilare in locis, in quibus & viri vigilabant, ſed in privatis Oratoriis domi ſuæ agebant vigilias. Sublatis tandem omnino vigiliis, earum loco remanſerunt jejunia, quæ nunc etiam temporis ex Eccleſiæ præſcripto ſervantur.

ARTICULUS III.

Inter alia præterea jejunia, quæ intra annum primi celebrabant Chriſtiani, eſt memorabile illud, quod obſervabant die prima menſis Januarii.

NAm ille dies Gentilibus erat maxime ſolemnis, quo convivia, & victimas multiplicabant, feſtumque erat eo die Jano, Æſculapio, & Jovi ſacrum. Patres igitur, ut omnem ſuperſtitionis ſpeciem ab animis Fidelium amoverent, illum ipſum diem jejunio conſecrarunt. Atque a Patribus paſſim ejus diei jejunium commendatum legitur, maxime vero a S. Ambroſio.



QUAESTIO IV.

Quis Rogationum jejunium indixerit?

PRAENOTIO.

Rogationes ad mentem Sidonii Apollinaris lib. 5. epist. 14. fuerunt primo inventæ, & institutæ a S. Mamerto, seu Mamerco Episcopo Viennensi in Delphinatu, qui easdem eo fine induxit, ut quæ dictæ Civitati videbantur portendi ex horribili, ac sæpius iterato terræ motu, ex ululatibus, atque nimium horrificis vociferationibus, & ex spectris, quæ omnibus, & singulis Oppidanis terrorem incutiebant, aut trepidationem, precibus iracundia Divina flecteretur. Ob quod in libro, qui *Sacerdotale* inscribitur, illud posterorum memoria dignum refertur: *In aliquibus Ecclesiis solent portari dracones, & lupi super perticas ad denotandum, quare instituta fuerit hæc Processio.*

Alii autem, quos citato nomine refert Pontas tom. 3. verb. *Rogationes* autumant S. Leonem suasu S. Mamerti jussisse A. C. 442. ut pius iste usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis eadem ratione, qua Romæ servabatur, & eidem annecteretur Parvarum Litaniarum cantus. Postea ordinavit S. Gregorius Magnus, ut in istis supplicationibus Magnæ Litaniæ

taniæ canerentur, ac Sacra S. Lucæ effigies in iisdem deferretur propter gravem pestilentiam, qua tunc temporis Urbs Roma opprimebatur. Et revera S. Alcimus Avitus Viennensis Episcopus in Delphinatu *Homilia de Rogationibus*, quæ extat in tom. 3. Bibliothec. Ss. Patrum. S. Cæsarius Arelatensis serm. 37. & S. Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. c. 34. testantur, jam labente quinto sæculo in omnibus fere Ecclesiis obtinuisse usum prædictarum supplicationum, atque solemnium obsecrationum.

Quamvis autem Mamertus dicatur Rogationum Author, verius tamen est, non tam fuisse Authorem, quam Instauratorem, & reperatorem; hoc enim manifestè patet ex his citati Sidonii Apollinaris verbis: *Erant quidem prius* (quod salva fidei pace dictum sit) *vagæ*, *tepentes*, *frequentesque*, *utque sic dixerim oscitabundæ supplicationes &c. In his*, *quas supradictus Summus Sacerdos nobis & protulit*, *& contulit*, *jejunatur*, *oratur*, *psallitur*, *fletur*. Ex his Sidonii verbis apparet inquit Cardinalis Baronius in notis Martyrologii ad diem 25. Aprilis S. Mamertum Episcopum non tam instituisse, quam restituisse, & in meliorem formam reduxisse sacras Rogationes.

Roboratur hæc opinio ex S. Augustino, qui tempore præcedens S. Mamertum, earum Rogationum, quæ antecedunt celebritatem Dominicæ Ascensionis, non obscure meminit serm. 174. de

tempore in Vigilia, Ascens. tom. 10. pag. 338. edition. Lovan. est ejus exordium hujusmodi: „ Scire debemus; & intelligere Fratres „ charissimi; quia dies compunctionis, „ & pænitentiæ celebramus &c. *circa finem autem sic*: Nullus sibi de industria „ aliquas occupationes inquirat, per quas „ se de Ecclesiæ conventu subducat, sine „ dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus jejunando, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritualia non inquirit &c.

Porro Rogationes quotannis ab Universali Ecclesia celebrari præcipiuntur, ut propitietur Deus peccatis nostris, & a nobis flagella iræ suæ dignetur avertere, pacem, & aeris salubritatem concedat, ut fructus terræ dare, & conservare dignetur, & omnibus nostris necessitatibus benigne prospiciat.

ASSERTIO.

Jejunium Rogationum

Olim statuit Concilium Aurelianense I. triginta trium Episcoporum A. C. 551. sub. Symmacho Papa tempore Clodovei I. Francorum Regis christiani c. 29. his verbis, quæ etiam referuntur

tur in cap. *Rogationes* 2. dist. 3. de consecrat.
„ Rogationes, id est, Litanias ante Ascen-
„ sionem Domini placuit celebrari, ita,
„ ut præmissum Triduanum jejunium
„ in Dominicæ Ascensionis solemnitate
„ solvatur, per quod triduum servi, &
„ ancillæ ab opere relaxentur; quo ma-
„ gis plebs universa conveniat. Quo
„ triduo omnes abstineant, & quadra-
„ gesimalibus cibis utantur.

Hodie veró Ecclesiæ quædam Rogationes celebrant cum triduano jejunio, aliæ cùm solo jejunio feriæ quartæ, aliæ sine ullo jejunio, & unusquisque Ecclesiæ suæ consuetudinem, ac morem tuto servare potest.

QUAESTIO V.

Quæ sint jejunia secundum præsentem, & recentem tum Occidentalis, tum Orientalis Ecclesiæ praxim?

ARTICULUS I.

Jejunia Ecclesiæ Occidentalis

Sunt hæc, Quadragesimale, Quatuor Temporum, ac Vigiliarum, quæ aliquibus Solemnitatibus, & Festis Sanctorum præmittuntur, &

præ-

præter ista jejunia nullum aliud habeant Catholici, ad quod sub præcepto obligarentur. Diebus Veneris, & Sabbathi abstinentia a carnibus, sed non jejunium præcipitur.

ARTICULUS II.

Jejunia Orientalis Ecclesiæ

Non eadem ubique, sed diversissima sunt, ut demonstrarunt viri præclarissimi, qui Græcorum ritus descripserunt, nec enim Orientales, & Græci eadem servant jejunia, nec eodem modo.

Mengrelienses græcum in sacris peragendis ritum sequentes, licet proprio utantur idiomate, quatuor habent Quadragesimas. Prima ante Pascha, & a Quinquagesima incipit; secunda post Pentecosten; tertia initium sumit a Kalendis Augusti usque ad Festum Assumptionis Beatæ Virginis; quarta Adventus Domini, quæ quadraginta complectitur dies. Abstinent a carnibus, non nisi post solis occasum cœnant: in Majori Hebdomada vinum non gustant; & ultimis tribus diebus ejusdem ab omni prorsus cibo abstinent.

Syri Jacobitæ præter feriam quartam, & sextam quinque habent celeberrima jejunia. Primum Quadragesimæ; alterum Apostolorum; tertium Migrationis, seu Assumptionis Beatæ Virginis; quartum Nativitatis; quintum Niniviticum.

Jeju-

Jejunium Quadragesimæ quadraginta octo diebus absolvitur; Apostolorum a feria secunda post Pentecosten usque ad diem vigesimam nonam Junii producitur. Migrationis jejunium a Kalendis Augusti usque ad diem decimam quintam extenditur. Nativitatis alii a Kalendis Decembris auspicantur: nonnulli a die decima Decembris per duas hebdomadas observant. Denique Ninivitarum jejunium a feria secunda, quæ tribus hebdomadibus præcedit jejunium Quadragesimale, usque ad feriæ quintæ Matutinum observant aliqui; nonnulli autem ad Matutinum Sabbathi. Conveniunt cum Syris Jacobitis circa jejunii disciplinam Cophti, & Æthiopes.

Syri Nestoriani præter quinque recensita jejunia, & ferias quartam & sextam, in quibus non multum dissident a cœteris Orientalibus (est enim sola varietas quantum ad numerum dierum jejunii, ejusque initium) duo habent particularia jejunia, nempe jejunium Eliæ, seu Crucis per hebdomadas septem, a Dominica prima Eliæ, quæ quartam Æstatis sequitur, usque ad feriam sextam quartæ hebdomadæ Crucis, seu septimæ Eliæ. Deinde habent jejunium Virginum tribus post festum Epiphaniæ diebus.

Advertendum jejunium *Niniviticum* sic esse appellatum; quia dum populi peste, aliisque calamitatibus affligerentur, Episcopi indictis supplicationibus, ac jejunio, Ninivitarum usi sunt exemplo ad Dei opem implorandam.

Jeju-

Jejunium autem *Virginum* ita est nuncupatum, quia originem habuit ex supplicationibus ea occasione ordinatis, in qua Rex Arabum, sive, ut alii volunt, Persarum, imperaverat, ut sibi ex Urbe Hirta quadraginta Virgines adducerentur. Tunc enim ob beneficia illis supplicationibus accepta statuerunt, ut quolibet anno jejunium istud observaretur.

Armeni non ubique æqualiter jejunant. Qui Constantinopoli commorantur Armeni sive Catholici, sive Hæretici a feria secunda Quinquagesimæ jejunii Quadragesimalis sumunt exordium. Hæretici ante Nativitatis festum, quod die octava Januarii celebrant, septem diebus jejunant, & in vigilia jejunium usque ad vesperam protrahunt, deinde cœnant, & in ea cœna utuntur lacticiniis, & ovis. At Catholici in vigilia dumtaxat Nativitatis, cujus Festum diverso ab Hæreticis die celebrant, jejunare solent, atque a piscibus etiam abstinent. Ante Epiphaniam septem diebus jejunant omnes tum Catholici, tum Hæretici. Festum Assumptionis Beatæ Virginis semper die Dominica celebrant, & die lunæ usque ad Sabbathum, quo die lacticiniis utuntur, solent jejunare; eademque ratione jejunia servant, quæ præcedunt festum Transfigurationis, & Exaltationis S. Crucis. A feria secunda post Pentecosten usque ad feriam sextam jejunium colunt, quod vocant S. Eliæ: atque ejusdem rationis

sunt

sunt alia jejunia scilicet S. Gregorii Jeluminatoris, S. Jacobi Episcopi, S. Sergii Martyris, & S. Gregorii, quem Thaumaturgum appellant, in quibus a feria secunda usque ad sextam jejunant.

QUAESTIO VI.

Quæ sint jejunia in Seraphico Ordine nostro?

ARTICULUS I.

Jejunia Fratrum Minorum

INsinuantur c. 3. Reg. his verbis: *Jejunent a Festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino: & qui nolunt, non sint adstricti; sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi feria sexta jejunare.* Hæc sunt jejunia in Regula fundata, quæ præter alia Ecclesiastica, & Statutaria Fratres Minores observamus.

Petes. An nos Fratres Minores obligati simus ad jejunandum die Veneris, in quem incidit celebritas Dominicæ Nativitatis?

℟. Nos Franciscanos teneri ad præceptum jejunii feria sexta occurrente in die Natalis Domini;

arg.

arg. cap. *Explicari* 3. de observat. jejunior. ubi Summus Pontifex Honorius III. Episcopo Pragensi super hoc puncto interroganti respondit: *Explicari per Sedem Apostolicam postulasti:* & infra: *Respondemus; quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti in feria sexta, si Festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit; carnibus propter Festi excellentiam vesci possint secundum consuetudinem Ecclesiæ Generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.* Et sic tenent Regulæ nostræ Expositores, & Doctores Corduba, Miranda, Rodriquez, Portell, Marchant. & alii in expositione Regulæ c. 4.

ARTICULUS II.

Jejunium, quod nos Franciscani *Benedictum* vocamus

I. PRoponitur a Seraphico Patriarcha nostro Divo Francisco c. 3. Reg. hoc modo: *Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino: & qui nolunt, non sint adstricti.* Debet hæc Quadragesima inchoari die Epiphaniæ Festum sequente, & durare per continuos 40. dies, unde in festo S. Valentini, aut die postera absolvi non potest.

II. Hæc

II. Hoc jejunium juxta mentem S. P. N. Francisci ab iis non sufficienter observaretur, ita, u paternam benedictionem plene obtinerent, qui se semel in prandio carnibus reficerent, & a secunda refectione abstinerent sola jejunantium collatiuncula contenti. Ratio; quia S. Pater Noster agens de hoc jejunio, & illud observantibus Paternam suam benedictionem pollicens, eodem prorsus modo loquitur, sicut dum jejunia sub peccato obligantia indicit; atqui de essentia horum jejuniorum est a carnibus abstinere: ergo idem est de essentia jejunii istius, nam sine hoc jejunium non erit, quod tamen sanctus Pater requirit.

III. Scrupulose nimis, & infundate a quibusdam docetur, quod in Dominicis intra 40. hujus jejunii dies concurrentibus secundam in piscibus refectionem sumere non liceat; secus, inquiunt illi, non jejunaretur 40. diebus, sed solum diebus 34. aut 35. Unde contrarium ostendo his rationibus. *1mo.* Quia Ecclesia in diebus Dominicis non jejunat unquam; imo cap. *Si quis tamquam.* Et cap. *Si quis Presbyter.* dist. 30. & cap. *Ne quis jejunet.* de consecrat. dist. 3. districte olim prohibuit Ecclesia diebus Dominicis jejunare: & etiam modo, dum Solemnitates, quarum intuitu pridie fit jejunium, cadunt in feriam secundam, ordinat, ut Sabbatho præcedenti jejunetur. *2do.* Regula eodem modo præcipit, ut jejunemus a Festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini nullos excipien-

do dies, & tamen diebus Dominicis intercurrentibus non jejunamus. *3tio.* In quadragesimo quarto Generali Capitulo *Interamnæ* celebrato A. C. 1500. ita de hoc jejunio statuitur cap. 3. a. 2. *Intermedia vero, quæ ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies durat (exceptis Dominicis, in quibus jejunium fieri non consuevit) qui voluerint &c.* Ubi adverte: *Exceptis Dominicis.* *4to.* Qui vovisset jejunare integro aliquo mense, non teneretur jejunare diebus Dominicis illius, nisi ad id se expresse intenderit obligare, ut habent Doctores communiter apud Sanchez lib. 2. in Decalog. c. 37. n. 20. quia intelligitur hoc jejunium instirui ad modum, quem Ecclesia intendit, a qua dies Dominici semper excipiuntur: ergo etiam idem semper dicendem est, de hoc jejunio, de quo ago, quod scilicet sufficiat jejunare quadraginta diebus eo modo, quo Ecclesia jejunia sua instituit.

IV. Seraphicæ benedictionis hic promissæ efficacia potissimum in hoc consistit *1mo.* quod Fratribus voluntarie hanc Quadragesimam jejunantibus provisurus sit de necessariis corporis, & animæ Benignus Pater tam in particulari, quam in communi. *2do.* Job. c. 5. ℣. 20. &. 23. dicitur: *In fame - - - - bestiæ terræ pacificæ erunt tibi*, id est, ut exponit Philippus Diez in jejunio, & fame voluntaria, bestiæ terræ, sive hostes spiritus tibi *non poterunt prævalere: eos domabis, in servitutem rediges; ferociam eorum humiliabis, ut nulla possint ratione contra te belligerare.* *3tio.* Aliquibus intuitu

tuitu hujus jejunii immittetur zelus, ac votorum perfecte servandorum solicitudo. Alii contra tentationes, & internas concupiscentias firmabuntur; aliorum mens tranquillabitur; aliis inter afflictionum tempestates cœlestis ad patientiam consolatio instillabitur. *4to.* Omnibus aderit S. P. Franciscus in mortis angustiis, ut benedictio, quam sperarunt, eos in totam comitetur æternitatem.

V. A participatione communis gratiæ, & protectionis, quam jejunantes promerentur, non excluduntur alii bonæ quidem voluntatis, at ex rationabili causa jejunare non valentes; si enim propter paucos justos pepercisset Deus nefandis Sodomitis Gen. 18. cur non credamus, quod propter plures de communitate jejunantes Franciscus sit benedicturus universis?

VI. Benedictio danda Fratribus in fine jejunii Benedicti est hæc:

Dominus noster Jesus Christus, qui per jejunium quadraginta dierum, desertum sanctificavit, ille vos benedicat, & sanctificet, & ad sacrum jejunium ulterius peragendum, prosequendumque, quoad vixeritis, animum, viresque concedat. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Tum aspergens Superior Fratres aqua benedicta dicit:

Pax, & bene†dictio Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.

QUAESTIO VII.

De jejuniis Sanctimonialium Clarissarum.

ASSERTIO.

Sorores S. Claræ hodie non tenentur sub mortali ad jejunia Regulæ, nempe Adventus, & Feriæ sextæ.

QUamvis enim olim sub reatu culpæ gravis obligarentur ad jejunium perpetuum ex vi Primæ Regulæ in 12. capitula ordinatæ, & distributæ a S. P. N. Francisco, & approbatæ ab Inocentio IV. die 16. Sept. A. C. 1253. constit. 12. incip. *Solet annuere.* Ubi in tertio Capitulo imponitur jejunium perpetuum; & ex vi secundæ Regulæ in 26. Capitula dispositæ, & confirmatæ ab Urbano IV. A. C. 1263. Constit. 7. incip. *Beata Clara* tenerentur sub mortali ad jejunium a Festo Nativitatis B. M. V. ad Festum Resurrectionis Domini, & feriis sextis, ut patet in capitulo undecimo ejusdem: modo tamen ex dispositione, seu declaratione Eugenii IV. Constit. 28. incip. *Ordinis tui* edita Nonis Februarii 1446. ad supplicationem S. Joannis de Capistrano tunc nostri Ordinis Vicarii Generalis,

lis, non obligantur, nisi ad jejunia Fratrum Minorum de Observantia, scilicet Adventus a die Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini exclusive, & cujuslibet feriæ sextæ.

Nec ad hoc sub mortali sunt adstrictæ, uti sunt adstricti Fratres; nam ibi Pontifex quantum ad hunc casum de jejunio duo disponit, primo obligationem temporis, reducendo tempus perpetuum primæ Regulæ ad dictum tempus Fratrum scilicet Feriæ sextæ, & Adventus; & secundo obligationem peccati ipsam retrahendo a linea peccati mortalis, nam postea descendendo ad obligationem peccati cunctorum præceptorum dictæ Regulæ numero centum, & trium, quæ refert, & inter quæ sub capitulo tertio est jejunium, subdit: „ Tenore præsentium declaramus, & volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota Obedientiæ scilicet, Paupertatis, Castitatis, & Clausuræ, & super electione Abbatissæ, & depositione peccatum mortale incurrant.



 DIS-





DISSERTATIO X.

De Festis.

Vera, & propria Festorum institutorum ratio eo refertur, ut homo corpore, & animo in eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore, a terrenis negotiis, & corporeis laboribus vacans per religionis officia Deum pie colat, ac veneretur. Inter eos autem dies, qui divinis actionibus, & sanctis rerum muneribus dicati sunt, celeberrimi habentur, qui ob Redemptionis nostræ mysteria religioni consecrati sunt, deinde, qui Sanctissimæ Virgini Matri, tum vero Apostolis, Martyribus, cæterisque Sanctis cum Christo regnantibus dicantur: in quorum victoria Dei bonitas, & potentia laudatur, ipsis debiti honores tribuuntur,

ac

ac ad eorum imitationem fidelis populus incitatu. Ea ergo, quæ dogmatice de Feſtis diſcutienda ſunt, præſens Diſſertatio examinabit.

QUAESTIO I.

Quæ fuerint, & etiamnum ſunt Feſta Hebræorum?

ASSERTIO.

In Veteri Lege celebrabantur, & hodiedum celebrantur a Judæis ultra Sabbathum qualibet hebdomada in memoriam creationis mundi, quolibet anno ſeptem aliæ peculiares Feſtivitates, nempe Paſcha, Pentecoſtes, Scenopegia, Encœnia, Neomenia, Collecta.

Prima Solemnitas erat Paſcha,

In qua Agnus immolabatur, & interdicto fermentato ſolis azymis panibus veſci licebat: hæc ſolemnia ſeptem diebus celebrantur primo menſe Hebræorum *Niſan* noſtro Martio in plenilunio correſpondente, Deo ſic præcipiente in gratiarum actionem liberationis Iſraelitici populi ex Ægypto, & ſervitute Pharaonis, uti habetur Levitici c. 23. ℣. 6. *Quinta decima die menſis hujus, Solemnitas Azymorum Domini eſt, ſeptemque diebus Azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus, & ſanctus; omne opus ſervile non facietis in eo.*

Secunda Festivitas erat *Pentecostes*, hebraice etiam *Sabahot* dicta

Id est Festivitas post septem hebdomadas solemnizata 50. diebus post Pascha mense *Sivan* nostro Majo correspondente in memoriam Legis a Deo traditæ Moysi in duabus lapideis tabulis Levit. c. 23. ℣. 16. imperata his verbis: *Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum, omne opus servile non facietis in eo.*

Tertia est *Scenopegia*

Id est Festivitas Tabernaculorum, vulgo *Frascate*, & hebraice *Sukot* solemnizata septem diebus mense Thischri correspondente nostro Septembri, ad commemorandum beneficium Divinæ protectionis, & deductionis per desertum, ubi sub Tentoriis, seu Tabernaculis ipsi Hebræi habitaverunt pasti manna eis de Cælo præstita; & hæc Festivitas habetur præcepta Levit. c. 23. ℣. 34. *A quinto decimo die mensis hujus erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino.*

In his tribus assignatis Solemnitatibus tenebantur Hebræi quotannis Jerosolymitanum Templum adire juxta præceptum eis impositum Deuteronomii c. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei in loco, quem elegerit, in Solemnitate Azymorum, & in solemnitate Hebdomadarum, & in Solemnitate Tabernaculorum.*

Quar-

Quarta erat Festivitas *Encæniorum*

Id est, novæ purgationis, seu dedicationis Templi, & celebrabatur per dies Octo mense *Casleu* correspondente nostro Novembri in memoriam novæ dedicationis Templi factæ sub Juda Machabæo, juxta id, quod habetur 1. Machab. c. 4. ℣. 59. *Et statuit Judas, & fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis Altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo a quinta, & vicesima die mensis Casleu cum lætitia, & gaudio.*

Quinta erat *Neomenia.*

Id est, *Novilunium*, quæ Festivitas *Tubarum* celebrabatur prima die mensis septimi, hoc est Septembris, in memoriam liberationis Jsaac, quando Abraham invenit arietem hærentem carnibus, quem repræsentabant per cornua, quibus buccinabant. Hæc Festivitas erat eis indicta Levit. c. 23. ℣. 24. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: loquere filiis Israel, mense septimo, prima die mensis erit vobis Sabbathum memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum; omne opus servile non facietis in eo.*

Sexta erat solemnitas *Expiationis* dicta a Judæis *Jomakipburim*

Quæ celebrabatur decima die mensis septimi, id est, Septembris in memoriam illius beneficii,

quo

quo Deus ad preces Moysis propitiatus est peccato idololatriæ populi de adoratione vituli in deserto, & tenebantur tali die ad strictum jejunium in signum veræ pœnitentiæ juxta præceptum eis impositum Levit. c. 23. ℣. 27. *Decimo die mensis hujus septimi dies Expiationis erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus.*

Septima erat Festivitas *Collectæ*, seu *Cætus*

Celebrata die 22. mensis septimi, id est, Septembris in octava Solemnitatis Tabernaculorum, ut sicut illa fuerat in memoriam Divinæ protectionis, & deductionis per desertum, sic hæc ultima in ejus Octava commemoraret singulare Dei beneficium, quo omnes in unum collecti, & unitim introducti fuerant in Terram Promissionis; & hæc Festivitas legitur eis indicta Levit. c. 23. ℣. 36. *Dies quoque octavus est celeberrimus, atque sanctissimus; & offeretis holocaustum Domino; est enim Cætus, atque Collectæ; omne opus servile non facietis in eo.*



QUAE-

QUAESTIO II.

Quas Festivitates Ecclesia Christi Judaicis Solemnitatibus substituerit?

ASSERTIO.

Extincta veteri Lege cum suis Festivitatibus sancta Mater Ecclesia nova Domini Sponsa, in nova lege usque in mundi finem perseveratura, Sancto Spiritu afflata alias solemnitates celebrandas substituit uberius figuras, ac mysteria in illis contenta exprimentes.

Primo Sabbathi loco substituta est sanctificatio Dominicæ

Quæ est prima dies a Deo creata; in qua manna primum Deus pluere fecit in deserto; in qua Christus resurrexit; in qua Spiritus Sanctus in Apostolos descendit ex Concilio Palæstino celebrato sub Victore secundo.

Secundo *Paschati Azymorum* successit *Pascha Resurrectionis*

Pro stabilienda puritate, & sinceritate vitæ Fidelium in evitando malitiæ, & peccati fermento juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. c. 5. ℣. 7. & 8. *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fer-*

fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in Azymis sinceritatis, & veritatis; ipse enim resurrexit propter sanctificationem nostram. Ad Rom. c. 4. ℣. 25.

Tertio Festivitati *Pentecostes Hebræorum* pro lege a Deo data Moysi in duabus lapideis Tabulis respondet nostra Solemnitas *Pentecostes*

In qua Spiritus Sanctus in igneis linguis supra Apostolos, & Discipulos descendit, imprimens in eorum cordibus legem charitatis in his duobus præceptis contentam: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo .... & proximum tuum, sicut te ipsum; in his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Matth. c. 22. ℣. 37. & seq.

Quarto Festivitati *Scenopegiæ*, seu *Tabernaculorum* pro manna comesta ab Hebræis in deserto, respondet Solemnitas sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ

Quæ est vera cœlestis manna, summa Dei Clementia ad spiritualem, & perpetuam vitam animabus nostris præparata: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt .... Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum,* Joan. c. 6. ℣. 49. & seq.


Quin-

Quinto pro Festivitate *Encæniorum*, seu nova dedicatione, & restauratione Templi, indictæ sunt *Dedicationes*, & *Consecrationes Ecclesiarum*, & *Solemnitates B. V. M.*

Quæ est *Templum Domini*, *Sacrarium Spiritus Sancti*, ut canit Ecclesia in Officio ejusdem Præsentationis die 21. Novembris. Antiph. ad Magnificat in 2. Vesp.

Sexto *Neomeniæ*, seu Festivitati *Tubarum* successit Solemnitas *Sanctorum Apostolorum*

Qui sunt Tubæ Spiritus Sancti, & annunciatores Christi, mystici Isaac per universum orbem: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 18. ℣. 5. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marci c. 16. ℣. 15.

Septimo Festivitati *Expiationis* idololatriæ commissæ in adoratione vituli aurei in deserto, subingressæ sunt Solemnitates *Sanctorum Martyrum*

Qui tradiderunt corpora sua in mortem, ne servirent Idolis, ut canit Ecclesia in 2. Antiph. Tertii Nocturni eorum Officii.



Octa-

Octavo *Collectæ Hebræorum* pro ingressu in Terram Promissionis, correspondent *Festivitates Omnium Sanctorum, Confessorum, Virginum, & non Virginum*, suis pro meritis ad cœlestem Patriam veram Promissionis terram evectorum

Quorum cuilibet dictum est a Domino: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matth. c. 25. ℣. 21. Et omnes a nobis sic suppliciter exorantur: *Quicunque in alta Siderum regnatis aula Principes; favete votis supplicum, qui dona cœli flagitant.* Ecclesia in Hymno ad Laudes Festi Omnium Sanctorum.

QUAESTIO III.

Quæ Festa sint nunc apud Catholicos de præcepto?

ARTICULUS I.

Festa de præcepto ex Constitutione Urbani VIII. incip. *Universa* §. 2. sunt hæc:

Dominicæ totius anni, Nativitatis D. N. J. Christi, Circumcisio, Epiphania, Resurrectio cum duabus sequentibus diebus, Ascensio, Pentecostes cum duabus sequentibus, Sanctissima Trinitas, Solemnitas Corporis Christi, Inventio S. Crucis, Festivitates Beatæ Mariæ Virginis, ut

Puri-

Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis; Dedicatio S. Michaelis Archangeli, Nativitas S. Joannis Baptistæ, Festa Ss. Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis. S. Thomæ, Sanctorum Simonis, & Judæ, & S. Mathiæ Apostolorum. Item Festa S. Stephani Protomartyris, Sanctorum Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silvestri Papæ, S. Josephi Sponsi B. M. V. S. Annæ Matris B. M. V. & Omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocunque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacunque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos venerari, & haberi contigerit.

ARTICULUS II.

Ultra Festa de præcepto in Bulla Urbani VIII. recensita, sanc. mem. Clemens XI. decrevit, ut Festum Conceptionis B. M. Virginis Immaculatæ in universo terrarum Orbe celebraretur, & comprehenderetur sub præcepto Festorum, uti desumitur ex sequenti ejusdem Constitutione tom. 10. Bullar. Rom. nov. edit. pag. 206.

Clemens PP. XI.

Ad futuram rei memoriam

Commissi Nobis Divinitus Sacrosancti Aposto„latus Officii exigit ratio, ut gloriosissimæ „Vir-

„ Virginis Dei Genitricis Mariæ, cujus Concep-
„ tio gaudium annunciavit universo mundo, ve-
„ nerationem, & cultum plurium Romanorum
„ Pontificum Prædecessorum nostrorum more am-
„ pliare studentes in terris, illius, quæ super
„ Choros Angelorum exaltata pro populo chri-
„ stiano sedula Oratrix apud eum, quem genuit,
„ assidue intercedit in cœlis, potentissimam opem,
„ in tot, tantisque, quibus premitur, christia-
„ næ Reipublicæ, & catholicæ Ecclesiæ neces-
„ sitatibus, quantum nobis ex alto conceditur,
„ promereri jugiter satagamus. Sincera itaque
„ nostra erga eandem Augustissimam Cœli Re-
„ ginam, Patronam, & Advocatam nostram de-
„ votione incitati, Festum Conceptionis ipsius
„ Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ubique
„ terrarum imposterum, ab omnibus, & singulis
„ utriusque sexus Fidelibus, sicuti alia festa de
„ præcepto, servari, & celebrari, ac sub præ-
„ cepto observationis Festorum comprehendi,
„ authoritate Apostolica tenore præsentium de-
„ cernimus, præcipimus, & mandamus. Non
„ obstantibus &c. Datum Romæ die 6. Decem-
„ bris 1708.

Petes. An Festum Seraphici Fundatoris nostri S. Francisci sit de præcepto?

℞. Celebritatem S. P. Francisci fuisse aliquando indictam de præcepto observandam ubique a Sixto IV. in Bulla, quæ habetur in Bulla-

rio;

rio; Rodriquez fol. 317. & 318. & a sacra Congregatione Rituum die 3. Januar. A. C. 1622. & die 21. April. A. C. 1640. At postea die 13. Septembr. A. C. 1642. ab Urbano VIII. Constit. incip. *Universa* hoc Festum non fuit amplius connumeratum inter Festa de præcepto, sed tantum devotione.

QUAESTIO IV.

Quis possit indicere dies Festos?

ARTICULUS I.

Potestati sæculari non inest jus instituendi Festa.

UTi late probat Fagnanus in cap. *Conquestus* n. 58. & seq. *de feriis*. Thomassinus in tract. de Fest. lib. 1. c. 17. n. 16. Capon. discept. 208. n. 25. Cortiad. decis. 171. n. 8. & seq. Idque expresse declaravit Innocentius X. die 6. Octob. A. C. 1653. per suas Litteras in forma Brevis.

Innocentius PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ CUm nuper ad notitiam nostram non sine gra-
„ vi animi nostri molestia pervenerit, quod
„ dilecti Filii Senatus Mediolani per Litteras cir-

N n „ cula-

„ culares datas die 20. Junii proxime præteriti, „ & dilectus Filius nobilis vir modernus Gubernator status Mediolani, per Edictum publicum „ die 30. ejusdem mensis Junii, mandaverit observari diem Festum S. Dominici die 4. mensis „ Augusti cujuslibet anni in toto illo statu, præcipientes, ut populi, & subditi illius status abstineant ab operibus servilibus, & artifices tabernas, & apothecas clausas teneant, prout „ servatur cœteris diebus Festis ex præcepto, & „ ulterius in Edicto prædicto exprimatur Festivitatem esse celebrandam cum omni devotione, „ ac pietate christiana: Nos, quibus Universalis „ Eccesiæ regimen a Domino commissum est, considerantes, quam perniciosum authoritati Ecclesiæ id esse possit, cum Principes Laici, quos „ in rebus Ecclesiæ obsequendi potius manet necessitas, quam authoritas imperandi, non habeant facultatem imperandi dies Festos in honorem Sanctorum: de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum, quibus hoc negotium discutiendum „ commisimus, consilio, prædictas Litteras, & „ Edictum emanatum authoritate Laicali super observatione prædictæ Festivitatis S. Dominici, „ fuisse, & esse omnino nulla, nulliusque roboris, & momenti, nec aliquo modo servanda, „ Apostolica authoritate tenore præsentium declaramus. Sicque & non aliter in præmissis per „ quoscunque judices ordinarios, & delegatos, „ etiam causarum Palatii Apostolici Auditores,

„ ac

„ ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere
„ Legatos, & quosvis alios quacunque authori-
„ tate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet
„ quavis aliter judicandi, & interpretandi facul-
„ tate, & authoritate judicari, & definiri debere,
„ ac irritum, & inane, si secus super his a quo-
„ quam quavis authoritate scienter, vel ignoran-
„ ter contigerit attentari decernimus. In contra
„ rium facientibus &c. non obstantibus quibuscun-
„ que. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub
„ annulo Piscatoris die 6. Octob. 1653. pontifica-
„ tus nostri anno decimo.

Tametsi autem potestas sæcularis indicere non valeat dies Festos, potest tamen hos a summo Pontifice, vel Episcopo statutos munire adjectione pœnæ. Ita Fagnanus in cap. *Conquestus* n. 72. *de feriis*. Pignatell. consult. canon. tom. 1. consult. 8. n. 2. Bellet. disquisit cleric. tit. de favor. cleric. real. §. 4. a n. 101. Barbos. de Offic. & potest. Epis. allegat. 105. n. 42.

ARTICULUS II.

Romanus Pontifex habet authoritatem indicendi Festa pro toto Orbe, & Episcopus pro sua Diœcesi.

CLarum est hoc per ea, quæ alibi attuli, probando Ecclesiæ competere potestatem præcipiendi jejunia, quo lectorem remitto. Cæterum

scio non deesse, qui autumant Episcopum non posse amplius statuere dies Festos post Constitutionem Urbani VIII. incip. *Universa*, ubi §. 3. monet: „ Ne autem dies Festos a Locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum opportunitate deinceps iterum multiplicari contingat, iidem Ordinarii in Domino monentur, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum Festorum studeant abstinere. „ Verum posse Alii, & rectius sentiunt: *Cum* (ut ait Romaguer. ad Synodal. Gerunden. lib. 2. tit. 1. c. 1. n. 11.) *textualiter in ea solum legatur admonitio facta Episcopis, ut se abstineant publicare novas Festivitates ultra in dicta Constitutione præscriptas, non autem clausula aliqua facultatem eis de jure competentem abdicans.* Cautissimi tamen debent esse Episcopi, ut non nisi gravissimis circumstantiis urgentibus nova Festa in propriis Diœcesibus instituant. Enim vero celebris de hoc argumento est sermo Gersonis habitus in Concilio Remensi A. C. 1408 multaque super eo argumento collecta legi possunt apud Thomassinum in tract. *de Festis*. Et quod notabilius est, urget citata Urbana Constitutio,

De-

Debet autem Episcopus cum Capituli consensu secundum omnes Festa statuere. An item populi consensus requiratur, controversia est. Videtur de jure eumdem requiri, ex cap. final. de feriis. Non item de consuetudine, quæ jus in hac parte abrogavit. Legatur Romaguer loc. cit. n. 12. Fagnanus in cit. cap. final. n. 31. & seq. de feriis. Zypæus in Nov. jur. Pontific. tit. de feriis. n. 3. Cortiad. dict. decis. 171. n. 16. Ex quo patet, quid sentiendum de hac generali propositione: *Festa de præcepto servanda institui non possunt invito populo.* Si sermo est de Festis a Papa indictis, falsa est; quia summus Pontifex populi consensum adhibere non tenetur. Si autem sermo est de diebus Festis ab Episcopo institutis absolute improbari nequit, cum sint & hodie, qui sentiunt teneri Episcopum adhibere populi consensum.

QUAESTIO V.

Quomodo sint celebranda Festa?

ASSERTIO.

OBservatio dierum Festorum importat duo præcepta, affirmativum unum audiendi Missam; negativum alterum, cessandi ab operibus servilibus.

Quamvis autem præceptum Ecclesiasticum præcise ut tale, sanctificandi dies Festos prout est affirmati-

mativum, aliud non præcipiat, quam devotam Missæ auditionem: non tamen satisfacit illæ Divinæ voluntati, qui solum dierum Festorum celebritates in eo constituit, ut Missæ intersit, & a servilibus operibus abstineat, non vero omni studio contendat, ut Deo vero cultum exhibeat, Divina meditetur mysteria; visitandis infirmis, & pauperibus juvandis operam navet, conscientiam ab omni peccati labe per dies Festos mundam servet, ut per Isaiam c. 1. ℣. 13. & 14. Deus ipse declarat: *Neomeniam, & Sabbathum, Festivitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea.* Et Malach. c. 2. ℣. 3. *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Quamvis enim Judæi summa religione diebus Festis ab operibus mechanicis abstinerent; quia tamen Festa flagitiorum perpetratione profanabant, Deus ejusmodi profanationes acerrime est detestatus.

Timeant temerarii sacrorum Festorum violatores, quos sæpe & in hac vita Divina sequitur ultio, ut Deus per Ezechielem indicavit: *Sabbatha mea violaverunt - - - - & comminatus sum, ut effunderem furorem meum super eos, & implerem iram meam in eis in deserto.* Ezech. c. 20. ℣. 21. Libro autem Numerorum legitur, Judæum quemdam, qui die Sabbathi ligna congerebat, potestati Moysis, & Aaron traditum fuisse, ipsorumque jussu in carcerem detrusum, sed cum incerti essent, quid de illo statuendum videretur: Dixit Dominus ad

Moy-

Moysen: *Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Num. c. 15. ℣. 35. Nostris quoque temporibus certissima Divinæ ultionis argumenta sub oculos versantur, quoties speramus messem uberrimam, & congerimus exiguam? Id vero ex Festorum dierum contemptu dimanare sacræ Litteræ apertissime monstrant: *Custodite Sabbatha mea - - - - & dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur.* Levit. c. 26. ℣. 2. 3. & 4.

Lepidum autem est, quod in Anglia Judæus quidam nomine Salomon, postquam Sabbatho in fœtidam cloacam decidisset, nolletque ex ea extrahi, ne Sabbathum violasse videretur, coactus fuerit etiam die Dominico in eadem remanere; nam, cum ille diceret: *Sabbatha sancta colo, de stercore surgere nolo.* Respondit Judex: *Sabbatha nostra quidem Salomon celebrabis ibidem.*

Petes. Quando cœperit, & quando absoluta fuerit sæculo nono Festorum Sanctificatio? Et quid Alexander III. circa hoc sanxerit?

℟. Quamvis ex Concilio Compendii celebrato sub Gregorio IV. A. C. 833. quod etiam cap. de Feriis describitur, a Vesperis Pervigilii ad Vesperas sequentes Festi Dies inciperent, atque absolverentur: *Omnes dies Dominicos a Vespera in Vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstineri,* quod etiam Thomassinus in

tract.

tract. de Fest. dieb. lib. 3. c. 5. ostendit: Alexander III. cap. 2. *de Feriis.* sancivit, ut ex locorum consuetudine Diebus Festis initium, & finis tribuerentur: *Licet scriptum sit: de Vespera in Vesperam celebrabitis Sabbatha vestra; Festorum tamen principium, & finis juxta eorum qualitatem, & diversarum regionum consuetudinem debet attendi.* Hinc per universam fere Europam, uti tradit Gonzalez cap. *Omnes.* lit. C. *de Feriis*, a media nocte in aliam mediam noctem Sacri dies observantur.

Hæc cedant ad majorem Dei Gloriam, Beatissimæ Virginis sine labe originali conceptæ honorem, & Seraphici Patris sancti Francisci venerationem.

